

XXIV

[illegible]

[illegible]

DOCTRINA
CHRISTIANA
DE SACRAMENTIS.

DOCTRINA
CHRISTIANA DE SACROSANCTIS
ECCLESIAE SACRAMENTIS
AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA

A U C T O R E

ALBERTO PAPPIANI
IN COLLEGIO FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM
S. THEOLOGIAE MAGISTRO EXAMINATORE SYNODALI
ET SOCIETATIS DOGMATICORUM PRAESIDE

TOMUS III.

IN QUO AGITUR

DE POENITENTIA DE EXTREMA UNCTIONE,
ET DE PURGATORIO.





FLORENTIÆ MDCCLXXII.
IN TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI, ET SOCIORUM.
Praesidum Adprobatione.

Neque vero ulla res est, quæ ab initio suis omnibus Numeris absoluta fuerit, sed procedente tempore sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem contigit accessio, Epiph. hær. 75. n. 5.

MICHAELI CATTANIO

VIRO . PATRICIO . ET . CANONICO . FLORENTINO
QVI . AVITAM . GENERIS . NOBILITATEM
BONARVM . ARTIVM . ATQVE . SCIENTIARVM
ILLARVM . OMNIVM . MAXIME
QVAE . DECENT . IN . SORTEM . DOMINI . VOCATVM
SPLENDORE . ET . CLARITVDINE . ILLVSTRAVIT
MAIORIBVS . PROINDE . IN . DIES
DIGNITATIBVS · ET · HONORIBVS . AVCTO
ATQVE . AD . ILLVSTRIORA . RESERVATO
QVOD . IPSIVS . DOCTRINAE . AC . VIRTVTI
COETERIS . QVE . ANIMI . DOTIBVS . DEBEBATVR
ACADEMIA . THEOLOGICO-DOGMATICA . FLORENTINA
COMITATEM . EIVS . PIETATEM . RELIGIONEM
ATQVE . INCREDIBILEM . ERGA . SE . AMOREM
ET . BENEVOLENTIAM . SAEPIVS . EXPERTA
VT . PRAECIPVVM . SVI . ERGA . IPSVM
GRATI . ANIMI . MONVMENTVM · EXSTARET
ALTERAM . HANC . ALBERTI PAPPIANI
INSTITVTORIS . AC . PRAESIDIS . SVI . BENEMERITISSIMI
THEOLOGICI . OPERIS . PARTEM . EDITVRA

MOECENATI


ET . CONSERVATORI . SVO . MVNIFICENTISSIMO
D. D. C.

RELIGIOSISSIMIS ET HONORABILIBUS VIRIS

CURAM ANIMARUM CUM GRATIA ET COMMUNIONE ANTISTITUM
S U O R U M G E R E N T I B U S

ALBERTUS PAPPIANI S. P.
IN FLORENTINO COLLEGIO SACRAE THEOLOGIAE SACRORUMQUE CANONUM PROFESSOR,
ET ACADEMIAE THEOLOGICO - DOGMATICAE FLORENTINAE INSTITUTOR,
AC PRAESES PERPETUUS

S. P. D.



Adem luce & sani oculi perfunduntur, & saucii, inquit Augustinus advers. Crescon. lib. 1. cap. 23. verum illis adiumentum est, istis tormentum, quemadmodum ab eodem loc. cit. legimus scriptum, & nos ipsi, quotquot luce perfruimur, experientia rerum omnium magistra id ipsum nobis testante, facili negotio perspicimus. Quod a sapientissimo Antistite, & Doctore ideo dictum est, ut ostenderet Ecclesiastica Sacramenta, quæ a Christo Domino ad omnium animarum salutem sunt instituta, vitio hominum in suam ipsorum perniciem quandoque converti, &, quæ salutaria esse debuerant, mortifera fieri; sicut Cresconius ille facere consueverat, adversus quem Augustini sermo dirigitur. Quare curandum est maxime, ne, quæ ad medicinam Christi fidelibus parata sunt, iis veluti veneno abutantur, ac propterea, quæ ad gloriam iter aperire potuerant, non aperiant ad pœnam.

Hæc

Hæc vestrum omnium potissima cura est, Honorabiles, ac Religiosissimi Viri, sacrorum Antistitum corona, & gloria, qui Christiano populo divinorum mysteriorum dispensatores electi, pabulum eidem ad æternam vitam conducens parare deberis, creditasque oves a luporum insidiis, & morsibus incolumes conservare. Id ipsum autem ut facilius præstare possitis, ut Christi Domini Sacramenta rite, recte, ac sancte, quemadmodum oportet, credito vobis gregi ministretis, quam plurimos habetis profecto doctissimorum Theologorum de re Sacramentaria tractatus; in quibus Catholica Doctrina defenditur ab oppugnatoribus, & clariori semper luce perfunditur.

Verum cum ego sæpius, & sedulo animadverterim, eorum plerosque aut fusius, quam propositæ quæstiones videbantur exposcere, eas suscepisse tractandas, aut, ne prolixiores viderentur, brevitati nimium indulsisse, neque medium illud, quod extremorum omnium est optimum, tenuisse; quare fieri solet plerumque, ut vel longiori, quam par est, tractatione graventur lectores, ac propterea ad finem usque non progrediantur, vel cum ad finem pervenerint, non illud, quod sibi promiserant, pabulum consecuti sint, non abs re futurum, neque inopportunum censui, si media insistens via, quoad per me fieri potuit, utrique malo opportune remedium aliquod afferre conarer.

Neque hoc idcirco dictum a me credatis volo, Honorabiles Viri, quasi de cœterorum, qui rem Sacramentariam huc usque tractaverunt, operibus non bene sentiam, de meo autem hoc, quod in lucem modo profertur, præclare. Non ea inest meo cordi superbia; scio enim quam aliter & de me ipso, & de cœteris sentire debeam: verum hoc ideo breviter enunciatum volui, ut sciretis me neque diligentiam, neque studium ullum prætermisisse, ut Tractatus isti de Sacramentis neque prolixiores essent, neque breviores, quam rerum tractandarum natura exposcere videretur.

His breviter expositis, quare vos potissimum initio alterius huius voluminis mea compellet oratio, sermonemque ad

vos

vos præcipue convertam, indicare fas est. Hoc tamen ipsi per vos facili negotio potestis perspicere, cum, de quibus Sacramentis in hoc ipso volumine tractetur, perspexeritis. Videbitis enim de iis tantummodo in eo suscipi tractationem, quæ ad vos speciali quodam jure pertinent, & in quibus administrandis vestram præclarius, quam in aliis jurisdictionem exercetis. Vestro igitur quasi jure Tractatus hosce potestis vobis ipsis vindicare, vestrosque esse ego ipse non modo libenter fateor, verum etiam maximopere exopto. Nam si labores hos meos, quorum nullum alium mihi finem proposui, quam Dei omnipotentis majorem gloriam, animarumque Christi Domini sanguine redemptarum æternam in cœlis fœlicitatem, HONORABILES VIRI, susceperitis æquo, ac lubenti animo, si susceptos ad eum, quem dixi, finem retuleritis, quid est, quæso, quod gratius aut jucundius possit mihi unquam contingere? Profecto nihil, mearumque cogitationum testis est Deus. Verum testis est etiam florentissima hæc Civitas, in qua Academiam Theologico-Dogmaticam, multis enixe obsistentibus, ac reluctantibus, Deo favente tamen institui, institutam legibus, & præclarissimorum Virorum auctoritate, & patrocinio firmavi, firmatam diuturnitate, & frequentia studiorum, ac disputationum excolui, excultam novis quotidie Viris doctrina præstantibus, veluti fructiferis arboribus, amplificavi, & quotidie magis, quamdiu Deus opem, auxiliumque præstiterit, amplificare non desinam: quæ omnia incredibili sollicitudine, cura, ac labore (locus sit veritati) idcirco præstiti, ut inde meliores in dies, aptioresque educerentur Ministri, vineæ Domini culturæ præficiendi, qui recta Sacramentorum administratione Ecclesiæ Dei honori essent, incremento, ac præsidio.

Atque mei istius qualiscumque laboris quales, Deum immortalem! fructus non vidi? ac fructus illos, quos non ex arbore adhuc adolescente, quemadmodum Academia hæc censeri debet, quæ tria usque modo ab institutione sua integra lustra non vidit; verum ab arbore juvenilibus ramis, ac viridibus foliis vernante. Tot enim ex illa prodierunt mysteriorum Dei di-

dispensatores, quos fideles Ecclesia Christi probavit, quod maxime optabat Apostolus 2. ad Cor 4. 2. tot curæ animarum gerendæ summa cum laude præpositi, ut immortales omnipotenti Deo pro singulari hoc beneficio gratias agere nunquam prætermittere debeam.

Atque inter hos, quos posteriores indicavi, recensendus est maxime, neque silentio prætereundus ALOYSIUS VECCHIETTI, non nobilitate generis tantum, & gloria Majorum, quam sua ipsius doctrina, pietate, virtute prædicandus; qui in Academiæ hujus veluti sinu eductus, Theologicarum disciplinarum, & Canonici juris scientia imbutus, atque ad ipsius Consulatum evectus, talia doctrinæ, & sapientiæ suæ edidit argumenta, ut illum Florentinus sapientissimus, ac doctissimus Archiepiscopus FRANCISCUS CAJETANUS INCONTRI, ne alios commemorem, sæpius publice in ipsa Academia disputantem non modo probaverit, verum summis etiam laudibus sit prosequutus. Qui modo inter Florentinæ Diœceseos Parochos insigniores adlectus, verbo ita, & exemplo commissis suæ curæ ovibus præest, ut possit merito cœterorum quasi exemplar proponi.

Neque tamen hunc unum recensere possem ex iis, qui vel ex Academia talium virorum quasi nutrice, & altrice prodierunt, vel in ipsa doctrinæ, & sapientiæ suæ memorabilia edidere argumenta. Hoc in genere recensendus est profecto JOSEPHUS CHIARI, qui in hac florentissima urbe Parochialem Ecclesiam, a Divo Blasio nuncupatam, summa cum laude administrat, JOSEPHUS item COCOLLINI, qui ad Cathedralis Fesulanæ Ecclesiæ Præposituram evectus, ita semper vigilantissimo, & sapientissimo Antistiti suo FRANCISCO MARIAE GINORI, ita universæ Diœcesi probatus est, ut vel ex hoc ipso maxime amplissimum virtutis, & doctrinæ suæ præmium videatur consecutus.

Quod si tantopere semper mihi cordi fuit, HONORABILES VIRI, ne in Sacerdotum collegio desiderari unquam possent, qui digne, laudabiliter, & fructuose Christianæ plebi præessent, qui in cura commissi gregis exercenda supremi illius, ac di-

divini Pastoris Jesu Christi vestigia sectarentur, creditasque oves pabulo salutari satiarent, noxia submoverent, a luporum ingluvie, ac furore defenderent, proque ipsis sese totos quasi devoverent, videtis profecto quam justa de causa ad vos sermonem hunc meum converterim, & vos praecipue Tractatuum horum, qui altero hoc Volumine continentur, initio ipso compellarim. Nam si praeter susceptos a me labores, quos superius breviter attigi, in Academiae institutione, firmitate, studiis stabiliendis, hanc quoque qualemcumque operam meam, quam in vindicanda Catholicae Ecclesiae de Sacramentis doctrina ab heterodoxorum erroribus diligenter impendi, ad eum finem, quem mihi unum proposui, referatis, amplissimam laborum meorum mercedem in humanitate, & benevolentia vestra fuisse me consequutum arbitrabor.

Huius equidem benevolentiae, & amoris argumenta, atque ea certe praeclara, si non omnium, Honorabiles, ac Religiosissimi Viri, (quis enim omnes noscere potest, aut omnibus notus esse?) multorum tamen non modo Florentinae Dioecefeos, sed aliarum etiam quamplurium non semel, aut iterum perspecta habui; ex quibus facile intellexi labores meos, curam, sollicitudinem a vobis non probari solum, verum etiam commendari. Quorum ex numero nec reticere, nec praeterire mihi fas est praeclarissimum virum Andream de Bonaparte, qui ex insignioribus Florentinae Dioecefeos Paroeciam administrat, cujus tanta fuit semper in Academiam a me institutam benevolentia, amor, ac studium, ut nulli in ea re concedere videatur. Amat etenim sapiens, ac bene cordatus vir conatus assiduos Academiae, quos ad veritatem, & puritatem Doctrinae Orthodoxae tuendam opportunos maxime semper agnovit.

Vos modo orare, obtestarique non desinam, ut meam hanc erga vos, Honorabiles, ac Religiosissimi Viri, amoris, & obsequii significationem aequo, quo soletis, animo accipiatis, atque Tractatus hosce, quos vobis speciali quadam ratione committo, tamquam fidei vestrae, auctoritati, & sapientiae

con-

concreditos, ab invidorum, & contra latrantium vocibus, & morsibus tueamini. Quod & vos præstituros summa cum contentione, dignitate, & constantia confido, & perpetuam in animo meo referendæ vobis gratiæ, quæcumque mihi sese obtulerit opportunitas, voluntatem nascituram inde promitto; quæ res me vobis, vos mihi arctiori semper vinculo amoris, & benevolentiæ copulabit.

His igitur meorum studiorum, ac sollicitudinum fructibus, quicumque demum sunt, vestris certe studiis, vestro quoque muneri maxime consentaneis, utimini, Honorabiles Viri, ad ejus religionis augmentum, cujus custodes, & defensores esse debetis, ad vestri ministerii, & ad ejus, qui vos in suam sortem vocavit, gloriam sempiternam. Valete.

INDEX

INDEX TRACTATUUM
CAPITUM, ET RERUM, QUAE
IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS TERTIUS
DE SACRAMENTO POENITENTIAE

PROEMIUM.

Natura humana fragilitas, & imbecillitas declaratur, qua Sacramenti Pœnitentia necessitatem invexit. Reprehenduntur itaque meritò hæretici omnes, qui vel omninò illud abstulerunt, vel aliud medium excogitarunt reconciliandi cum Deo Peccatorem, & demum exponitur quomodo accipiatur Pœnitentia: quinam sint illius characteres: & quod dupliciter considerari potest, nimirum ut Virtus, & ut Sacramentum.

CAPUT PRIMUM

DE VIRTUTE POENITENTIAE, ET EJUS NECESSITATE.

§. *Unicus*. Exponuntur characteres virtutis Pœnitentiæ: additur illius discrimen ab aliis virtutibus, de multiplici illius objecto differitur, & in quo differat a Sacramento Pœnitentiæ.

Num. I. *Pænitentia virtus definitur, & ostenditur quomodo detestatio peccati sit actus elicitus a Pænitentia*. II. *Quare non sit virtus Theologica sed Moralis*. III. *Quare dicatur virtus infusa*. IV. *Quando hac virtus infundatur*. V. *Illius objectum quodnam sit, & quotuplex sit. Exponitur objectum materiale*. VI. *Describitur objectum formale hujus virtutis*. VII. *Explicatur discrimen inter virtutem Pœnitentia, & alias virtutes, quibus* Jus *pro objecto assignatur*. VIII. *Ostenditur discrimen, quod nascitur inter justitiam Commutativam, & inter virtutem Pænitentia, & Refellitur Durandi Sententia*. IX.

Dantur 5. discrimina inter virtutem, & Sacramentum Pœnitentiæ. X. *Cum inter discrimina recenseatur, quod Sacramentum Pœnitentiæ instituit Christus Dominus, e contra vero a Natura ipsa necessitas virtutis Pœnitentiæ probetur, hinc sequitur, quod non debeamus eandem in longum tempus protrahere.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Num. I. *Varia de ejus nomine, & multiplex eorum inquisitio, quæ ad hoc Sacramentum pertinent.*

§. I. Reperitur in Ecclesia Christi hoc efficax Gratiæ Signum in speciali potestate, quam suis Ministris Christus Dominus concessit remittendi peccata omnia post Baptismam commissa.

Num. II. *Fundamenta Catholica afferuntur. Hæretici ex adverso pugnant.* III. *Confutantur, & veritas assertionis demonstratur.* IV. *hujus potestatis varii effectus expenduntur.* V. *Ejusdem potestatis fundamentum exponitur.*

§. II. Exercetur hæc Potestas per modum Judicii reconciliativi.

Num. VI. *Fundamentum traditur hujus Assertionis petitum ex Concilio Tridentino, & ex congruentia.* VII. *Singula, quæ ad hoc judicium pertinent recensentur. Non audiuntur ii, qui Confessionem valedam dicunt, etiam peccatis deficientibus. Agitur de Actibus Pœnitentis, qui quasi Materia hujus judicii vocantur, & de forma, quæ est Sacerdotis sententia.* VIII. *Conscientiæ Examen non pertinet ad essentiam hujus Judicii, neque ad illius integritatem, & hinc differentia inter Judicium Reconciliativum, & Vindicativum concluditur.* IX. *Neque ad integritatem, & essentiam ejusdem judicii pertinet manuum impositio. Explicatur antiquus ritus, & verus sensus PP.* X. *Neque sola sententia Judicis, sed partim in hac, partim in actibus Pœnitentis, prout hi actus ad Claves Ecclesiæ ordinantur.* XI. *Fidem, & terrores Conscientiæ addiderunt hæretici tamquam partes hujus Judicii reconciliativi, sed probatur hoc falsum esse.* XII. *Bezæ, & Calvini, Lutheranorum, & Calvinistarum refelluntur cogitata dum mortificationem cum Pœnitentia, & Pœnitentiam ipsam confundunt cum Actionibus iis, quæ vel illam antecedunt, vel subsequuntur.* XIII. *Alia instituitur quæstio utrum potestas judiciaria sit Sacramentum novæ legis, & quid circa hoc hæretici senserint ex eorum scriptis ostenditur. Firmatur sententia Orthodoxa.*

§. III. Christus in Lege nova Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis distinctum instituit.

XIV. *Non ergo in Paradiso terrestri post Adæ peccatum fuit institutum, non in veteri Lege, non a Jacobo Apostolo, neque demum a Lateranensi* IV. *Con-*

Concilio. XV. *Pœnitentia est aliud Sacramentum a Baptismo*. XVI. *Præter recensita in præcedenti numero plura alia afferuntur in confirmationem Catholicæ Propositionis petita etiam ex concessione eorumdem hæreticorum*. XVII. *Sectarii falso doctrinam Pauli de Pœnitentia interpretantur, ideoque confutantur. Alia fuit veterum Patrum pœnitentia, & alia quæritur in Evangelio. Altera peccata remittit per Christi merita. Illa vetus post baptismum est materia Sacramenti, quæ Confessionem peccatorum requirit signis externis, quæ cum verbo absolutionis conjunguntur*. XVIII. *Hæc autem Signa necesse non est, quod consistant in externo elemento, quale est aqua in Baptismo, sed sufficis, quod talia sint, ut illis positis interna justificatio significetur*. XIX. *Exponitur verum tempus Institutionis Sacramenti Pœnitentiæ*.

§. IV. Pœnitentiæ Sacramentum lapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii.

Num. XX. *Refelluntur Hæretici, & probatur sententia Catholica*. XXI. *Plurima hic congeruntur argumenta contra veritatem assertam. A N.* XXII. *usque ad* XXVI. *Respondetur Adversariorum argumentis*. XXVII. *Definitur Sacramentum Pœnitentiæ*. XXVIII. *Sacramentum Pœnitentiæ confert primam gratiam*. XXIX. *Necessitas hujus Sacramenti non æquivalet necessitati Baptismi, nam etiam sine hoc Sacramento peccator potest salutem consequi per sinceram Contritionem*. XXX. *Ad materiam hujus Sacramenti non pertinet peccatum Originale, neque eidem subjiciuntur peccata actualia ante Baptismum commissa, reliqua vero commissa post Baptismum mortalia, sunt materia necessaria, Venialia sunt materia sufficiens*. XXXI. *Peccata dubia non sunt apta materia; in casu vero, quod vel necessaria, vel sufficiens materia deesset, peccata alias confessa supplere possent, & dubia relinquuntur prudentiæ Confessarii*. XXXII. *Explicantur nonnulli textus Scripturæ, & nonnullæ Patrum sententiæ, quæ videntur concludere nonnulla peccata esse irremissibilia*.

C A P U T III.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Exponitur status Controversiæ: Indicantur errores Hæreticorum, & disponuntur Conclusiones demonstrandæ.

§. I. Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Num. I. *Probatur hæc veritas ex Conciliis, & ex ipsa ratione Theologica*. II. *Additur consuetudo Ecclesiæ, & PP. constans traditio*. III. *Cui tamen plura in contrarium opponuntur*. IV. *licet infecta re, nam contraria disciplina, quæ reponitur, non ad absolutionem Sacramentalem, sed ad Absolutionem a pœnis Canonicis referenda est*. V. *Examinantur Canones Concilii Triburiensis, & agitur de Confessione facta non Sacerdoti, imò, & Laico in casu necessitatis*. VI. *Caussa exponitur, quare solus Sacerdos, & non aliut possit esse hujus*

Sacramenti Minister, qui tamen non necesse est, quod bonus, & Sanctus sit, licet hoc videatur docere Augustinus, cujus auctoritas explicatur. Requiritur tamen, quod habeat jurisdictionem. VII. *Agitur de alterutra potestate Ordinis, & Jurisdictionis, & inter se conferuntur juxta casuum varietatem.* VIII. *Videtur aliquibus supervacanea harum potestatum distinctio, & varia momenta proferuntur.* IX. *Respondetur his momentis, & primo ostenditur non ab Urbano II. fuisse in Ecclesia Dei aliquid innovatum in Causa Jurisdictionis, neque licuisse cuilibet antiquitus se cui voluisset Sacerdoti subjicere ab Episcopo non approbato. Secundo ostenditur falso fundamento affirmari olim fuisse penes quoslibet Sacerdotes facultatem absolvendi a Venialibus. Tertio explicatur quomodo inferior possit suam Jurisdictionem in superiorem exercere, etiam in R. Pontificem. Quarto demum probatur, quod Apostoli non acceperant potestatem Jurisdictionis in verbis illis* Accipite Spiritum S. *sed quando Christus dixit:* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. X. *Quæritur in quibus Personis resideat hæc Ordinaria potestas, & in quibus delegata.*

§. II. Primus in quo residet hæc ordinaria potestas est R. Pontifex, qui solus a nullo hominum, sed immediate a Christo suum ministerium agnoscit illi promissum in Persona Petri per illa verba: *Tibi dabo claves Regni Cælorum* postea illi exhibitum per hæc posteriora: *Pasce oves meas*. Eadem Ordinaria potestas residet etiam in Episcopis, non quia illam immediate a Christo receperint, sed per R. Pontificem, a quo immediate descendit. Et demum in iis omnibus, qui in vi suorum munerum exercent Ordinariam Jurisdictionem, in ceteris hac Potestas est delegata.

Num. XI. *Afferuntur rationes dubitandi de veritate secundæ partis hujus Assertionis, quæ tamen dilucidatur ex duabus animadversionibus.* XII. *Probatur Conclusio ex variis monumentis, & ex variis rationibus.* XIII. *Non cohæret similitudo inter Apostolos, & Episcopos, & datur ratio dissimilitudinis.* XIV. *Explicatur quomodo Episcopi sunt successores Apostolorum, & eorum differentia a Successoribus Petri; & quomodo Presbyteri dicantur Successores* LXXII. *Discipulorum. Explicatur sensus Apostoli:* Attendite vobis, & universo Gregi. XV. *Uberius eadem difficultas expenditur, & explicantur Patrum dicta ad uberiorem Sententiæ intelligentiam.* XVI. *A Christo est introductus Episcoporum Ordo, & consequenter hic Ordo est de jure Divino: Verum alius est Ordo, & alia Episcoporum Jurisdictio, neque illi repugnat, quod hæc a Romano Pontifice expectetur.* XVII. *Extenditur hæc doctrina ad quoscumque alios, qui in vi suorum munerum exercent Ordinariam Jurisdictionem, qualessunt Parochi, ex usu, & Sententia Ecclesiæ in suis Pareciis, & Superiores Regularium in suis Congregationibus ex Privilegio, & omnes ii, quibus ex Officio competit Cura Animarum. Cæteri omnes Jurisdictionem habent delegatam.* XVIII. *Qui gaudet Jurisdictione Ordinaria, illam solet alteri delegare: verum non semper, neque pro quolibet loco, & pro quibuscumque Personis.* XIX. *Delegatio non extenditur ultra voluntatem Delegantis, qui potest eam revocare, non tamen semper desinit per mortem principalis Delegantis, præsertim quando delegatio mensuratur a regula gratiæ, & favoris, aut Delegatio facta est a Pontifice, quod etiam sustineri potest licet delegatio facta sit ab Episcopo. Extenditur doctrina ad alios Casus.* XX. *Dubitatur an facultas absolvendi in mortis periculo*

tulo vocari debeat delegata. XXI. *Examinatur difficultas, & resolvitur, & exponitur singularis Augustini textus, & adduntur diversa Conciliorum decreta*. XXII. *Delegatio nulla est si Delegator dissentiat etsi irrationabiliter sit invitus. Explicatur textus in cap.* licet *de Regular. & opponitur alter ex cap.* Religiosus *de Testam. & additur Sententia Concilii Tridentini, & plura alia adduntur circa Regularium Privilegia in materia delegatae Jurisdictionis*. XXIII. *Explicatur sensus horum verborum* ad beneplacitum nostrum, *& quid responderi debeat si Judex delegatus incidat in Excommunicationem, utrum scilicet quis possit a tali Judice petere absolutionem sive ignoret, sive Poenitentem non lateat illum hanc excommunicationem incurrisse*. XXIV. *Cum superior aliquando concedat alicui facultatem sibi eligendi Confessarium ostenditur a quo prodeat hac gratia, & cui suffragetur* XXV. *Numerantur Personae, quae hac facultate gaudent in vi Privilegii Bullae Cruciatae, aut Jubilaei tempore si R. Pontifex facultatem concedat, & differitur num sub hac generali Regula Parochi comprehendantur*. XXVI. *Praelati exempti hac facultate gaudent quoadusque eorum Officium perseverat*. XXVII. *Exponitur textus in cap.* placuit *de Poenit. in quo agitur de facultate eligendi Confessarium ad Poenitentiam mutandam*. XXVIII. *Si Confessarius eligatur eligi debet approbatus, ad quod tenetur etiam Episcopus si hunc elegerit extra Diaecesim. Dum alicui conceditur facultas eligendi Confessarium, non intelligitur statim approbatus quicumque eligatur: & quare*. XXIX. *Oportet etiam, quod haec facultas intelligatur concessa cum modo, ut indiscriminatim non accipiatur tam pro non reservatis, quam pro reservatis: ubi etiam alia non pauca notantur, & inter cetera solvitur quaestio: Utrum Superior hanc facultatem teneatur concedere*.

§. III. Est in Ecclesia Potestas reservandi peccata.

Num. XXX. *Impugnant hanc facultatem haeretici. Exponuntur variae regulae secundum quas reservari solent nonnulla crimina, & praecipuè agitur de Papalibus reservationibus*. XXXI. *sola mortalia reservantur externo opere consummata, addit interna Cajetanus. Quae sint haec peccata, ab arbitrio Episcopi dependet electio*. XXXII. *In Casibus Papae reservatis nullus absolvit sine specialissima potestate. Agitur de his qui vel habent, vel se habere arbitrantur hanc facultatem; & de Casu heresis occultae*. XXXIII. *Agitur de exemptis, & aliis, qui non sunt subditi Episcopis, qui possunt ab his Casibus absolvere, an possint hujus absolutionis beneficio gaudere*. XXXIV. *Episcopi hanc facultatem, qua gaudent, extendunt in suos Confessarios ex Decreto S. C.* XXXV. *A Casibus Episcopo reservatis si Episcopus non consentiat nullus potest absoluere, neque in vi cujuscumque privilegii*. XXXVI. *Mortis articulus tantum hanc facultatem concedit. Super quo nonnulla notantur praesertim super absolutione a Censuris*. XXXVII. *Exponitur casus extra mortis articulum si aditus ad Sanctissimum, vel ad Episcopum esset difficilimus. Obiter notatur, quod si voluerint Episcopi cum delegatione facultatis absolvendi a reservatis determinare poenitentias non sunt impediendi, sed in usu non est, quod fiat*. XXXVIII. *Qui obtinuit a Papa facultatem pro reservatis obtinuit etiam facultatem pro Censuris, non ita verò, qui primam facultatem obtinuit ab Episcopo, & ponitur ratio discriminis*. XXXIX. *Delegatus non potest alteri hanc facultatem subdelegare nisi in casu, quod illius delegatio esset ad universitatem*.

§. IV. So-

§. IV. Sola Potestas Ordinis, & Jurisdictionis non sufficit in illo, qui Sacramenti Pœnitentiæ Minister est.

Num. XL. *In genere agitur de requisitis illius Sacerdotis, qui minister esse debet Sacramenti Pænitentiæ, & prolixius differitur de secreto, sive Sigillo Sacramentali.* XLI. *Peritia est necessaria in Confessario, ne imperitus, & negligens, aut nimium humanus ad curandos animi morbos cognoscatur. Numerantur illæ res, quas callere debet Confessarius.* XLII. *Modus injungendarum satisfactionum additur.* XLIII. *Et quomodo, & quando easdem oporteat permutare.*

CAPUT IV.

DE CONTRITIONE

§. I. Contritio Animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.

Num. I. *Contritionis præconia: Iis contraria describit Lutherus, sed confutatur, & ostenditur quod contritio non est extorta, & coacta, non est afflictio, & passio, non est terror ex minis Legis conceptus, quod pertinet ad Evangelium, neque expoliat hominem omnibus suis bonis operibus, & hæc singula demonstrantur.*

§. II. Datur vera natura, & verus Contritionis character vitæ veteris odium, & nove vitæ propositum.

Num. II. *Confutatur Lutherus.* III. *Mensura odii peccati respondere debet criminum gravitati.* IV. *hujus asserti rationem dat D. Thomas efficacissimam, sed Theologi non conveniunt utrum sufficiat quod propositum non peccandi de cetero sit virtuale, an oporteat quod sit expressum.* V. *Scripturæ auctoritates alterutrum evincunt.* VI. *Posterior sententia est probabilior, quia docetur a Tridentinis PP. & ab Apostolo.* VII. *Et confirmatur a fundamentis, quæ adduntur in responsionibus ad contraria argumenta, & ex natura ipsius Contritionis si bene spectetur, & non ad modum illorum, qui volunt non includere proprie nisi actum, quo nolumus Deum offendisse; utpote quia inquiunt, vitare peccata in futurum actus sit Charitatis non Pænitentiæ.*

§. III. De proprietatibus Contritionis differitur.

Num. VIII. *Recensentur, & explicantur proprietates Contritionis, quod sit vera, supernaturalis, & universalis. Mentitur Calvinus dum asserit velle Catholicos magnitudinem Contritionis correspondere magnitudini iræ Divinæ. Explicatur Ambrosii locus ambiguus, & Hugo Victorinus. Notantur Kemnitii, & Calvini positiones, ex quibus nihil aliud Pænitentibus superest, quamquam desperatis, cum ex illorum dictis, impossibilis Contritio reddatur.*

§. IV. Con-

§. IV. Contritio habet suos effectus, & inter ceteros justificationem, si conjungatur cum Actibus ceteris, qui justificationem præcedunt.

Num. IX. *Quid sentiant Hæretici exponitur, & confutatur. Meritum de Congruo recensetur inter effectus Justificationis, cui non ex justitia, sed ex Divina benignitate, ut merces respondet remissio peccatorum.* X. *Etiam ante Sacerdotis absolutionem cum voto tamen Sacramenti operatur remissionem peccatorum contra Lutherum, & Kemnitium, quorum tres præcipui errores hic indicantur, & confutantur.* XI. *Explicatur Concilium Tridentinum, & castigatur Estius, qui male sentit de opinione Navarri.* XII. *Cui adstipulantur testimonia Scripturarum, & PP.* XIII. *Quod si nonnulli textus Scripturæ videantur favere adversariis, opportune explicantur, ut explicatur textus ex Concilio Milevitano citatus, & explicantur Sententiæ PP. ab eisdem Adversariis congestæ, quibus additur quomodo bona voluntas aliquando appellatur Charitas, ut innotescat illa propositio, quæ dicit in homine esse bonam voluntatem ante remissionem peccatorum.*

§. V. Nova non est inter Theologos Contritionis divisio in veram, sive perfectam, & in imperfectam.

Num. XIV. *Contritionis perfectæ, & imperfectæ discrimina unde oriantur, & quotuplex sit illius species. Extra Sacramentum Pœnitentiæ Justificationem non operatur, disponit tamen ad ipsam si Sacramento conjungatur.* XV. *Utrum ex solo metu Gehennæ concepta satis sit ad gratiam assequendam in Sacramento Pœnitentiæ, non pauci affirmarunt.* XVI. *Non tamen sine aliqua dubitatione, ut patet ex notis, & censuris aliorum: Laudatur Alexandri* VII. *Decretum* XVII. *Indicantur Propositiones, quæ omni carent censura, & momenta adjicimus, quibus innituntur.* Propositio I. *Attritio, quæ ex Gehennæ, pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se est bonus motus, ac supernaturalis etiam in individuo.* XVIII. Propositio II. *Nullus dubitare potest Pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum, cui nihil officit illa, quæ vocatur perfecta Contritio, quia & si hanc aliquando contingat hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum suscipiatur, ipsa nihilominus reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda, multo minus ergo Sacramento Pœnitentiæ officiet imperfecta Contritio, sive Attritio quolibet Dei amore etiam incobato non vacua* XIX. Propositio III. *Qui a peccatis se temperat ex metu Gehennæ, peccare non metuit, sed ardere.* XX. Propositio IV. *Inportunum est Tridentini Concilii Decretum citare tamquam autenticum documentum sufficientiæ Attritionis conceptæ ex solo metu Gehennæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati absque aliquo Dei amore ad recipiendam remissionem peccatorum, & justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* XXI. Propositio V. *Non est inverisimile Concilium Tridentinum Attritionis nomine etiam intellexisse dolorem conceptum ex incobato Amore Dei super omnia* XXII. Propositio VI. *In scripturis, & antiquissima Traditione nihil habemus, quod suffragetur imperfectæ Attritioni, quæ amore Dei super omnia saltem incobato vacua sit.* XXIII. Propositio VII. *Cum mala sit voluntas illa, quæ in ea, quæ fides, & certa ratio præscribunt proprio pondere non fertur, sed metu pœnarum, & spe remunerationis,*

nis, ideo dicimus; quod quamvis bonus sis iste timor, & laudabilis hic concupiscentiæ amor, tamen non sufficit, ut gratiam quis in Sacramento Pænitentiæ recipiat, sed requiritur saltem incobata Charitas, ut efficax fit odium peccati, & propositum non peccandi de cætero. XXIV. *Fit satis fundamentis contrariæ opinionis, & primo ineptum ostenditur, quod ne utriusque Testamenti ritus misceantur, lex Evangelica voluerit homines ab amore in Deum jure naturali debito liberare.* XXV. *Secundo ostenditur non detrahi efficaciæ Sacramenti Pænitentiæ imò perfici ipsum Sacramentum* XXVI. *Ostenditur unde petatur vera Conscientiæ tranquillitas, & breviter confutatur specialis quædam opinio, quæ docebat ad consequendam gratiam per Sacramentum satis esse non ponere ei obicem, idest non actu peccare cum suscipitur, & intendere illud suscipere juxta Ecclesiæ intentionem.* XXVII. *Explicatur Decretum Alexandri* VII.

C A P U T V.

DE CONFESSIONE.

Ponitur status Controversiæ, quid senserint Patres, quid Ecclesia, quid Hæretici, & rerum inquirendarum distributio.

§. I. Utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis usum Confessionis auricularis probat, & retinet.

Num. I. *Novatores Confessionis auricularis inimici argumento negativo asserunt in Ecclesia Græca nunquam in usu fuisse hanc Confessionem, sed refelluntur argumentis positivis.*

§. II. Confessionis auricularis usus perpetuus in utraque Ecclesia demonstratur.

Num. II. *Non solum quod fuerit in utraque Ecclesia hic usus demonstratur, sed neque dubitari debet de illius perpetuitate, licet Novatores se opponant pluribus argumentis.* III. *Nec acquiescant Scripturæ, quæ veritatem hanc probat, quam proprio marte interpretantur: Nec Patribus, qui* IV. *Primis Ecclesiæ Sæculis floruerunt: Additur praxis publicæ Pænitentiæ, & usus frequensis Communionis.* IV. *His accedunt Auctoritates Patrum subsequentium.* IV. *Sæculorum, inter quas expenduntur illæ, quæ ex Hieronymo, Augustino, & Cæsario citantur, quibus additur Scriptum Laurentii Novariensis, & Marcus Eramita, & demum laudantur Libri Pænitentiales, qui in his* IV. *Sæculis apparuerunt* V. *Subjiciuntur Decreta Conciliorum, & perpenditur Canon Concilii Cabilonensis, & enunciatis pluribus aliis Scriptoribus Latinæ Ecclesiæ, probationem concludunt Græci Scriptores.* VI. VII. VIII. IX. X. *plenissime respondetur Novatorum argumentis.*

§. III. Necessarium est ut omnia quæ sunt in Conscientia Pœnitentis in Confessione aperiantur.

Num. XI.

Num. XI. *Hoc definivit Concilium Tridentinum, & Patres finguli, quante Sæculum nonum floruerunt banc doctrinam tradiderunt; solum Sæculo.* IX. *contrarium audiri cæpit.* XII. *Et in sequentibus propagatus est bic error a Sectariis, qui tamen* XIII. *Et* XIV. *De mendacio arguuntur, & convincuntur.* XV. *Additis etiam fundamentis ex ipsa ratione petitis.* XVI. *Quando integritas in Confessione babeatur ostenditur, nimirum in aperitione specierum peccatorum, & circumstantiarum* XVII. *Disputatur utrum sint aperiendæ etiam circumstantiæ illæ, quæ intra eandem speciem peccati malitiam multum aggravant, & pro sententia affirmativa ponitur Conclusio, qua probatur additis* XVIII. XIX. XX. *Responsionibus contrariæ sententiæ fundamentis, & demum* XXI. *Observatur neque esse celandas circumstantias etiam illas, quæ multum detrahunt de peccati malitia.* XXII. *Ad dubium de revelatione Complicis traditur antiqua Ecclesiæ sententia, & fundamenta adduntur, quibus pro affirmativa sententia certabatur unico excepto casu Complicis illius, qui coacte in crimen consenserat.* XXIII. *Audiuntur fundamenta contraria, & tota quæstio eò tendit* XXIV. *Ut videatur utrum bic casus urgeat, & probet necessitatem detractionis, quæ sive concurrat, sive non, concludit necessitatem revelationis Complicis, ut salvetur Confessionis integritas, ad quam* XXV. *etiam pertinent peccata dubia, ut dubia sunt, & non ut certa* XXVI. *Non desunt tamen casus, in quibus sola formalis integritas sufficit, & non requiritur materialis. Harum integritatum dantur discrimina, & tres casus indicantur, qui materialem non requirunt.* XXVII. *Nutus pariter, Testes, Internuntii integritati Confessionis inserviunt, imò etiam scriptura, si voce non possit aliquis sua peccata confiteri.*

C A P U T VI.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio includit solutionem Debiti, quod cum multiplex sit, de illo tantum bic agitur quod temporale est, & luendum in bac vita.

§. I. Debitum Pœnæ temporalis luendæ in hac vita pro Peccatis remissis perperam ab Hæreticis impugnatur.

Num. I. *Calvinus impugnator Sententiæ Catholicæ variis argumentis probat Deum a justis nullas pœnas exigere.* II. *Contrarium tamen aliis argumentis ostenditur, & firmatur Dogma Catholicum; quibus positis fundamentis.* III. IV. *Explicantur nonnullæ Patrum Auctoritates, &* V. VI. VII. *Calvinus confutatur. Explicantur textus singuli quibus idem abutitur; ponitur differentia inter effectum Baptismi, & Pœnitentiæ, & indicatur Systema Divinarum Operationum in Conversione Peccatoris.*

§. II. Pro reatu pœnæ temporalis multipliciter satisfieri potest, communiter Operibus pœnalibus, & afflictivis, aliquando etiam Operibus alioquin debitis.

Num. VIII. *Calvinus contradicit, sed* IX. *Illius mendacia deteguntur.* X. *Lutherus in hoc est paullo æquior Calvino, sed non sine errore, qui detegitur, & damnatur. Exempla Patrum, Conciliorum monita adeo favent Catholico dogmati, ut* XI. *Illyricus, & Calvinus ipse hoc fateri cogatur, non satis tamen, ut ipse fateatur se causâ excidisse, unde validius confutatur.* XII. *Hoc unum conceditur, quod nostra Satisfactio non est ex rigore justitiæ.* XIII. *Non obscurat legem, non obscurat Evangelium, neque amplificat dignitatem traditionum humanarum.* XIV. *Nec ad alia Opera se extendit, præter quam ad Orationem, Jejunia, & Eleemosinas.* XV. *Idem argumentum prosequitur* D. *Thomas explicans conditionem istarum Operationum, & modum, quo evadunt satisfactoriæ.* XVI. *Et quomodo operibus alias debitis possit satisfactio exhiberi, licet non semper* XVII. *Et explicatur quædam auctoritas* D. *Anselmi.* XVIII. *Imò etiam per pœnas a Deo inflictas ex Concilio Tridentino, cujus auctoritas citatur, & exponitur.*

§. III. Satisfactionis Opera potest quis sponte suscipere, & a Sacerdotibus possunt vi clavium injungi.

Num. XIX. *Contra Keimnitium, & Melanctonum ponitur hæc assertio, & in multis probatur.* XX. *Citati a Melanctono Scripturæ textus explicantur, & asserta veritas efficacius contra Sectarios probatur.* XXI. *Exponitur perpetua Ecclesiæ praxis, & solidis fundamentis demonstratur pertinere ad perfectionem judicii reconciliativi, non ad essentiam illius, ut innotescat non obesse Sacramento, si postea non impleatur.* XXII. *Consuevit etiam Ecclesia satisfactiones imponere illis, qui in reatu peccati mortalis versabantur, sed carebant omni affectu ad illud. Hujus disciplinæ fundamentum ponitur, & explicatur mens* D. *Thomæ.* XXIII. XXIV. *Ex prædictis duo corollaria inferuntur.*

CAPUT VII.

DE PUBLICA POENITENTIA.

§. I. Ab ipsis temporibus Apostolicis in Ecclesia mos fuit corripiendi publicâ Pœnitentia publica peccata; quæ ceteris Scandalo essent.

Num. I. *Ecclesia ante Montanum nihil decreverat de diuturnitate satisfactionis.* II. *Post Fabiani obitum Clerus Rom. Roma, Cyprianus Carthagine aliquod Systema præfixit.* III. *Post exortam Novatianorum hæresim originem habuerunt variæ Pœnitentium Stationes, quæ numerantur, & quid in singulis ageretur describitur.* IV. *Exponitur Statio* Flentium, *& exponitur canon* 17. *Synodi Ancyranæ.* V. *Describitur secunda Pœnitentiæ Statio, quæ appellabatur* Audientium, *& ejusdem usus in Ecclesia Occidentali.* VI. *Non pauca, & singularia professò notantur dum describitur tertia Statio Pœnitentium, qui vocabantur* Substrati. VII. Consistentium *ultima Statio appellabatur, & varia ponuntur ad illam dignoscendam. Communis erat hæc Statio illis, qui ob aliquam*

quam levem culpam Communione privabantur. VIII. *Non singuli Solemni Pœnitentiæ fuerunt addicti, & semel peracta publica Pœnitentia non potuit iterari*. IX. *Quid ergo si quis post solemnem Pœnitentiam in grave peccatum iterum lapsus fuisset? Exponitur Macedonii quæstio, & Augustini responsio, cui additur Origenes. Magister Sententiarum corrigitur, quod non benè utatur auctoritate Chrysostomi*. X. *Concluditur, quod juxta disciplinam Ecclesiæ Romanæ iterum lapsi per secretam Pœnitentiam toto vitæ tempore castigati in ipso Mortis articulo dumtaxat absolutionem consequebantur, in quibusdam vero Ecclesiis etiam in articulo Mortis hæc negabatur*.

§. II. Non omnium peccatorum mortalium reos publicæ Pœnitentiæ Ecclesia addixit, sed illos tantum, qui Idololatriam, Homicidium, Mœchiam, aliaque gravissima scelera perpetrabant, quæ Sæculi leges sanguine vindicabant.

Num. XI. *Documenta exhibentur, quibus hæc assertio probatur*. XII. *Contrarium scripserunt nonnulli ducti ex auctoritate Tertulliani*. XIII. XIV. *Ita pariter ex variis auctoritatibus Augustini*. XV. *& ex pluribus aliis documentis petitis ab aliis Patribus, sed Patres explicantur, & firmatur prima Sententia*. XVI. *Etiam peccata occulta publicæ Pœnitentiæ subjiciebant*. XVII. *Exinde tamen nulla ipsis Pœnitentibus injuria irrogabatur. Non ultra Saeculum* VIII. *hic ritus progressus est in Ecclesia Latina. In Oriente usque ad Nectarium perseveravit, vel paullo post*. XVIII. *Publicæ Pœnitentiæ exempla habemus usque ad integrum Sæculum Nonum, postea paullatim desiit, ita ut sola perseveraverit, & perseveret illa, quæ imponebatur, & imponitur pro publicis delictis*, nisi aliter Episcopus judicaverit expedire, *ut inquiunt Patres Tridentini*.

§. III. Tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis Laici omnes, & quilibet Clericorum gradus publica Pœnitentia castigabatur, deinde vero Laici, & soli Clerici minores.

Num. XIX. *Communis fuit hæc praxis Ecclesiæ Orientali, & Occidentali, ut pluribus documentis ostenditur*. XX. *Hanc disciplinam non fuisse prætergressam tertium Sæculum Augustinus, Hieronymus, Chartaginense* v. *Concilium, & S. Leo Magnus demonstrant*; XXI. *Nisi hanc pœnitentiam aliqui postulassent, quod illis imponeretur pietatis, & humilitatis studio*. XXII. *Putarunt aliqui nunquam Ecclesiam majores Clericos addixisse huic publicæ Pœnitentiæ, sed non satis hoc probarunt*. XXIII. *Adduntur alia Monumenta, quæ contrariam Sententiam maxime dubiam reddunt* XXIV. *Explicatur Felicis* III. *Decretum*. XXV. *Post tria vero priora Ecclesiæ Sæcula Laici tantum, & minores Clerici Pœnitenteutiæ laboribus subjiciebantur*. XXVI. *Ceteris criminibus pro quibus publica Pœnitentia indicta erat accessit Libellaticorum crimen, quod quale fuerit indicatur, Idololatria minus, sed criminibus reliquis majus*. XXVII. *Libellaticorum variæ species. Exponitur Petri Alexandrini dictum, & Cypriani, qui Libellaticis Mœchos adjungit, & gravissima exomologesi puniendos asserit. Explicatur textus ex Actibus Apostolicis*.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTALI ABSOLUTIONE.

Forma absolutionis sunt hæc verba Ego te absolvo, *quibus cum præmitterentur nonnullæ preces, quæ olim proferebantur manibus super Pœnitentem extensis, hæc forma appellata est* manuum impositio. *Ostenditur hujus ritus antiquitas. In aliquibus Ecclesiis usus erat formulæ Deprecatoriæ, sed hæc post dimidium Sæculi* XIII *obsolevit. Indicativam formam Africanæ Ecclesiæ quondam prohibuerunt.*

§. I. Hæc forma *absolvat te Deus* in sensu deprecandi non conficit Sacramentum in Ecclesia Latina.

Num. I. *Demonstratur, quod forma absolute proferri debet; nec inde sequitur, quod Sacerdos tanquam de re incerta loquatur, neque* II. *Quod sic dicendo profiteatur se absolvere tamquam principalem Auctorem.* III. *Neque valet argumentari a paritate formæ Sacramenti Confirmationis, & additur ratio, & magis probatur principali proposito.* IV. *Arguunt Adversarii a forma deprecatoria, qua utitur Ecclesia Græca.* V. *Satisfit huic argumento, & ostenditur sensus hujus formæ, & plura alia notantur.* VI. *Circa necessitatem aliorum verborum, quæ adduntur his verbis:* Ego te absolvo *recensentur variæ Theologorum sententiæ, & explicatur mens PP. Concilii Tridentini.* VII. *Concluditur nostra Sententia, & exponitur cur singula illa verba, vel formæ præmittantur, vel illam subsequantur,* VIII. *Explicatur sensus Verborum:* Ego te absolvo. *Magister Sententiarum corrigitur, & in quo differat illius explicatio a sensu Lutherano demonstratur.* IX. X. *Refelluntur aliæ aliorum Theologorum explicationes.* XI. *Exponuntur varii effectus hujus absolutionis.* XII. *Explicatur uberius quomodo hæc forma suos effectus producat.* XIII. *Datur differentia inter hæc duo, gratiam efficere, & culpam remittere, & ostenditur, quomodo hujus Sacramenti forma alterum ex his, aut alterum operetur.* XIV. *Si mutetur forma in hæc alia verba:* Ego remitto peccata tua: Ego te mundo a peccatis, *quæritur utrum producatur effectus? Et resolvitur difficultas.*

§. II. Absolutio lapsis post Baptismum est ad salutem necessaria necessitate medii.

Num. XV. *Est communis in Patribus hæc sententia, & in praxi Ecclesiæ, quæ ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis semper admittere consuevit, saltem usque ad tempora Zephirini, quibuscumque Sceleribus Pœnitentes addicti fuissent. Post hæc vero tempora reis Canonicorum criminum, si in infirmitate Pœnitentiam postulassent, etiam in ipso exitu vitæ absolutio negata fuit.* XVI. *Explicatur vox* Communio XVII. *Explicatur Innocentii Papæ Sententia, ut intelligatur, quæ fuerit Ecclesiæ Rom. praxis Sæculo* V. *& præcipue, quod non adhæserit errori Novatiani: & quomodo se gereret cum iis, qui solum in vitæ discrimine absolvi postulabant.* XVIII. *Extra Mor-*

Mortis articulum graviorum peccatorum reis absolutio Ordinaria lege concedebatur post peractam pœnitentiam. Excipiebantur tamen nonnullæ caussæ, & referuntur. XIX. *Quod si nonnulli de hac exceptione dubitent hi corriguntur, & praxis confirmatur.* XX. *Quæ praxis aliquando absolutionem cæremonialem usurpavit, cum ii, qui postquam ex gravissima infirmitate convaluissent, in qua fuerant absoluti, suæ Stationi restitui postulabant.* XXI. *Damnatur error Petri Oxomiensis, qui sine prævia satisfactione nemini absolutionis beneficium impendendum esse asserebat.*

§. III. Concilium Tridentinum non suffragatur sententiæ, quæ asserit Satisfactionem esse præmittendam Absolutioni, nec vias illas aperit, in quibus plurimum nonnulli confidunt.

Num. XXII. *Probatur usque ad evidentiam hæc veritas.* XXIII. *Conferuntur Tridentini Concilii Decreta, & scripta Patrum, qui huic Concilio interfuerunt.* XXIV. *Adducuntur Testimonia illorum, qui post Concilium scripserunt, & præcipue affertur Catechismus Rom. cui adhæserunt reliqui DD. & Patres, qui Provincialibus variis Conciliis interfuerunt, quæ post illa tempora celebrata sunt.* XXV. *Rationes contrariæ afferuntur, quibus respondetur.* XXVI. *Inquiritur exactius, an revera Concilium sex, aut septem vias aperuerit, quibus agendæ ante absolutionem satisfactionis modus restituatur, & ostenditur non probari ab Adversariis: Quod etiam si Tridentini PP. voluerint Apostolicas Traditiones omnes restituere, & universos veteris Pœnitentiæ ritus, hi tamen inter Apostolicas Traditiones non continentur.* XXVII. *Ostenditur ulterius falsum esse, quod Concilium antiquos omnes de moribus Canones, & de muneribus Ecclesiasticorum innovaverit. Nicolaus Theanus Concilium Tridentinum exponit. Lutherus impugnator recentis moris a Corcyrensi Episcopo male auditur, & inde magis exurgit vanitas sententiæ Adversariorum.* XXVIII. *Confutatur etiam sententia, quæ docet introductum morem agendæ Satisfactionis post absolutionem favere generali omnium hominum impœnitentiæ.* XXIX. *Laudatur Jo. Gropperus, qui ab illa Adversariorum sententia recessit, & nostræ subscripsit.* XXX. *Conclusio Examinis.*

§. IV. Ab effectibus Absolutionis, quos supra recensuimus in I. §. aliæ Conclusiones veniunt examinandæ.

Num. XXXI. *Absolutionis virtute, quæ remanserunt per peccatum subsequens mortificata merita, omnia reviviscunt. Explicatur quomodo dicantur redire peccata per subsequens aliquod scelus, præsertim auctoritate D. Thomæ* XXXII. *Licet non in totum, ut explicat idem S. Doctor, cui non obsunt auctoritates Scripturæ* XXXIII. *Quod ut intelligatur duo præmittuntur notanda: nimirum aliud esse remittere pœnam, & non punire peccata: oblivisci peccatorum, & Deum peccata remittere.* XXXIV. *Quibus positis explicantur Scripturæ laudatæ ab Adversariis.* XXXV. *Quæritur quinam sensus sit illorum verborum*: Merita bonorum Operum per peccatum subsequens manere mortificata: *& explicatur.* XXXVI. *Unde nam habeatur promissa reviviscentia bonarum Operationum ostenditur.* XXXVII. *Occasio dubitandi proponitur.* XXXVIII. *Nutantur bona illa, quibus contingit homines per peccatum privari, & quæ-*

uam

nam possint, aut nequeant reparari. XXXIX. *A mensura Contritionis hanc reviviscentiam bonorum Operum repetunt nonnulli Theologi, & explicatur; ita pariter explicatur quare hæc bona Opera in totum reviviscant secundum aliquos, & non ad gloriam essentialem, sed ad accidentale tantum præmium*. XL. *Ad horum intelligentiam agitur de caussa meritorum, & hæc est vel remissior, vel intensior pœnitentia, major vel minor Charitas, & hoc ex Divino beneplacito*. XLI. *Explicatur D. Thomas* LXII. *A quo non dissentiunt Tridentini PP.* XLIII. *Tempus quæritur, quo homo lapsus per Charitatis intensionem, & pœnitentiæ actus se possit disponere ad plenam, & perfectam omnium meritorum reviviscentiam, & resolvitur, quod id contingit, vel in actu separationis animæ a Corpore, seu immediate post mortem, vel in primo instanti glorificationis*. XLIV. *Quod de reviviscentia meritorum disputatum est, etiam disputatur de reviviscentia Virtutum*.

C A P U T IX.

DE RITIBUS SACRAMENTI POENITENTIAE

Num. I. *Concilium Tridentinum tradidit essentiam, & substantiam Sacramenti Pœnitentiæ, nihilque dixit de Ritibus tamquam necessariis, ut licite ministraretur, tamen ut antiquitus, ita modo aliqua observantur a Pœnitentibus*, II. *Alia a Ministris*. III. *Habuit Ecclesia Ritus in administratione Publicæ Pœnitentiæ*. IV. *Ad quos spectabat, & spectet nunc publicas Pœnitentias imponere*; V. *Antiquitus erat in usu incarceratio, & quomodo fiebat Gregorius* II. *descripsit*. VI. *Ritus quoque peculiares observabantur in Reconciliatione Pœnitentium*.

T R A C T A T U S V.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Unctio Infirmorum ad delendas Peccatorum reliquias, et etiam peccata (si expianda supersint) instituta est, unde vocatur consummativa Pœnitentiæ.

C A P U T I.

DE INSTITUTIONE ET USU SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Sectarii omnes Extremam Unctionem, tum negant esse Sacramentum, tum etiam irrident.

§. I. Scriptura, & Traditione probatur Sacramenti extremæ Unctionis institutio, & usus.

Num. I.

Num. I. *Duo proferuntur testimonia, alterum ex D. Marco, alterum ex Epistola D. Jacobi, & utraque Auctoritas perpenditur.* II. *Dubitatum est de authenticitate Epistolæ D. Jacobi, sed illius sinceritas sustinetur.* III. *Ex alio capite veritas eadem confirmatur, nimirum a promissione gratiæ, quæ ab hac Unctione producitur, & a promulgatione ejusdem facta per unum Apostolorum, quod sufficere ad veritatem Sacramenti olim crediderunt, non modo Catholici, sed et Hæretici.* IV. *Catholici tamen non convenerunt omnes in statuendo Christo Domino immediato hujus Sacramenti Auctore, ut hic ostenditur, & quid præcipui inter illos senserint, et quid senserunt PP. Tridentini.* V. *Quæcunque vero sententia eligatur, non vacant Censura Theologi illi, qui negant insinuatam a Christo Unctionem illam, de qua loquitur Marcus, ut non contemnendis argumentis demonstratur. Audiuntur etiam aliæ sententiæ, et demum probabilior eligitur.* VI. *Silentium aliquorum PP. communi Sententiæ non officit, nec officiunt exempla quæ afferri possunt, ut ostendatur indiscriminatim Unctionem accepisse fideles, etiam non infirmos, & alios ab eadem accipienda fuisse prohibitos* VII. *Quia exempla, et auctoritates abundant, quæ perspicuam reddunt contrariam opinionem, eandemque saniorem.* VIII. *Obviam sese exhibent Sectarii, ut Sacramentum hoc de medio tollant: Mendacia eorum deteguntur, et Catholicis Sectarii victas dant manus.* IX. *Hinc eorum nonnulli Catholicis assentientes a communi errore recesserunt, non ita tamen, ut idem nobiscum sentirent in omnibus, quare exponuntur illa, in quibus enormiter peccarunt.*

C A P U T II.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

De materia hujus Sacramenti diversimode sentiunt Hæretici a Catholicis, quare dicimus.

§. I. Materiam remotam hujus Sacramenti esse Oleum ab Episcopo benedictum.

Num. I. *Scriptura hoc docet* II. *Traditio hoc confirmat* III. *Consecrationem hujus Olei ostendit necessariam D. Thomas ex triplici ratione. D. Bonaventura eandem sententiam tenuit, & concordant Græci cum Latinis.* IV. *Ad trutinam revocatur sententia illa, quæ simplici Sacerdoti concedit jus benedicendi hoc Oleum.* V. *Ex hoc tamen quod Consecratio Olei necessaria est, non sequitur hoc Sacramentum consistere in re permanente.* VI. *Afferuntur probationes.* VII. *Indicantur partes corporis, et indicatur numerus Unctionum in utraque Ecclesia.*

§. II. De forma agitur Sacramenti Extremæ Unctionis.

Num. VIII. *Sex prioribus Ecclesiæ Sæculis invaluit usus formæ deprecatoriæ.* IX. X. XI. XII. *Exinde vero modo Ecclesiæ uti consueverunt forma indica-*

ca-

cativa, & non infrequenter alteram formam deprecatoriam adhibuerunt usque ad Concilium Tridentinum, a quo tempore communior evasit forma deprecatoria XIII. *Sub alterutra tamen forma idem effectus obtinebitur*. XIV. *Exponitur mos Graecorum in administranda extrema Unctione admodum varius*. XV. *Confutantur Haeretici, qui renuent quamcuuque formam cognoscere tamquam necessariam ad obtinendum effectum hujus Sacramenti, et firmatur in quibus orationibus, cum plures recitentur, habeatur hic effectus*.

C A P U T III.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

§. I. Solus Sacerdos est Minister Extremae Unctionis.

Num. I. *Ita ex Verbis Jacobi sentiunt Patres* II. *Videtur Innocentius* I. *ab hac Doctrina disentire* III. *Disquiritur historice quando, et quare Innocentius id scripserit, & subjiciuntur variae responsiones, quae explicantur usque ad Num.* VIII. *in quo indicatur, quod non quilibet Sacerdos hac facultate gaudet ungendi infirmos, supra quam rem plura notantur*.

§. II. Utriusque Ecclesiae Occidentalis, & Orientalis Disciplina in administrando Sacramento Extremae Unctionis circa Presbyterorum numerum reprobari non potest, sufficit tamen etiamsi unus sit Sacerdos, qui Sacramentum hoc administret.

Num. IX. *Alterutra pars hujus Assertionis fundamenta habet in Traditione Majorum, quae notatur ut in PP. Latinis, ita & in PP. Graecis. Affertur auctoritas Simeonis Thessalonicensis, qui unus est ex Auctoribus Graecis, & hec auctoritas Censorem habet Arcudium, qui in hoc notatur, quod male arguerit Simeonem, nam non in illo, quod Arcudius putat, sed arguendus est, quia impiè asseruit unum solummodo Sacerdotem non posse hoc Sacramentum conficere*. X. *Latini Saeculo* XII. *desierunt vocare plures Presbyteros si traditnri fuissent Sanctam Unctionem, nec propterea locus datur censurae Lutheri, & Calvini, qui inconstantiae Pontificios accusarunt, quos constat etiam multo ante huic mori institisse, ut antiqua monumenta probant*. XI. *Neque veriti sunt se nota fuisse dignos propter verba D. Jacobi, quorum sensus per alia Scripturae verba cognoscitur. Nec Arcudius satis arguit Graecos, ut ostenditur a Goartio* XII. *qui non iterari Sacramentum probat egregiè, licet plures Presbyteri inungant infirmum*. XIII. *Iterum vindicantur Graeci ab alia labe, quam eisdem Arcudius impingit*. XIV. *Expenditur tandem praesens Ecclesiae Latinae praxis, & cum veteri comparatur, quando unus Presbyterorum inungebat, & alter deprecatoriam formulam proferebat*.

C A P U T IV.

DE SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

§. I. Explicatur Ecclesiæ Traditio circa subjectum Exstremæ Unctionis.

Num. I. *Ostenditur, quod Ægroti inungebantur, & illi, qui hanc Unctionem postulabant. Lutheri calumnia recensetur, itemque Calvini, quibus præluxit Simeon Thessalonicensis.* II. *Refelluntur omnium Sectariorum calumniæ & confirmantur vera Consuetudines Ecclesiæ Romanæ.* III. *Varia Ecclesiæ Statuta indicantur pro Disciplina observanda circa tempus administrandæ Unctionis Extremæ, & ut corrigerentur, quæ irrepserant circa hoc vanæ opiniones.* IV. *Observandum etiam, inquiunt hæc Statuta, ne infirmitas eò progrediatur, ut Ægrotus rationis usu destituatur.* V. *Aut ne quæcumque alia sit hæc infirmitas ab illa, quæ ex corporis infirmitate provenit; & exponuntur casus illi, in quibus abstinendum est ab administranda hac Sacra Unctione. Expenditur peculiaris opinio Suarez, laudatur D. Thomas, & S. Caroli Sententia de extrema Unctione non administranda infantibus.* VI. *Agitur de Disciplina illarum Ecclesiarum, quæ vel concesserunt Unctionem, vel illam denegarunt Pœnitentibus ægrotis.*

§. II. Expenduntur Græcorum ritus, & eorum discrimina a ritibus Latinorum.

Num. VII. *Discrimina hæc in rebus minus necessariis consistunt, cum conveniant in substantialibus. Describuntur igitur hæ differentiæ etiam in sequenti N.* VIII. *Ubi peculiariter agitur de Unctione, quæ administrabatur omnibus in Feria* v. *Majoris hebdomadæ.* IX. *Arcudius in hunc morem invehit, Launojus contra Arcudium illum commendat, & alterutrius opinionis argumenta audiuntur:* X. *Dilucidatur rursum controversia, & conciliantur opiniones.* XI. *Consueverunt etiam Græci Mortuos inungere, quod arbitrarentur per hanc Unctionem Animas eripi a damnatione. Communiter hic mos reprehenditur, & Ecclesia Latina ab eodem semper abstinuit.* XII. *Etiam in Ordine administrationis hujus Sacramenti discrepant Græci a Latinis, nam Græci ante Eucharistiam Unctionem administrant iis, qui illam non receperunt in Feria* v. *ut diximus, Majoris hebdomadæ.*

§. II. Vetus, & Recens Ecclesiæ praxis in data Infirmis post, & ante Unctionem Eucharistia.

Num. III. *Exponitur hæc praxis, & videtur quod usque ad Sæculum* vii. *Eucharistia præcedebat Unctionem.* XIV. *Et ita usque ad Sæculum* xv. *Postea vero alterutrius praxis indicia fuerunt. Illud autem præstabit Parochus, quod magis judicaverit expedire.*

§. IV. Non ante dari debet Infirmis Extrema Unctio, quam quoquo modo illam petierint, & petere debent, etiamsi iterare eandem oporteret.

Num. XV. *Variis documentis demonstratur hæc assertio*. XVI. *Excipiuntur nonnulli casus*. XVII. *Non adversatur his casibus ille casus, in quo aliquis semel Sanctam Unctionem recepisset, licet nonnulli diversum senserint, quare singulorum argumenta examini subjiciuntur*. XVIII. *Pro iteratione resolvitur Controversia*. XIX. *Respondetur contrariis argumentis, quæ falso innituntur supposito* XX. *Statuuntur tempora, & regulæ pro iteranda Extrema Unctione*.

C A P U T V.

DE EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

§. *Unicus*. Gratia, Peccatorum remissio, & aleviatio Infirmi effectus sunt hujus Sacramenti.

Num. I. *Soli Sectarii contrarium docent, qui anathematizzantur a Tridentino, & a PP. omnibus condemnantur*. II. & III. *Theologi disputant cujus generis sunt peccata illa, quæ per hanc Sanctam Unctionem remitti debent. Sambovius, & Estius delere inquiunt, illæ mortalia peccata, hic vero peccata venialia. Singuli confutantur, & probabilior sententia exponitur, quæ asserit Sacramentum hoc illa peccata delere, quæ casu confessa non sunt, itemque torporem, mærorem, & anxietatem illam, quæ ex peccato relinqui solet*. IV. *Aleviatio infirmi probatur effectus hujus Sacramenti, si tamen expediat*. V. *Disputatur utrum præceptum urgeat accipiendi hoc Sacramentum. Exponitur utraque sententia. Negativa videtur probabilior propter rationes, quæ afferuntur*. VI. & *responsiones ad argumenta opposita. In praxi tamen Parochi diligentia est necessaria, ut infirmum præparet, ne sine extrema Unctione decedat cum animæ suæ periculo*.

T R A C T A T U S VI.

D E P U R G A T O R I O.

Caussa existentiæ Purgatorii exponitur una cum vaniloquiis Sectariorum, qui eidem adversantur, & Catholica doctrina firmatur.

C A P U T I.

DE EXISTENTIA PURGATORII.

Historica narratio texitur de Origine, & Propagatione errorum, qui nati sunt in Ecclesia contra Purgatorium, & Fundamentum triplex inducitur, cui hæc Hæretica fabula innititur, ex qua ponitur.

§. I. Utri-

§. I. Utriusque Testamenti auctoritatibus existentia Purgatorii demonstratur.

Num. I. *Petitur demonstratio prima ex lib. 2. Machab.* II. *Negant hujus libri auctoritatem Novatores, sed triplici fundamento sustinetur. Confutatur Ochinus, & Petrus Martyr* III. *Pergit eadem confutatio.* IV. *Citatur textus ex Evangelio Matth. 12.* V. *Afferuntur alia loca ex novo Testamento.* VI. *Etiam Novatores ad Scripturam confugiunt, verum sine profectu, ut N.* VII. *demonstratur.*

§. II. Proferuntur pro existentia Purgatorii præcipuorum Scriptorum testimonia, & Decreta Conciliorum.

Num. VIII. *Concedunt Novatores Patrum Auctoritates, veruntamen omnes in errores fuisse abreptos asserunt, & alias rationes addunt, ut simplicioribus imponant.* IX X. XI. *Respondetur tribus argumentis Sectariorum, & singulæ responsiones tum Auctoritatibus PP. illustrantur, tum variis Conciliorum Sanctionibus, & Scripturarum contextibus. Inveniunt Hæretici in Cypriano in Chrysostomo, in Ambrosio, in Auctore libri Hypognostici, & in Augustino aliqua ab illorum sententia, ut ipsi arbitrantur, non repugnantia, sed his omnibus* N. XII. *respondetur.* XIII. *Ostenduntur Novatores ipsi convenire in Dogmate Purgatorii, adeo concludentia sunt PP. & Scriptorum testimonia, & in hoc ipsa Orientalis Ecclesia consentit.* XIV. *Corollaria quædam ex præstabilita doctrina inferuntur. Primo, Dogma existentiæ Purgatorii non inferre Deum vere, & sincere justos, quibus peccata dimittit in suam Amicitiam non recipere. Secundo, Remissionem pœnæ pendere a remissione culpæ.* XV. *Modo ostenditur Orationes pro mortuis non fuisse indictas in consolationem viventium, & ut homines se accomodarent ritui, & opinioni Vulgi, & notantur varia ad exactiorem hujus rei cognitionem.*

§. III. Communis Purgatorii locus est locus inferior Inferno conjunctus: Secundum Dei dispensationem, etiam in diversis locis aliqui puniri possunt, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum levamentum.

Num. XVI. *Ex vario Animarum Statu probatur hujus loci existentia, & si non evidenter, tamen non inverisimiliter ex Scriptura colligitur; item ex Patribus, & ex Liturgiis tum Græcorum, tum Latinorum. Nonnulla etiam adduntur ad intelligentiam Revelationum, ut concludatur id, quod in secunda parte Assertionis statutum legitur.*

CAPUT II.

DE POENIS, QUIBUS IN PURGATORIO ANIMAE CRUCIANTUR.

Per peccatum homo se se avvertit a Deo, & convertit ad Creaturam, hinc duplex pœna superest animæ in Purgatorio luenda.

§. I. Certum est Animas eorum, qui nos præcesserunt cum signo Fidei, & dormierunt in Somno pacis pœna Damni, & Sensus in Purgatorio puniri.

Num. I. *Hujus pœnæ conditio legitur in Scriptura, & certe pœna Damni est omnium gravissima.* II. *Contrarium asserunt aliqui Theologi, quod credant non videre Deum esse de necessitate naturæ, & ratione status Animarum, cum sint adhuc in via* III. *Prima sententia sustinetur, & demonstratur, & solum conceditur discrimen aliquod inter pœnam Damni, qua puniuntur Animæ in Purgatorio ab illa pœna Damni, qua puniuntur Damnati, & citatur Augustinus* IV. *Animæ in Purgatorio veram pœnam sensus patiuntur, quæ a vero igne elementari, & corporeo producitur. Exponitur contraria opinio, & ratio potissima, in qua fundatur, & indicantur duo Purgatorii loca.* V. *Probatur prima Sententia, & conditio hujus pœnæ, quæ vocatur* sensus *quanta sit, & quomodo Animæ illam patiantur. Refelluntur illa duo Purgatorii loca, & respondetur fundamentis contrariæ Sententiæ, quæ petuntur ex Revelationibus.* VI. *Hic exponitur conditio Pœnæ sensus, & firmatur duce Scriptura, & Patribus tum Latinis, tum Græcis consentientibus, igne proprie dicto Animas in Purgatorio torqueri, & si contrarium in Concilio Florentino voluerint Græci PP. qui tamen convenerunt in asserendo Purgatorium esse locum Tormentorum.* VII. & VIII. *Explicantur variæ locutiones, quibus aliqui Latini PP. & aliqui ex Græcis suam Sententiam exposuerunt.* IX. *Ostenditur antiquissimam fuisse in Ecclesia hanc Opinionem, neque ortum habuisse in Concilio Florentino.* X. *Ostenditur quomodo singuli Patres convenerunt in qualitatibus hujus ignis. Quomodo vero hic ignis corporeus agere possit in Animas explicatur; quemadmodum explicatur Augustini locus obscurus, & refellitur quidam Auctor, qui defendit Animas Purgatorio igni hypostaticè uniri.* XI. *Explicatur alter Augustini locus obscurus, in quo videtur non redarguere, quod Purgatorius ignis allegoricè explicetur per transitoriam tribulationem.* XII. *Ostenduntur gravissimæ Purgatorii pœnæ ex communi PP. sententia, & non inverisimile esse dicitur, quod illarum acerbitas remittatur, quo magis anima propinquat ad Coronam.*

§. II. Purgatoriæ Pœnæ nullæ sunt futuræ, nisi ante illud ultimum, tremendumque Judicium.

Num. XIII. *Castigatur Origenes, qui etiam post Corporum resurrectionem defendit Purgatorias pœnas duraturas, & Auctoritate Scripturæ, & PP. nostra Sententia firmatur, & ipsa ratione Theologica.* XIV. *Refellitur Lutherus, qui solum in vita, & in morte Purgatorii durationem cognoscit, & efficacibus fundamentis contrarium sustinetur.* XV. *Purgatorium ultra mortem protrahitur. Inæqualis tamen est hujus Pœnæ duratio, & omninò refelluntur, qui usque ad diem judicii, vel non ultra decennium tempus Purgatorii protrahunt.* XVI. *Assignatur ratio, quare inæqualitas culpæ damnatos in æternum cruciet, non vero æqualiter ipsa culpa in Purgatorio puniatur.* XVII. *Quæritur utrum Animæ in statu pœnæ e Purgatorio egredi possint, & pro alterutra opinione rationes adduntur.*

§. III. Fieri non potest, ut Animæ vel de Paradiso, vel de Inferno ita exeant, ut jam locus earum non sit Paradisus, vel Infernus: Ad tempus vero inde egredi possunt.

Num. XVIII.

Num. XVIII. *Notatur error Origenis, & refellitur, & adduntur textus Scripturæ in confirmationem propositionis. Refellitur etiam error aliorum, qui non Dæmones, sed homines a pœnis Inferni liberant, nam Reproborum supplicium nunquam cessabit. Explicatur conditio Prophetiæ comminatoriæ, ut posita doctrina clarius intelligatur, & explicatur Glossa, quæ in contrarium citatur. Solvitur dubium ortum ex variis casibus, qui in historiis leguntur.* XIX: *Alia vero datur responsio factis illis, quorum meminit Scriptura in* 1. *Reg. c.* 28. *& in cap.* 17. *Matth.* XX. *Similiter respondetur Apparitionibus illis, quæ contigisse narrantur ad invocationem Sanctorum &c. quod etiam animæ Damnatorum potuerint apparere, non inverissimile arbitratur S. Thomas, qui tamen differentiam addit, si sint Sancti, aut Damnati, qui appareant. Occurritur difficultati, an minuatur Pœna, vel Gloria tempore illo, quo Sancti, aut Animæ damnatæ apparuerint, negativa responsione, cui non deest sua ratio.* XXI. *Opus tamen est multa discretione cum agitur de his Apparitionibus, ne facilius probentur, aut reprobentur, qua in re multum currunt Hæretici. Cavendum etiam ne quis arbitretur revocari non posse animas a Purgatorio, ut iterum in suis Corporibus vivant, quod certæ de sua salute, per resurrectionem fierent incertæ, nam hoc non sine fidei injuria diceretur, & ostenditur.* XXII. *De animabus Damnatis hoc affirmari non debet, & reprobatur omninò historiola de Trajano per preces Gregorii Magni ab Inferis liberato, & plura super hoc argumento notantur. Joannes Damascenus perperam citatur.*

C A P U T III.

QUIBUS PERSONIS PURGATORIUM NON CONVENIAT.

Proponitur Status hujus Controversiæ gravissimæ, & resolvitur.

§. I. Illorum Animæ, quæ post Baptisma susceptum nullam omninò peccati Maculam incurrerunt, illæ etiam, quæ post contractam peccati maculam in suis Corporibus sunt purgatæ, in Cœlum mox recipiuntur, & clare Deum ipsum trinum, & unum sicuti est, intuentur.

Num. I. *Diligentissimè narrantur ea, quæ contigerunt anno* 1333. *sub Pontificatu Jo.* XXII. *qui male audiebatur Auctor contrariæ opinionis.* II. *Conditiones exponuntur, quibus positis una opinio hæresis nota inuri debet.* III. *Afferuntur testimonia PP. Græcorum, & explicantur obscura, quæ favent Visioni Beatificæ Animarum, & demum quid ipsi senserunt in Concilio Florentino.* IV. *Latini Patres constantissime, & semper eandem opinionem professi sunt; quidquid blateraverint Hæretici.* V. *Quod si alicujus Patris auctoritas occurrat, quæ explicationem non ferat, datur regula ad illius intelligentiam.* VI. *Abutuntur Heterodoxi nonnullis auctoritatibus Scripturarum, illi refelluntur, & hæ explicantur. Additur doctrina Chrysostomi pro intelligentia Parabolarum.* VII. *Hic adduntur illæ Scripturæ, quæ Sententiam confirmant* VIII. *Ex Liturgiis eadem veritas comprobatur, nisi deformentur a Novatoribus. Dalæus citatur, & refellitur, & illius verba subjiciuntur, quibus cogitur in nostram Sententiam descendere.*

§. II. Ani-

§. II. Animas decidentes cum solo Peccato Originali nullis Purgatoriis Pœnis, sive temporaneis, sive perpetuis esse plectendas asseritur.

Num. IX. *Hæretici in hac quæstione sibi invicem adversantur. Notantur varia Augustini loca, in quibus ipse quoque sibi videtur non constare. Serio ipsa quæstio perpenditur, & datur locus veritati*. X. *Refellitur Ambrosius Catharinus, qui Pueros sine Baptismo decedentes post extremi judicii diem beatitudini donat*. XI. *Quæritur utrum Animæ, quæ in Purgatorio sunt, certæ sint de sua salute? Exponitur Augustini, & aliorum PP. sententia negativa, & reprobatur Lutheri error*. XII. *Sustinetur pars affirmativa, & congrua fundamenta adduntur*. XIII. *Confirmatæ etiam sunt in gratia illæ Animæ, & Lutheranum est contrarium asserere, & omni ratiocinio vacuum*. XIV. *Sed neque mereri possunt*. XV. *Contrarium docuit Lutherus, neque desunt Theologi, qui variis argumentis hoc demonstraverint*. XVI. *Respondetur Luthero, & argumentis Theologorum*. XVII. *Neque posse orare pro nobis verissimilior sententia est, hoc enim opus Animabus Beatis reservatur, ut pluribus Auctoritatibus Scripturæ ostenditur contra Sectarios*. XVIII. *Obstant adhuc illa multa, quæ dicuntur impetrata Viventibus ab Animabus Purgatorii, verum hæc explicantur*. XIX. *Obstant etiam argumenta magni ponderis*. XX. *Sed eorum singulis respondetur*

C A P U T IV.

DE MEDIIS QUIBUS SOLVI POTEST POENA PECCATIS DEBITA PER ALTERIUS PASSIONEM, VEL ACTIONEM ALTERI CONVENIENTEM.

Quid sit Suffragium, & quotuplicis sit Speciei modo quæritur, cumque aliud operetur ex Opere Operato, aliud ex Opere Operantis, hic agitur de secundo, & ostenditur a quibus, & quomodo fieri possit, & quibus Defunctis prosit.

§. I. Possunt Fideles sese mutuo juvare ad satisfaciendum pro peccatis.

Num. I. *Hoc negant Novatores contra universalem doctrinam* II. *Quæ apud aliquos differt in modo, videlicet utrum imponendo, vel potius solvendo hæc satisfactio offeratur*. III. *Hoc secundum asseritur ut communius, & probatur tum auctoritate, tum explicatione Scripturarum, quæ videntur assertioni adversari*. IV. & V. *Duo hic notantur cum D. Thoma ad clariorem prædictorum intelligentiam*.

§. II. Solus homo justus, qui fecerit Opus proportionatum ad satisfaciendum cum intentione per illud opus satisfaciendi pro altero, potest suffragiis suis ad satisfactionem, seu remissionem pœnæ aliis prodesse.

Num. VI. *Excipiuntur suffragia oblata nomine Ecclesiæ, quæ (licet aliqui*

qui

qui dissentiant) tamen etiam si fiant a Peccatoribus, prodesse demonstrantur. VII. *Idem dicitur de illo, qui in Suffragio exhibendo se habet ut caussa instrumentalis. Exponitur Dubium.* Utrum executio Suffragii imperati habeat vim satisfactionis independenter a voluntate executoris, aut etiam quando executoris voluntas esset contraria? *Item* utrum status gratiæ requiratur in eo, qui præcipit Suffragium, quando illud actu præcipit, aut quando executioni demandatur. VIII. *Extenditur inquisitio a Suffragiis imperatis ad restitutiones, quæ post mortem fieri præcipiuntur.* IX. *Ostenditur, quare Suffragia proportionalia esse debeant ad satisfaciendum ex conditione ipsius Operis, ut est a tali Operante, & X. Additur probatio conditionis alterius superadditæ intentioni illius, qui vult cum illo opere satisfacere pro alio.*

§. III. Suffragia Ecclesiæ prosunt defunctis, sed non omnibus ad remissionem Pœnarum.

Num. XI. *Aerius hanc veritatem impugnavit argumentis petitis a Scriptura, & Patribus* XII. *Vindicantur Catholici, quibus duo opponuntur, quæ perturbant exitum Divinorum Decretorum, & ponitur vera illorum sententia circa efficaciam Orationum viventium, quæ corroboratur cum auctoritate D. Hieronymi, in quo multum confidunt Adversarii, qui tamen in illo loco, in quo citatur ab illis, agit de iis, qui mortui sunt impœnitentes. Respondetur etiam auctoritati Scripturæ, quæ ab Adversariis citatur, & reliquis eorum fundamentis, & postremo conditiones ponuntur, ut preces viventium prosint defunctis, ubi etiam obiter agitur de precibus Sanctorum, quibus Defuncti adjuvari possunt.* XIII. *Non omnibus Defunctis viventium Suffragia prosunt. Citatur Augustinus, citatur Innocentius* III. *in cap.* cum Marthæ §. *ultimo* de Missa. Celebr. *& explicatur.* XIV. *Non prosunt certe damnatis.* XV. *Utrum prosint iis, qui sine Baptismo in re suscepto decesserunt quæstio est. Exponitur diversitas Suffragiorum, quorum alia vocantur* Privata, *alia* Singularia, *& alia* Communia. *Singulare non potest omninò offerri pro Catechumeno defuncto. Commune dubia res est, particulare conceditur, & quomodo illi prosit ostenditur.* XVI. *Pro Sanctis non possunt offerri Suffragia, & nonnulla super hac re observantur.*

CAPUT V.

DE FUNERE.

Num. *Varia recensentur de Funeribus Antiquorum, & suprema illa capita notantur in quæ Heterodoxi dissentiunt ab Orthodoxis.*

§. I. Non una fuit in humandis mortuis omnium Nationum consuetudo, cum alii extra, alii intra Urbes mortuos humaverint, in hoc tamen semper convenerunt fideles omnes, ut in religioso loco defunctorum Corpora sepelirent, rituque solemni.

Num. *Usus Gentilium exponitur* III. *Traditur antiquus usus Christianorum*

rum usque ad Sæculum VIII. *& deinceps usque ad hæc nostra tempora*. IV. *Commendatur contra Sectarios usus sepulturæ defunctorum intra Ecclesias*. V. *Adversarii contrariis argumentis insurgunt* VI. *Quibus omnibus respondetur, & alia adduntur ad caussa opportunitatem*. VII. *Enumerantur illi, quibus Ecclesiastica sepultura denegatur*. VIII. *Præstabilitæ doctrinæ brevi argumento occurritur, cui brevis traditur responsio*. IX. *Nonnulla notatu digna subjiciuntur pro iis, qui excommunicati decesserunt. Explicatur* Honorii *responsum in cap.* 2. de Sacram. non iteran. *& quorumdam Principum Leges, quæ corpora semel sepulta exhumari vetant*. X. *Exponitur pompa Funeris, & Exequiarum ritus antiquissimus in Ecclesia contra Sectariorum dicteria, cui consonant Conciliaria Decreta, & Principum Constitutiones. & Orientalis Ecclesiæ praxis*. XI. *Missa etiam decantata est in Funeribus Defunctorum. Osculum defunctis datum, & Eucharistia cum Mortuis sepulta, & Oleo inuncta Cadavera*. XIII. *Sepultura Defuncti describitur* XIV. *Referuntur ea, quæ Ecclesia decrevit observanda esse in sepulturam Defunctorum. Scilicet ne sit despecta, ne Ministris Ecclesiæ quæstus, & avaritiæ causam præbeat, & ne juri Parochorum detrahat*. XV. *Sepulturæ electio permittitur, imò præferenda est Parochialis*. XVI. *Quid tamen sit in hoc casu attendendum decernitur*. XVII. *Qui possint Sepulturam eligere, & de his quibus a Lege hoc jus non conceditur, & quomodo facta electio probetur*. XVIII. *Quæstio de portione Canonica funeris resolvitur, & Quarta illius, & exceptiones traduntur*. XIX. *Parochus nihil debet exigere occasione, & prætextu Sepulturæ*. XX. *Sepulchrorum commercium vetatur quando sunt benedicta, & loca ad hunc effectum consecrata; si vero locus profanus sit emi potest in Sepulturam*. XXI. *Quod datur subsidii, & Elæemosinæ titulo Parochis, aut caussa loci honoratioris intra Ecclesiam possunt Parochi retinere*. XXII. *Anniversaria Mortuorum Majores nostri celebrarunt, & in hoc utraque Ecclesia consentit: de perpetuitate dubitavit Mabillonius, sed affirmativa opinio non paucis monumentis probatur*. XXIII. *Pro solis Fundatoribus, & Benefactoribus antiquitus Ecclesiæ Anniversaria celebrabant, paullatim etiam pro aliis. Pro Animabus Fidelium omnium semel in Anno celebrandum Anniversarium indixit Ecclesia Romana*.



TRA-

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii præconia, & audaces in ipsum querelæ improborum morum fructus. & libertinæ dicacitatis. Vera illius natura exponitur: prædicantur Symbola, & rerum illarum traditur dispositio de quibus disserendum erit.

CAPUT I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT MATRIMONIUM, ET CUR HOC NOMINE NUNCUPETUR.

§. I. Exponuntur ea, quæ cuilibet Matrimonio communia sunt.

Num. I. *Matrimonium multipliciter considerari potest, ut Contractus Naturalis, ut Contractus Civilis, & tamquam novæ Legis Sacramentum, unde triplex oritur illius definitio, & illarum qualibet discrimen ostendit inter Hominum, & Brutorum Animalium conjunctiones, & vinculum illud, quo indissolubiter copulantur homines, in quo indissolubili vinculo primaria, & essentialis Matrimonii perfectio collocatur* II. *Secundario Matrimonium perficitur in prolis generatione per Corporum commixtionem, quam Wiclephus vult pertinere ad essentiam Matrimonii. Contrarium tamen definivit Concilium Constantiense, Concilium Florentinum, & Tridentinum. Notatur Magni Leonis textus non fideliter a Gratiano relatus* 27. *q.* 3. *c.* 17. *& alia super hoc argumento adduntur, ut Wiclephus urgeatur* III. *Hic inducitur illa duplex Christi unio, quæ per Matrimonium significatur, cum Ecclesia, & cum natura humana, & ostenditur, quod ad veritatem Matrimonii prior exigitur, quæ si desit, vel illegitime fiat, quæcumque ponatur sexuum commixtio hæc non habet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum. Occurritur aliis absurdis, quæ sequerentur ex errore Wiclephi, & firmissime concluditur quod unio est secundaria, & accessoria Matrimonii perfectio* IV. *Tertia Matrimonii perfectio consideratur in Prole, quæ est præcipuus Motrimonii finis* V. *Additur alia consideratio Matrimonii in* Ratum, & Consummatum. *Explicatur tandem sensus horum verborum*. In Matrimonio Rato tota essentia Sacramenti consistit, non vero in Matrimonio Consummato, *& utriusque assertionis affertur ratio*.

§. II. Matrimonium in Lege Gratiæ verum esse Sacramentum asseritur.

Num. VI. *Acatholici huic assertioni adversantur, sed Catholici omnes conveniunt, & Scriptura id evidenter concludit. Utraque Ecclesia concordat, & ipsa ratio Theologica hoc confirmat*. VII. *Christus sanctificavit Conjugium, & gratiam nuptiis præparavit*. VIII. *Traduntur argumenta Hæreticorum, aut potius illorum Catholicorum, quos in suas partes trahunt Hæretici*. IX. *Aperitur status Controversiæ penes Catholicos antequam Ecclesia definitive pronunciaret*

ret Matrimonium gratiam conferre. Explicantur varii modi loquendi veterum Theologorum, præcipue vero Magistri Sententiarum, & Durandi, & fit justa Comparatio Sacramenti Matrimonii cum Continentia. X. *Solvitur objectio petita ex juris Canonici interpretibus.* XI. *Solvitur altera petita a Scriptura, & multa adduntur opportuna huic argumento, historiæ Ecclesiasticæ, doctrinæque PP. & definitionibus Conciliorum. Specialius etiam agitur de conditione hujus gratiæ, ut scilicet non ita clare repræsentetur ab hoc Sacramento, ut repræsentatur ab aliis, & ratio additur hujus differentiæ* XII. *Disputatur de natura Matrimonii ante Legem Evangelicam, & traditur tunc non fuisse Sacramentum. Afferuntur textus ex Conciliis, & PP. & qui videntur contrarium insinuare explicantur* XIII. *Neque Matrimonium in Infidelitate contractum fit Sacramentum si alter ex conjugibus, aut etiam ambo postea Babtismum susceperint, neque si unus fit Babtizatus quando contrahit Matrimonium, non vero alter: aut si per Procuratorem contrahatur secundum aliquos, nam contraria opinio est probabilior.* XIV. *Concluditur ex his Nuptiarum bonitas contra dissentientes, & quod concupiscentia mala fit. Virginitas, & Continentia pro Deo suscepta Nuptiis melior asseritur,*

§. III. Matrimonium licet variis nominibus propter varia Mysteria fuerit nuncupatum, tamen hoc sibi peculiare nomen retinuit ob majorem ejus significationem.

Num. XV. *Conjunctionem viri, & fœminæ variis nominibus veteres designarunt, hic præcipua recensentur, deinde ceteris nuncupationibus præfertur vox* Matrimonium *cujus traditur definitio, quæ explicatur: Occurritur difficultati, cui causam dederunt duæ aliæ definitiones Matrimonio traditæ a Theologis, & non receditur a Doctrina D. Thomæ* XVI. *De validitate Nuptiarum disseritur, quæ dependere a consensu dicitur. Utrum vero sufficiat externus, quæstio est inter Thelogos, quæ hic agitatur, & resolvitur.*

C A P U T II.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII, DE EJUS MATERIA, ET FORMA:

Num. I. *Diffidium aperitur quod est inter Theologos cum agunt de Ministro Sacramenti Matrimonii, & exponitur prudens deliberatio Benedicti* XIV. *in suo Opere de Synodo Diœcesana.*

§ I. Censura vacat Theologorum Sententia, sive solus Sacerdos legitimus Matrimonii Minister dicatur, sive dicatur hoc munus ad Contrahentes pertinere.

Num. II. *Verba Eugenii* IV. *quæ leguntur in Instructione pro Armenis perspicue concludant Ministros Sacramenti Matrimonii esse Contrahentes.* III. *Nec aliud elicitur ex Doctrina Concilii Tridentini.* IV. *Nec minus urget ratio a Bellarmino petita* V. *Additur postremo, quod Christus non novum Symbolum*

bolum instituit, sed humanum, usitatumque contractum ad Sacramentum evexit, & collatis undique variis momentis eadem assertio concluditur. VI. *Quatuor in contrarium proferuntur argumenta, & singulis respondetur.* VII. *Evaristi textus laudatur, & explicatur.*

§. II. Materia Sacramenri Matrimonii sunt Corpora Contrahentium mutuo tradita vel tradenda: Forma vero sunt Verba, vel alia signa externa æquivalentia, quibus exprimitur internus consensus eorumdem corporum mutuæ traditionis, & translationis.

Num. VIII. *Laudatur D. Thomas qui banc sententiam tuetur: citantur ejus Verba, quibus omnis ambiguitas tollitur ex notata analogia quæ reperitur inter Sacramentum Matrimonii, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.* IX. *Additur Ecclesiæ lex in certis constitutis gradibus Affinitatis, & Consanguinitatis, intra quos nuptiæ prohibentur, & ex hac confirmatur quod Corpora Conjugum sunt Materia Sacramenti Matrimonii.* X. *Subtilior Theologorum inquisitio respicit formam, cum non pauci velint in his verbis contineri:* Ego conjungo vos in Matrimonium &c. *Horum tamen Theologorum sententia improbatur gravissimis fundamentis, sine offensa Tridentini Concilii, cujus mens, & verba explicantur.* XI. *Et absque eo quod videatur adversari etiam Concilio Florentino, ut efficaciter probatur.* XII. *Neque Auctoritatibus SS. Patrum, cum nullum illorum laudent Adversarii pro sua sententia, aut si aliquis laudatur intelligendus est de Ministro, & forma solemnitatis, non quo ad substantiam.*

C A P U T III.

DE MATRIMONII UNITATE.

Num. I. *Variæ, & singulæ ineptæ recensetur opiniones excogitatæ contra unitatem Matrimonii, quæ rejiciuntur, & ponitur.*

§. I. Biviratus, & Polygamia Juri naturali Divino, & positivo repugnant, & fuerunt duæ res semper illicitæ.

Num. II. *Agitur de Jure Naturali positivo Divino in genere, & ex ejus Principiis ostenditur Biviratus huic Legi contrarius.* III. *idem ostenditur contra defensores pluralitatis uxorum* IV. & V. *Argumentis a Veteri, & Novo Testamento petitis, & SS. PP. auctoritate firmatis: & Conciliorum Decretis eadem Assertio corroboratur.* VI. *Exponuntur contrariæ sententiæ argumenta, cui sententiæ favere videntur Augustinus, Theodoretus, & antiquus Patriarcharum Hebræorum, & Gentilium usus.*

§. II. Pluralitas Uxorum Deo dispensante aliquando licita fuit.

Num. VII. *Huic Assertioni favet D. Thomas, ex quo petitur primum probationis fundamentam* VIII. *Agitur de Polygamia Patriarcharum, & de Divina*

d 2 *dis-*

dispensatione, utrum, & quando contigerit, & quomodo: utrum externa aliqua scriptura, aut locutione, vel potius interna inspiratione. IX. *Ostenditur neque Innocentium* III. *in cap.* Gaudemus *de Divortiis, neque alios, qui laudari possent Auctores, refragari huic Divinæ dispensationi propter varias caussas, quæ hic recensentur.* X. *Quare Concubinæ appellarentur hæ uxores. Agitur de hoc argumento quantum nostra interest. Opponuntur aliæ minoris Momenti difficultates, & singulis respondetur,*

§. III. Christus in Evangelica Lege Matrimonium in Viri, & Mulieris unitate constituit.

Num. XI. *Mulier superinducta ejusdem viri uxor esse non potest, & Scriptura testimonia afferuntur.* XII. *Additur textus in* 1. *ad Corinth. cap.* 7. XIII. *Neque Adulterium uxoris hanc Christi Legem immutare convincitur. Affertur textus Augustini, qui hoc luculentissime probat.* XIV. *Ostenditur discrimen inter veterem, & novam Legem. Laudatur Nicolaus Papa in cap.* Annon. 24. *q.* 3. *Refelluntur ea quæ de Valentiniano narrantur. Constantius, & Lutherus Polygamiæ defensores. Concilii Tridentini sententia, & praxis Ecclesiæ ponitur in eo, qui venit ad Christum ex infidelitate, si plures habeat uxores.* XV. *Antiqua consuetudo exponitur de viro repudiante uxorem ob Adulterium, & non e contrario, & afferuntur varia PP. & Theologorum sententiæ, & Pœnitentiale Romanum tit.* 3. *de Fornicatione.* XVI. *Origenes auditur quomodo Episcopos illos excuset, qui contra Scripturam permiserunt dimissis Adulteris, alias uxores ducere. Vindicatur Auctor Commentariorum in Epistolas S. Pauli, & laudatur verus Ambrosius, cui consonat* II. *Gregorius, cujus auctoritas explicatur; itemque Pœnitentiale Romanum, & singularis Cajetani sententia.*

§. IV. Secundæ Nuptiæ, aut ulteriores jure Divino non probantur illicitæ, neque irritandas esse prætextu Divini juris contra Acatholicos asserimus.

Num. XVII. *Montanistæ, & Novatiani secundas Nuptias reprobarunt. Illis e contra objicimus Scripturam tum veterem, tum novam his Nuptiis favere, quibus etiam arrisit Augustinus, & Concilii Niceni* I. *Patres easdem contra Catharos commendarunt. Instant nihilominus Adversarii. & variis argumentis suam sententiam tuentur.* XVIII. *Explicantur Patrum dicta, quæ recensentur in Argumentis Adversariorum.* XIX. *Origenes explicatur, dum asserit Digamos de Ecclesia non esse, nec eosdem partem habere in Regno Dei. Explicatur etiam quomodo dicatur, quod Ecclesia secundis Nuptiis benedictionem non impertitur. D. Thomas laudatur.* XX. *Examinantur preces, quæ ponuntur in Euchologiis Græcorum, & recitantur in secundis Nuptiis.* XXI. *Vindicatur Apostoli auctoritas, quam pessime interpretatur Tertullianus postquam Montano adhæsit, nam Tertullianus Catholicus cum Catholicis bene sensit de secundis Nuptiis, & Consilium agnovit in Apostoli verbis, quod Viduæ novas non inirent Nuptias; Præceptum vero si nubant, ut in Domino nubant. Vindicatur etiam Hieronymus quod Bigamiam permiserit, non ut rem malam, sed ut rem minus bonam.* XXII *Exponitur Judicium de sententia aliorum PP. & ratio cur aliquando videatur aliena a communi doctrina.*

Græci

Græci quartas Nuptias omnino reprobant, & Filios ex his procreatos habent illegitimos, & pœnis pollutorumſchortationis ſordibus ſubjiciunt. Eccleſia Latina Bigamos arcet a Sacris Ordinationibus. Nonnulla alia hic adduntur ad opportunitatem, quæ ſcire oportet, ut antiqua, & recens Eccleſiæ praxis cognoſcatur.

C A P U T IV.

DE MATRIMONII FIRMITATE.

Num. I. *Indiſſolubilitatis Matrimonii Origo traditur, & ſequentibus propoſitionibus via aperitur.*

§. I. Matrimonii ſemel contracti Vinculum niſi mors unius Conjugis interceſſerit, penitus indiſſolubile eſſe, Divinum, & Naturale jus invictè probant.

Num. II. *Propoſitio complectitur quodlibet Matrimonium, ſive legitimum, ſive Ratum, ſive Conſummatum, quorum differentiæ notantur, & quorum indiſſolubilitas probatur ex Novo, & Veteri Teſtamento, & ex Innocentio* III. *in cap.* Gaudemus *de Divort:* III. *Adduntur fundamenta, quæ ſuppeditat Jus Naturæ, & colligit S. Thomas in lib.* 3. *contra Gentes cap.* 122. *in* 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. *& in p.* 3. *q.* 67. *a.* 1. *adduntur alia petita ex Jure Romano, & præcipuum illud, quod petitur ex ſignificatione ejuſdem Matrimonii.* IV. *Accedunt argumenta contrariæ Sententiæ.* V. *Reſpondetur his Argumentis, poſtea notatur, quod ſolus Deus naturæ Auctor in gratiam Chriſtianæ Religionis uxorem a viro ſeparat, quam ante Viro conjunxerat.* VI. *Hanc Doctrinam nobis reliquit Apoſtolus, cujus verba recenſentur. In quo vero momento temporis hæc diſſolutio contingat exponitur, & ita pariter, quid ſit agendum in variis caſibus, qui poſſent contingere: deinde indicatur caſus Matrimonii Rati, & Conſummati.*

§. II. Solemnis Profeſſio Religioſa facta in Religione approbata, & diſpenſatio Pontificia dirimit Matrimonium ratum, quod ſi fuerit conſummatum cum a nulla cauſſa, tum præcipuè a fornicario concubitu non dirimitur.

Num. VII. *Agitur hic de Matrimonio fidelium, quod poteſt conſiderari, vel ut Ratum tantum, vel ut Ratum, & Conſummatum, & quod Profeſſio Religioſa illud dirimat ex nullo alio capite demonſtratur, quam ex Apoſtolica Traditione* VIII. *A ſolo Deo hoc jus Profeſſioni Religioſæ concedi poterat, & hoc eruitur ex canone Tridentini Concilii, qui eſt ſextus Seſſ* XXIV. *in quo dicitur* de fide eſt Matrimonium Ratum ſolvi per Profeſſionem, *& communis eſt Sententia* IX. *Id autem fit non reluctante Lege Naturæ, & efficaciter demonſtratur. Agitur de tempore, quod ad deliberandum de meliori ſtatu conceditur Conjugatis, & de libertate Conjugis qui manet in Seculo, ut poſſit novas Nuptias con-*

contrahere. X. *Hic agitur de Professione Religiosa, cui tanta vis, conceditur ut Matrimonium ratum dissolvat. Comparatur textus in canone* scripsit 27. *q*. 2. *qui est Nicolai* I. *cum verbis Gregorii Magni in Epistola* 39. *libri* 9. *& ostenditur convenientia: Neque sibi contradicit Gregorius, videlicet iis, quæ leguntur in cap.* Decreta legalia 27. *q*. 2. *cum in uno loco agat de matrimonio consummato, & in altero de matrimonio Rato, & propterea merito se opponit Legibus Civilibus, quæ matrimonia consummata dissolvebant, ut constat ex Novella* 23. *Justiniani cap*. 40. *& alibi*. XI. *Ab historiis nostra Assertio confirmatur, & licet Exempla, quæ proferuntur pertineant ad illa tempora, quando Religiosa Professio in modo a præsenti differebat, non differebat tamen in Substantia; unde Adversariorum Caussa non sit melior, ut latius ostenditur*. XII. *Ex recentiori praxi Professio Religiosa debet esse Solemnis, ut dirimat Matrimonium, & in Religione a S. Sede approbata fieri debet*. XII. *Præter Professionem Religiosam, ipsa Pontificia Auctoritas potest occurrentibus justis, & legitimis caussis Matrimonia Rata dirimere, vel in Voto Castitatis perpetuæ dispensare cujus Dispensationis assignantur tum Fundamenta, tum Exempla* XIII. *Sine caussa R. Pontifex non dispensabit; quænam vero sint futuræ hujusmodi Caussæ Pignatellus exponit. Non tamen inde sequitur, quod etiam aliqua earum interveniente Pontifex dispenset. Negatæ dispensationis exempla traduntur*. XIV. *A Matrimonio Rato ad Matrimonium Consummatum fit transitus, & examinatur Caussa fornicationis, utrum hæc sufficiat ad Matrimonium solvendum, & resolvitur negative* XV. *Recensentur momenta quibus videretur inniti sententia contraria*. XVI. *Ostenditur, quod ipsi Adversarii non valent definire tempus, quo per Adulterium alterius Conjugis Matrimonium dirimatur. Examinantur Apostoli Verba* 1. *ad Cor*. 7. XVII. *Oporteret contraria fieri vera, quod implicat*. XVIII. *Ex Christi responsione non eruitur, quod Adversarii contendunt*. XIX. *Confirmatur hoc ex Patrum explicationibus, qui omnes Christi verba eodem modo sunt interpretati, quod si aliqui in oppositam abierunt sententiam, ideo est, quia primitiva Ecclesia ab hac quæstione abstinuit, sed vix orta est, quod statim Patres, & Concilia Matrimonio consummato faverunt, & hujus rei plura monumenta traduntur, in quibus non disciplina, sed Dogma attenditur, ad quod pertinet ipsa Controversia. Indicatur controversia inter Græcos, & Latinos, sed unaquæque Ecclesia in suo more perseveravit. Hoc autem Ecclesia Latina a Græcis obtinuit, quod ad suos Pastores hujusmodi Caussæ deferrentur, & non Marte suo Matrimonia dirimerent Mariti. Iterum Christi responsio perpenditur, & illius doctrinæ redditur ratio. Launojus hallucinatur. Lutherani, & Calvinistæ Anathemate feriuntur Erasmus sententiam corrigit, & Apostolus Paulus nostram tradidit assertionem* XX. *Caussa igitur Matrimonii gravissima*. Non expediet nubere. XXI. *Huic argumento respondetur, & ex commodis Nuptiarum ostenditur, quod Caussa hominis cum uxore talis non erit, ut non expediat nubere*. XXII. *Sed onera displicent a Conjugatis ferenda, & illa præsertim, quæ D. Hieronymus refert Comment. in* 19. *Matth. verum ostenditur quomodo etiam his malis occurri possit, & interim nonnulla observantur in responsione, quam Christus dedit Pharisæis, ut regula petatur in aliis casibus*. XXIII. *Quid per fornicationem intelligatur exponitur, & quid sit agendum si casus contingat, quod alteruter Conjugum sit reus ejusdem Criminis. Regula, & praxis traditur etiam pro aliis casibus*. XXIV. *Agitur de Separatione, quo ad Thorum, & cohabita-*

rationem, & quomodo fieri debeat XXV. *In Caussa Divortii Vir, & Mulier ad paria judicantur.* XXVI. *Etiam desiderio vitæ Sanctioris possunt Conjuges separari, vel in perpetuum, vel ad tempus. Casus recensentur, in quibus Divortia fieri prohibentur ab Ecclesia Romana. Agitur de more Hebræorum super hoc argumento.*

C A P U T V.

DE CONDITIONIBUS AD CONTRAHENDUM MATRIMONIUM REQUISITIS.

A natura Contractus hæ conditiones nascuntur, & tres recensentur. Sponsalia, Proclamationes, & Parentum consensus.

§. I. Laudabilem morem præmittendi Sponsalia Matrimonio, non modo non reprobavit Ecclesia, sed retinuit, & commendavit.

Num. I. *Definiuntur Sponsalia. Nomen, & rem ipsam sub nomine contentam veteres diversimode usurparunt, & explicarunt. Afferuntur illustriora dicta, & Florentini definitio probatur.* II. *Agitur de modo, & solemnitate Veterum Sponsalium, quæ communiter a J. C. concipiebatur.* III. *Non adversatur hodiernis moribus, quod Sponsalia fiant a J. C. aut a Parentibus filiorum, præsertim impuberum, a quocumque vero fiant, ipsi Sponsi expresse, vel tacite consentire debent.* IV. *Aetas Sponsalium quanta esse debeat definitur, & abunde agitur de Sponsalibus impuberum.* V. *Variæ sunt Sponsalium species, & singulæ ad tres referuntur, & celebrantur per verba futuri temporis. Ponitur casus Sponsalium per verba præsentis temporis, super quo variæ sunt sententiæ DD. Agitur de necessitate repromissionis, saltem implicitæ, cujus nonnulla exempla exhibentur. Etiam inter absentes possunt fieri Sponsalia, sive per litteras, sive per Procuratorem, cui mandatum revocatum non fuerit, & demum agitur de Stipulatione pœnali.* VI. *Cujuslibet Promissionis natura promittentem obligat stare promissis, & sic promittens aliquam in uxorem accepturum, debet Matrimonium cum illa contrahere, & fractor promissionis mortaliter peccat, etiam si postea juraverit se aliam ducturum; non est tamen necesse, ut Sponsalia statim adimpleantur, præsertim si Sponsalia essent conditionata, quod potest contingere multipliciter. Conditio quando sustineatur inquiritur, & quando irrita reddat Sponsalia.* VII. *Sponsalia quæcumque dissolvi possunt, etiam jurata, etiam solutis Arrhis, quarum occasione nonnulla observantur.* VIII. *Caussæ numerantur quibus pactis sponsalia, vel non dissolvuntur, vel possunt dissolvi.* IX. *Solvitur quæstio quando dubitatur de mutuo consensu ratione fictæ promissionis per sola verba sine intentione promittendi, aut etiam se obligandi; vel quando is, qui promittit animum habet se obligandi, non tamen implendi promissa, exclusa quacumque ignorantia.* X. *Non semper si unus resilit a Sponsalibus, alter tenetur resilire* XI. *Quando in dissolutione Sponsalium requiratur sententia Judicis, & quædam alia specialiora exponuntur.*

§. II. Si-

§. II. Sine præviis Proclammationibus Matrimonia iniri non debent; non ita tamen necessariæ sunt, ut earum defectu Nuptiarum Contractus irritus sit.

Num. XII. *Matrimonia debent publicari: quando hæc lex cœperit, & varia super hoc adnotantur*. XIII. *Quid sit sentiendum de Matrimonio non præmissis denunciationibus contracto, sed tamen celebrato, vel coram Parocho, & testibus, vel in præsentia viciniorum, & Populi; utrum scilicet vocari debeat Clandestinum, quo ad pœnas incurrendas. Citantur duæ Sententiæ, & resolvitur pro affirmativa, notatis tamen quibusdam casibus relative ad Pœnas incurrendas a Parocho*. XIV. *Praxis exponitur faciendarum Denunciationum, & quantum temporis intercedere debet ab ultima denunciatione ad celebrationem Matrimonii; in his autem difficultatibus opus est Consilio Episcopi, ut totum rite perficiatur*. XV. *Ad ipsum etiam Episcopum deferenda est Caussa dispensationis a Denunciationibus. Variæ super hoc fuerunt Theologorum sententiæ, indicantur singulæ, & præfertur sententia S. Antonini*. XVI. *Præter Episcopum, nullus alius, licet insignitus dignitate, quasi Episcopali, hoc jure gaudet dispensandi in Denunciationibus, extendunt aliqui hanc facultatem Vicario Generali Episcopi, & Vicario Capitulari vacante Sede. Negotium dispensationis magna indiget providentia, ne locus detur Matrimoniis Clandestinis. Ipsi Heterodoxi in suis Ordinationibus maxime caverunt ne aliter consisterent Nuptiæ, quam si tribus publicis proclamationibus Connubiale pactum consummaretur* XVII. *Sine Proclamationibus Matrimonia tamen valide contrahuntur*. XVIII. *Qui sciunt Impedimenta revelare tenentur exceptis quibusdam casibus, qui hic recensentur cum Denunciationes hac mente Ecclesia præceperit, ut hæc impedimenta aperiuntur*.

§. III. Ad ineundum Matrimonium tenentur filii consensum a Parentibus petere ne sint læthalis culpæ damnandi.

Num. XIX. *Omni Auctoritatum genere convincitur fuisse necessarium Parentum consensum in Matrimoniis filiorum usque ad* XI. *Sæculum*. XX. *Narratur, quid contigerit in Concilio Tridentino in examine hujus quæstionis*. XXI. *Libertatis prætextus importune reponitur*. XXII. *Incommoda recensentur, quæ oriuntur, si filii invitis Parentibus impatia contrahant conjugia hujus libertatis præsidio*. XXIII. *Etiam Sacri Canones hunc Parentum consensum exquirunt, & Episcopis imponunt, ut de medio tollant, & impediant filios, ne Patre inconsulto audeant Matrimonia contrahere, quanquam juramentum præcessisset; imò Stuprum, si ex his Matrimoniis infelix exitus timeatur*.

CA-

C A P U T VI.

DE IIS, QUAE VITARI DEBENT, UT MATRIMONIUM LICITE, ET VALIDE CONTRAHATUR.

Num. I. *Quocumque modo Matrimonium consideretur illi obstare non pauca solent, hac vero, quæ illi obstant vocantur* Impedimenta, *quæ duplicis sunt generis, & singula recensentur. A quo vero fonte proveniant inquiritur, & definitur.*

§. I. Ea nobis planior, & expeditior sententia videtur, quæ dicit Principes Sæculares per se loquendo, & attenta præcise potestate Regia posse statuere impedimenta Matrimonii: attento tamen præsenti rerum Statu non posse.

Num. II. *Exponuntur fundamenta quibus prima pars nostræ assertionis innititur.* III. *Ex aliis Monumentis probatur secunda pars, unde oritur.*

§. II. Ecclesia a primis temporibus constituit Impedimenta Matrimonium dirimentia, eodemque jure IV. ante Concilium Tridentinum Sæculis pacifice, & nemine repugnante usa est.

Num. IV. *A temporibus Apostolorum Ecclesiam hac potestate usam esse tum ab Apostolo, tum ex variis Conciliorum sanctionibus erudimur, quæ hic notantur.* V. *Adduntur decurrentium temporum monumenta, ut ulterius eadem veritas demonstretur petita ex Decretis Rom. Pontificum, & insequentium Conciliorum usque ad tempora Tridentini Concilii.* VI. *Exponitur Sententia Launoii, & prava illius explicatio nominis* Ecclesia, *quo utuntur Tridentini Patres in suo Decreto, & in canone* 12. *Sess.* XXIV. VII. *Progreditur idem argumentum, & efficacius urgetur Launojus, & jus dignoscendi caussas Matrimoniales soli Ecclesiæ & solis Episcopis vindicatur.* VIII. *Explicatur sensus illarum precum, quibus Ecclesia aliquando postulavit, & permisit suos in Caussis Matrimonialibus Canones a Principibus Laicis confirmari, & inde fit transitus ad leges illas considerandas, & limites, quibus Nuptiæ circumscribuntur.*

§. III. Error in Persona, Impotentia perpetua, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, non vero alterutra Cognatio tam Spiritualis, quam Legalis, (quibus additur Affinitas cum publicâ honestate) & Ligamen contrahere Nuptias vetant, & contractas irritant, attento jure naturæ.

Num. IX. *Non repugnat simplicitati Contractus Nuptialis, quod hic Contractus a diversis legibus dirigatur, & quod error hunc contractum dirimat, qui tantum, & qualis esse debeat ostenditur.* X. *Accedit Errori* Conditio, *cujus plures species traduntur, & explicatis iis, quæ Matrimonium dirimunt.* XI. *Demonstratur, quod conditio servandæ Castitatis, Matrimonium non dirimit, qua de re agitur de Matrimonio Virginis cum S. Joseph, contra quod, licet*

variæ afferantur difficultates, tamen XII. *eisdem Occurritur*, *&* XIII. *Variæ exponuntur opiniones de hoc argumento agentes, & tutior eligitur, quæ Conjugii veritatem cum voto Virginitatis perpetuæ stare posse tuetur. Neque hinc inferri debet* XIV. *Perperam inter impedimenta Matrimonii*, Votum *recenseri, & quidem inter impedimenta illa, quæ dirimunt Matrimonium jure naturali, & Divino, nam non satis constat num Matrimonia cum hujusmodi Viris, & Virginibus Voto Castitatis obstrictis semper fuerint Matrimonia, non tantum illicita, sed etiam invalida, ut in pluribus demonstratur; præter quam quod* XV. *Non sustinetur communiter, quod Votum Castitatis naturali jure dirimat Matrimonium, sed tantum jure Ecclesiastico, & id multiplici ratione demonstratur*. XVI. *Agitur de* Impotentia, *& de duplici ejus specie, & præcipue de illa quæ dirimit Matrimonium, cujus varii casus excipiuntur*. XVII. *Utrum* defectus ætatis, *aut* gravis Senecta *hujus Impotentiæ impedimentum inducat ex lege naturæ? Ubi aliqua consideratione digna notantur, post quæ* XVIII. *Resolvitur quæstio affirmative tam pro senibus, quam pro impuberibus, si eorum ætas in viro non excesserit annum* 14. *& in fœmina annum* 12. *non superaverit*. XIX. *Ad examen revocatur* Impedimentum Consanguinitatis *in primo gradu lineæ rectæ. Definitur Consanguinitas, & explicatur unde Stipes, unde lineæ, & unde gradus accipiantur*. XX. *Tres regulæ assignantur, quarum ope varii gradus Cognationum dignoscuntur*. XXI. *Explicatur hæc loquendi formula*, quo gradu (*agitur de linea transversali*) remotior distat a Stipite, eodem distant personæ inter se. XXII. *Consanguinitatis Impedimentum a jure naturæ non prodire in linea recta variis fundamentis ostenditur. Sed contrarium docent Romanæ Leges, Saculi sapientes, & Patres Ecclesiæ. Verum tamen est, quod ultra primum gradum hæc prohibitio non extenditur in vi juris naturalis, & multipliciter hoc probatur*. XXIII. *Idem vero non esse dicendum si agatur de primo gradu in linea transversali probabilius declaratur, & asseritur hoc impedimentum in primo gradu ortum habuisse a Legibus positivis. Explicantur Exempla a Scriptura petita*. XXIV. *Adducuntur Conciliaria Decreta, & Rom. Pontif. auctoritates, quæ stabilitæ Sententiæ favent. Agitur de Gestis in Concilio Lateran.* IV *& de praxi Græcorum*. XXV. *Ab eodem jure Ecclesiastico, & civilibus Legibus nata sunt impedimenta* Cognationis Spiritualis. *Unde hæc Cognatio oriatur quæritur, & quando recensita fuerit inter impedimenta. Quot olim fuerunt illius species. Quid statuerint Tridentini Patres*. XXVI. *Varia notantur ad hoc ut Spiritualis Cognatio contrahatur, & Personæ recensentur, quæ vel arcentur, vel admittuntur ad suscipiendos in Baptismo Infantes, aut dum Sacro Chrismate inunguntur*. XXVII. *Exponuntur gradus harum Cognationum, utrum multiplicentur, & quam pœnam incurreret, qui sine impetrata dispensatione cum hoc impedimento Matrimonium contraheret*. XXVIII. *Disputatur de* Cognatione Legali, *de differentia inter Adoptionem, & Adrogationem, & quomodo hoc impedimentum extendatur. A Legibus Romanis ortum habuit, quas Nicolaus* I. *confirmavit, idque* XXIX. *Ex eo probatur, quod in Corpore Juris nullus alius textus reperiatur, qui de hoc impedimento agat*. XXX. *Expenduntur varii Casus, ut innotescat quando locus est huic impedimento*. XXXI. *Exponitur linea Cognationis Spiritualis*. XXXII. *Notantur lineæ Cognationis Legalis*. XXXIII. *Quid sit* Affinitas, *& illius differentia in Jure Civili, & Canonico, & quandiu oper illi contrahatur impedimentum. Caret gradibus per se, nam hi mensurantur a gradibus Consanguinitatis*. XXXIV. *Antiquum Systema de variis spe-*

speciebus Affinitatis exponitur, quod fuit commutatum in Concilio IV. *Lateranensi.* XXXV. *Affinitas in jure novo est duplex altera ex copula licita, altera ex copula illicita. Utriusque gradus numerantur juxta legem præstabilitam* XXXVI. *Controversia dirimitur unde habeat Affinitas, quod dirimat Matrimonium. Nimirum hoc impedimentum Legi naturæ non deberi, ut probatur ex multis documentis, & ex responsione difficultatibus Adversariorum.* XXXVII. *Idem ostenditur si Affinitas sit in primo gradu lineæ transversalis. Explicatur historia Evangelica de Herode a S. Jo. objurgato, & ea explicantur, quæ a Josepho, & ab Egesippo narrantur &c. Disseritur de Matrimonio Henrici* VIII. *cum relicta sui Fratris, de moribus Gentium, & de Gestis Apostoli contra Corinthium incestuosum.* XXXVIII. *Hic sermo fit de Impedimento* Publicæ honestatis: *quomodo oriatur; & ad quas Personas extendatur.* XXXIX. *Casus aliqui excipiuntur, aut saltem non conveniunt Theologi, & J. Interpretes in iis, quæ dici solent. Excipitur etiam casus Matrimonii rati, sed nondum consummati, & in hoc omnes conveniunt.* XL. *Respondetur cuidam canoni, qui perperam attribuitur cuidam Benedicto: itemque Resdonsum vindicatur Alexandri* III. *in* 2. *cap.* de sponsalibus *primæ Collectionis, & recensetur casus illius Matrimonii, quod aliquis sponsus contraheret cum Consanguinea suæ Sponsæ in* 1. *gradu, cum qua Matrimonium consummaverat.* XLI. *Agitur de impedimento* Ligaminis XLII. *Maritus incertus de morte uxoris quomodo se gerere debeat inquiritur, & quando illi licitum erit ad alias nuptias transire.* XLIII. *Respondetur difficultatibus, & potissimum Decreto Archiepiscopi Eboracensis* XLIV. *Opinio probabilis Mortis Conjugis non sufficit ad contrahendum novum Matrimonium.*

§. IV. Neque naturali, neque positivo Divino, sed solo Jure Ecclesiastico, aut Consuetudine sancitum est invalida esse illa Conjugia, quibus caussam dederunt, aut Crimen, aut Raptus, aut quævis altera falsa Religio nomini Christiano contraria.

Num. XLV. *Criminis quatuor casus definiuntur a Sac. Canonibus in quibus conjugia prohibentur.* XLVI. *Alii casus notantur, ut innotescat an rata haberi debeant conjugia* XLVII. *Aliæ circumstantiæ observatione dignæ indicantur* XLVIII. *Subjiciuntur aliæ observationes.* XLIX. *Additur quarta consideratio, & eadem.* L. *Dicitur, quod etiam Uxoricidium Conjugis deprehensæ in Adulterium dat locum impedimento Matrimonii contrahendi, non vero dirimit Matrimonium contractum: & advertitur, quod solum Jus Ecclesiasticum hoc crimen homicidii inter Impedimenta recensuit.* LI. Raptus *etiam inter Impedimenta locum habet quia adversatur libertati, & consensui legitime requisito in Nuptiis, & hoc quoque Impedimentum Ecclesia instituit, nam ante* IV. *Sæculum validæ erant hæ Nuptiæ . postea vero invalidæ, & irritæ. Plura contra Raptum statuerunt Imperiales leges, & Ecclesiæ Canones, quæ hic recensentur; sed præsertim Concilium Tridentinum, cui in omnibus est parendum.* LII. *Enumerantur casus, & conditiones illius Raptus, qui non constituit Impedimentum. Agitur de Praxi Galliarum si Raptus contingat, & de pœnis Canonicis, quibus Raptores subjiciuntur, quæ & quales sint indicatur.* LIII. *Hic ad examen deducitur universa materia* Disparitatis cultus, *& quæritur in quo consistat, a quo fuerit inter impedimenta introducta, & quando, an congruenter. Demum revocatur ad trutinam Matrimonium inter Baptizatam, & Catechumenum; & Mulieris fidelis cum hæretico, sed de hoc in sequenti* §.

e 2 §. V. Etsi

§. V. Etsi matrimonia Catholicorum cum hæreticis illicita sint, tamen neque a Jure Divino prohibita esse, neque si contrahantur cum forma a Tridentino Concilio præscripta, asserimus invalide esse contracta.

Num. LIV. *Caussa traditur cur Ecclesia hujusmodi Matrimonia prohibuerit. Non vero illa irritaverit.* LV. *Probatur ex pluribus Sacris Canonibus. Laudatur S. Thomas, confutatur Cabassutius. Norma traditur a Benedicto* XIV. *Præscripta pro validitate harum nuptiarum, quæ fiunt ab Hæreticis inter se, aut a Catholicis cum Hæreticis in Provinciis Fœderatis, & an aliis in locis intra Germaniam sit extendenda perpenditur.* LVI. *Sed quid dicendum, si hæc Matrimonia extra Germaniam contrahantur non servata forma Tridentini Concilii, & non impetrata a Pontifice venia? Casus varii qui possunt accidere considerantur, & pro nullitate Matrimonii resolvuntur.* LVII. *Resolvitur ille Casus in quo sponsus Hæreticus domicilium ex industria ad tempus mutat, & migrat ad Regiones in quibus Concilii disciplina recepta non est, & ibi mulierem Catholicam sumit uxorem, quæ neque invita, neque seducta consentit.* LVIII. *Fit transitus ad impedimenta Impedientia, enumerantur singula, & de unico tantum, cum reliqua facile ad dirimentia referantur, examen proponitur, quod vocatur* Ecclesiæ interdictum.

§. VI. Tridentini PP. non ut novos mores inducerent, sed ut antiquis hærerent dispositionibus, quibusdam urgentibus Caussis nonnulla Matrimonia celebrari prohibuerunt, ita tamen, ut celebrata, quamvis illicita, non dirimerentur.

Num. LIX. *Multiplex interdicti species traditur, præsertim vero illa quæ indicitur a Concilio Tridentino, cui temere adversantur Novatores. Cum itaque Tridentini PP. prohibeant solemnitates Nuptiarum, primo quæritur in quo hæ consistant, postea vero.* LX. *Non prohiberi omnia Conjugia ostenditur.* LXI. *Modo additur illud interdictum quod a Judice Ecclesiastico dimanat, & certas Personas respicit, saltem ad tempus, & quæritur utrum ab hoc interdicto Matrimonium irritetur. Afferuntur duæ extremæ opiniones. Videtur probabilior sententia Glossæ in conciliatione jurium, quibus illæ innituntur. Basilius Pontius laudatur, & illius temperamentum non repellitur.*



CA-

C A P U T VII.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

Num. I. Unde originem habuit usus Dispensationum Matrimonialium exponitur, & ordo rerum quærendarum.

§. I. Jus invaluit, & Generali disciplina receptum est, ut pro dispensationibus obtinendis super impedimento Matrimonii, solus Pontifex Maximus adiri communiter debeat, ac possit.

Num. II. *Qui potest impedimenta ponere ille potest in iisdem dispensare. Quæ fuerit dispensationis caussa. Desinente Sæculo* VI. *Primus fuit Magnus Gregorius, qui jure suo usus est dispensandi cum Anglis in tertio gradu consanguinitatis, quem postea alii secuti sunt. Post* IV. *ut nuberent Germanis concessit Gregorius* II. *Sæculo* VIII. III. *Christianus Lupus corrigitur, & plura adduntur, quæ probant quod asseritur, etiam contra Launojum, qui vult quod Sæculi Principes ante Sæculum* VI. *circa impedimenta hæc dispensaverint.* IV. *Ex variis Sanctionibus Canonicis clare ostenditur quod Episcopi super impedimentis Matrimonii dispensare non possunt. Explicantur verba Concilii Tridentini. Ludovicus Dupin castigatur. Etiamsi dispenset sine causa R. Pontifex illicita est, sed valida dispensatio.* V. *Solet R. Pontifex Nuntiis, seu Legatis Apostolicis speciales facultates concedere dispensandi in impedimentis Matrimonii. Episcopi etiam aliquando hanc facultatem habent ab usu, aliquando a jure, & Usus indicatur, & conditiones numerantur, quæ requiruntur.*

§. II. Sine causa, illegitima est dispensatio, & subreptitia, si non exprimantur ea, quæ exprimi debent, super quocunque impedimento ipsa dispensatio petatur.

Num. VI. *Caussæ recensentur quæ dispensationi prosunt.* VII. *Si una ex prædictis caussis non sufficiat plures allegantur* VIII. *Extenditur inquisitio ad casus speciales, & explicatur extensio dispensationis, & qualitas Personarum quibus communiter conceditur.* IX. *Exponitur praxis petendæ dispensationis, ut innotescant ea, quæ narrari debent, & series narrationis.* X. *Quomodo impedimentum exponi debeat, & qui ordo servandus sit ne subreptitia evadat dispensatio* XI. *Uberius hæc regula explicatur* XII. *Aperienda quoque est carnalis copula, sed quæ, & quando.* XIII. *Dispensatio super impedimento Affinitatis quomodo petatur.* XIV. *Quomodo super Impedimento Publicæ honestatis* XV. *Quomodo super impedimento Cognationis spiritualis* XVI. *Quomodo super impedimento Criminis.*

§. III. Explicatur Clausula: *si preces veritati nitantur*, & tempus statuitur quo Caussæ veritas Dispensationi suffragatur.

Num. XVII. *Error potest esse varius propter varietatem caussarum, & super hoc nonnulla notantur, præsertim vero notatur vis erroris, aut falsitatis cir-*

circa Caussam motivam, seu finalem, seu principalem XVIII. *Agitur de vi falsitatis circa caussam impulsivam*. XIX. *De errore in Nomine, & Cognomine*. XX. *De errore in Nomine Diœcesis, aut Nomine Patriæ Oratorum, & quid sit sentiendum de impetrato Rescripto?* XXI. *Et postremo de errore circa impedimentum ipsum, aut gradum, cum nonnullis limitationibus*. XXII. *Indicantur illa tempora, in quibus caussæ veritas Dispensationi suffragatur*. XXIII. *Perpenditur an caussa finalis Dispensationis necessario vera esse debeat eo tempore, quo Roma expediuntur litteræ Dispensationis*. XXIV. *Cessante caussa finali nulla est Dispensatio, & hoc in variis casibus explicatur*. XXV. *Proponitur singularis casus, nimirum quando caussa finalis cessat post ipsam Dispensationem, sed ante matrimonium contractum, & variis præmissis* XXVI. *Resolvitur casus* XXVII. *Respondetur nonnullis difficultatibus*.

§. IV. Traditur Praxis supplicationis pro impetranda dispensatione pro foro externo in forma ordinaria super impedimentis Matrimonium dirimentibus, & agitur de executione Litterarum Apostolicarum.

Num. XXVIII. *Tribunalia indicantur, a quibus dispensationes expediuntur*. XXIX. *Quinque illa sunt, quæ in formula supplicationis notari debent, & duo ponuntur exempla*. XXX. *Indicatur quinam esse soleat Executor litterarum Apostolic.* XXXI. *Agitur de facultatibus hujusmodi Executorum, & de ipsis Litteris Apostolicis, ut Papæ voluntas cognoscatur* XXXII. *Si in precibus erratum fuisset, modus additur remedii inquirendi* XXIII. *Agitur de Rescripto* in forma Pauperum. XXIV. XXV. *Quibus prosit hoc Rescriptum, & qui dicantur vere Pauperes*. XXXVI. *Quinam vere pauperes dici non debeant*. XXXVII. *Exponitur Rescriptum in forma Pauperum*.

§. V. Praxis exponitur Dispensationis inquirendæ solum pro Foro interno a Sac. Pœnitentieria, & ad Examen revocantur Rescriptum Summi Pœnitentiarii, & Clasulæ in eo adpositæ.

Num. XXXVIII. *Indicantur ea in quibus Sac. Pœnitentieria dispensat, tum illa, quæ in supplicatione prætereunda sunt*. XXXIX. *Traditur praxis, & formula supplicationis, in qua* XL. *Quid evitari debeat observatur*. XLI. *Examinatur Rescriptum Summi Pœnitentiarii*.

§. VI. Obtenta Dispensatione super impedimento dirimente novus requiritur utriusque Conjugis Consensus in idem Matrimonium.

Num. XLII. *Ex variis textibus Juris Canonici hæc Assertio probatur*. XLIII. *Quomodo hic Consensus impetrari possit explicat Sanchez*. XLIV. *Variatur regula ab aliis*. XLV. *Subjicitur alia regula*. XLVI. *Confugitur ad aliud Remedium, si scandalum vix evitari possit*. XLVII. *Alia semita ab aliis traditur*. XLVIII. *Sed adversatur Anacletus in Jus Canonicum* XLIX *Additur ultimum remedium*. L. *Novus petendus est consensus quando Matrimonium est nullum ex solo defectu unius Conjugis, a quocunque fonte hic defectus oriatur*.

CA-

C A P U T VIII.

DE RITIBUS, QUIBUS SACRAMENTUM MATRIMONII IN CATHOLICA ECCLESIA SOLET ADMISTRARI.


Num. I. *Ostenditur fuisse Gentium omnium morem Matrimonium variis Caeremoniis celebrare.*

§. I. Describuntur antiqui Nuptiarum Ritus Occidentalis, & Orientalis Ecclesiae.


Num. II. *Exponuntur ritus, qui Matrimonium praecedebant.* III. *Agitur de Ritibus, qui Matrimonium comitabantur.* IV. *Agitur de Ritibns, qui Matrimonium subsequebantur, & haec singula exponuntur juxta veterem disciplinam.* IV. *Alia pertinentinentia ad Ritum Nuptiarum recensentur, &* V. *illa enarrantur, quae tempus spectabant, & locum ubi Matrimonia celebrabantur.*

§. II. Exponitur Ritus Matrimonii juxta Ecclesiae Romanae Consuetudinem.

Num. VI. *Quae teneantur Parochi praestare antequam benedicant Nuptias suorum Parochianorum.* VII. *Actio celebrationis Sacramenti exponitur.* VIII. *Exponitur benedictio Nuptiarum* IX. *Agitur de continentia Servata a Conjugibus post benedictionem Nuptiarnm, & aliis Anni temporibus.* X. *Exhibentur Caeremoniae Ecclesiae Orientalis.* XI. *Additur Ordo Coronationis.* XII. *Castigantur, qui has Caeremonias derident.*



TRA-



DOCTRINA CHRISTIANA

DE SACRAMENTIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TRACTATUS QUARTUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.



S*I ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio, & gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus*; inquiunt Tridentini Patres in cap. 1. Sess. XIV. *aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus Dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illius etiam vitæ remedium contulit iis, qui sese postea in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur*. Itaque non sine summo animi horrore pestiferas quorumdam hæreticorum hominum voces audire possumus, quibus ut sectatoribus suis fucum faciant, & conscientias eorum securas reddant, vim, & necessitatem Pœnitentiæ tentant enervare, & convellere. Hujus insanæ, & vaferrimæ indolis illi sunt, quos sub nomine Mathematicorum, & Manichæorum S. Cæsarius Arelatensis reprehendit in suo Sermone 253. quem in appendice S. Augustini novæ editionis legimus: sunt Montanistæ, & Novatiani: sunt Præpositi eorum, quos ut S. Maximus Taurinensis Episcopus homil. 10. scribit *presbyteros vocant, qui dicuntur tale habere mandatum,*

ut si quis Laicorum fassus fuerit crimen admissum, non dicunt illi, age pœnitentiam, deplora facta tua, defle peccata, sed dicunt illi, pro hoc crimine da tantum mihi, & indulgetur tibi: sunt Jacobitæ ex Prateoli testimonio in libro 9. de vita hæreticorum, & Albanenses, quos Alcuinus confutat in quadam Epistola scripta ad fratres in Provincia Gothorum: & sunt tandem Waldenses, quorum errorem Recentiores Sectari latissime propagarunt, qui Auricularis confessionis hostes infensissimi illam tamquam inutilem negant, & Animorum carnificinam appellant. Quamquam vero omni fere ævo Pœnitentiæ Sacramentalis necessitas impugnata sit, neque alii defuerint in Anglia, qui peccata quæcunque remitti censerent per generalem confessionem, quæ fit in ipso Missæ exordio, & alii in Gallia, qui venienti populo, & prostrato ante eorum pedes, & cupienti confiteri peccata sua dicerent: *scimus peccata vestra, quia nobis cognita sunt occulta vestra, ideoque non est opus confiteri ea. Securi ergo, & absoluti de peccatis vestris præteritis revertimini ad Domos vestras cum pace, ut constat ex epistola* 135. Bonifacii Germanorum Apostoli ad Zaccariam Pontificem Maximum, tamen omnium istorum garrulitas tanta non fuit, ut Christi Domini auctoritatem, Conciliorum, Pontificumque Decreta confregerit, quæ facta, & tecta conservarunt insignia in Sæculis omnibus vere Pœnitentium exempla, & non interrupta piorum fidelium praxis, ut cuique patebit ex iis, quæ infra, data temporis, locique opportunitate afferemus. Interim adnotamus Pænitentiæ nomen multipliciter accipi, præcipue tamen exprimit actum illum, quo quis, cum errorem suum resciverit ab eo mox recedit, & cum mente mutata vitæ quoque rationem, atque institutum simul mutat. *Resipiscit*, inquit Lactantius lib. 6. institut. c. 24. *quem errati piget, & seipsum castigat dementiæ, & confirmat ad rectius vivendum, tum illud ipsum maxime cavet ne rursus in eosdem laqueos inducatur*, quos Pœnitentiæ effectus Matthæus XI. Lucas XI. & Apostolus in 2. ad Cor. 7. descripserunt; & Athanasius, vel quicumque fuerit Auctor quæstionum de Parabolis, quæ Athanasio attribuuntur, exposuit in quæstione 132. cum inquit *Pœnitentia non est genuflexio, sed abstinentia a malo, & seipsum angere, lamentari, & Deum priorum peccatorum remissionem rogare*, quæ singula characteres illos ostendunt; seu proprias notas virtutis pœnitentiæ, quibus tamquam armis instruimur, ut in vitæ veteris odium, vindictamque incendamur, ut in novæ proposito sistamus, & sic parati ad Pœnitentiam illam convolemus, quæ novæ legis Sacramentum est, quæ peccata post baptismum commissa delet, & nos ita reddit intentos, ut reconciliationis beneficium uni Salvatori nostro acceptum referre profiteamur. Sub duplici itaque hoc respectu de Pœnitentia agemus in hoc Tractatu, de ipsa, ut virtus est, & quatenus est Sacramentum, quoniam duo hæc adeo conjuncta sunt, ut nisi prius quæ sit Pœnitentiæ virtus intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse sit, nec virtus prodesse valeat sine Sacramento, vel ordine ad Sacramentum, nec Sacramentum sine virtute consistere.

CA-

CAPUT I.

DE VIRTUTE POENITENTIAE, ET EIUS NECESSITATE.

§. Unicus. *Exponuntur characteres virtutis Pœnitentiæ. Additur illius discrimen ab aliis Virtutibus. De multiplici illius Objecto differitur, & in quo differat a Sacramento Pœnitentiæ.*

I. POEnitentia est *virtus moralis infusa inclinans Peccatorem ad detestationem, & dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei cum efficaci emendationis, ac satisfationis proposito*. Nonnulla in hac definitione supponuntur, quorum maxima est apud Theologos dubitatio. Primo loco supponitur peccati detestationem esse actum elicitum a Pœnitentia, non potius a Charitate, ut aliqui affirmant propter rationem, quam S. Thomas exponit hic q. 85. a. 2. ad 1. scilicet, quia *ejusdem virtutis Charitatis est detestari mala, cujus est gaudere de bonis*. Sed pro hujus intelligentia notandum est tum esse in Charitate vim eliciendi illam peccati detestationem perfectissimam per actum contritionis, qui per se est sufficiens dispositio ad gratiam, tum esse in peccato aliquam rationem malitiæ, sub qua potest virtus Pœnitentiæ illud detestari. Charitas in detestationem peccati tendit, ut contrarium bono Divino: Pœnitentia illud detestatur, & destruit, ut juri Divino oppositum, & quantum fieri potest, ut reparet injuriam Deo illatam. Constat igitur, quod Charitas, & Pœnitentia diversimode peccatum respiciunt, & detestantur. Hinc Pœnitentiæ actum Concilium Tridentinum Sess. xiv. cap. 2. *detestationem esse*, ait, *cum pio animi dolore*, & Augustinus l. 2. quæstionum ad Simplicium q. 2. *opus*, inquit, *pœnitendi est cum reperitur voluntas mutandi cum animi dolore*, quæ posteriora verba opportune adduntur, ut intelligatur, quod cum dolor sit *displicentia de his, quæ nobis nolentibus accidunt*, ut Augustinus ait in l. 14. de civit. c. 15. dolori necessario præsupponi debet actus ille, qui nolenti accidit, & non consentienti, qui actus ille est, quo quis si voluisset non peccasset, scilicet est ipsa detestatio peccati; optime igitur supponitur Peccati detestationem esse actum elicitum a Pœnitentia.

II. Patet ex his Pœnitentiam non esse virtutem Theologalem, sed Moralem, quod bene secundo adverti potest, tamquam aliud, quod in data definitione suppositum est, cum Pœnitentia non ita Deum attingat, quemadmodum illum attingit virtus Theologica. Directe, & proxime materiale objectum Pœnitentiæ in quibusdam actionibus continetur, & passionibus humanis, & rebus creatis, indirecte vero etiam Deum ipsum comprehendit, & in hoc convenit Pœnitentia cum aliis virtutibus moralibus, quæ ad alterum tendunt, ut observatur in justitia, ad cujus objectum tam pertinet actio ipsa qua facit æqualitatem, quam persona, cui reddit jus suum; sed in his casibus indirectum objectum ad prius objectum referri dicitur, quod solum est proprium, & est materia talis virtutis; cum itaque pœnitentiæ opus tendat adhoc, ut retractet præterita facta, & Deo jus suum reddat illi satisfaciendo pro irrogatis injuriis, necesse est, quod sub suo objecto quantum ad hoc, Deum ipsum complectatur, non tamen sequitur quod sit ejus primarium objectum, quod requireretur, si Pœnitentia esset virtus Theologalis. Neque audiendus

est Durandus, qui in 14. dictinct. q. 2. docuit Pœnitentiam esse *mixtam virtutem ex Theologali, & Morali* hoc fundamento, quia, inquit, *perfecta pœnitentia regulatur supernaturali regula*. Confundit enim Durandus actus concomitantium virtutum cum ipsa virtute pœnitentiæ, nam licet perfecte pœnitens ille esse non possit, qui infidelis est, qui caret spe veniæ, & intenso in Deum amore non fertur, quo illum super omnia diligat, & culpas omnes detestetur, tamen virtus pœnitentiæ ipsa perse se ex fide, spe, & Charitate non coalescit, sed in re, & in essentia distinguitur ab his virtutibus, quas præsupponit; *In justificatione impij*, inquit D. Thomas l. c. a. 4. in cor. *simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per Charitatem formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum, nam actus virtutis Pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei, unde primus actus est ratio, & causa secundi. Igitur pœnitentia non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturæ, quia secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtutes Theologicæ*. Peccat etiam ratio Durandi in hoc, quod communis est aliis virtutibus moralibus infusis, quæ regulantur supernaturali Regula, etiamsi mixtæ virtutes, & quasi compositæ ex Theologicis, & moralibus non dicantur: oportet igitur, quod Pœnitentia non Theologica, sed moralis virtus cognoscatur.

III. Major oritur difficultas ex tertio suppositorum, in quo ponitur Pœnitentia inter virtutes infusas, cum multi probabilius esse credant id nullis moralibus virtutibus convenire. Ceterum quidquid fit de aliis virtutibus moralibus, dubitari non posse putamus virtutem Pœnitentiæ oportere esse infusam, tali enim principio indigent hujus virtutis actus, ut quemadmodum contingunt, supernaturali modo fiant, quare in 2. ad Timoth. 2. legitur *Nequando Deus det illis Pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant a laqueis diaboli*, in quæ verba sic Leo Papa Epist. 91. ait: *Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam dicente Apostolo: Nequando Deus det illis Pœnitentiam*. Favet etiam huic assertioni id quod Ezechiel. 6. promittitur: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*: favent loca illa, inquibus petimus a Deo, ut nos convertat, & demum ea quæ tum in can. 4. Arausicani Concilii leguntur: *Si quis ut a peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per S. Spiritus infusionem, & operationem fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto dicenti præparatur voluntas a Domino* tum ea, quæ in cap. 6. Sessionis VI. & canone 3. Tridentini PP. decreverunt: *si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit*. Ergo constat supernaturale esse debere, & infusum principium illud, cui pœnitentiæ supernaturales actus attribuuntur.

IV. Dubitatur vero quandonam virtus hæc infundatur. Circa quod distinguendus est habitus hujus virtutis ab ejusdem actu. Ille ante justificationem non infunditur, cum proprium sit virtutum moralium, ut non infundantur ante gratiam sanctificantem, & Charitatem. Actus vero ante ipsam justificationem infunditur, nam tunc peccator nihil aliud habet a quo ad pœnitentiam moveatur præter gratiam Spiritus S. nondum quidem inhabitan-

tis,

tis, sed assistentis, & disponentis ad justificationem. In ipsa justificatione Pœnitentia infunditur, quoad habitum, & quidem utiliter. 1. ut justificatus recogitans præterita mala, quæ commisit, non lætetur, non exultet, ut dicitur Oseæ 9. *Sed in amaritudinibus moretur anima ejus*, & semper trepida metuens culpas quotidianis fletibus lavet. 2. ut se præservet a peccatis futuris, juxta ea, quæ tradidit Magister Sententiarum lib. 4. dist. 14. & D. Thomas hic q. 84. a. 8. & Chrysostomus lib. 1. de compunctione. 3. ut expungat reatum pœnæ temporalis *Eo quippe modo*, inquit S. August. Epist. 153. *sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit*. 4. demum ut digna, & quotidiana afflictionis austeritate quotidiana quoque deleantur peccata venialia, ne anima illorum multitudine obruatur.

V. His observatis circa definitionem virtutis Pœnitentiæ modo statuitur ejusdem Virtutis objectum, quod duplex esse solet, materiale scilicet, & formale. Cum proprium sit hujus virtutis detestari peccatum, ut Deo injuriosum, & dolere de illo, ac illud destruere, ut dictum est, sequitur quod peccatum, ut destruendum esse debet ejus materiale objectum; quia vero Pœnitentia *quodammodo est de quolibet peccatorum genere*, ut scribit D. Thomas hic q. 84. a. 2. ad 3. videndum est utrum eodem modo peccatum quodlibet respiciat. *De peccato actuali mortali est Pœnitentia propria, & principaliter: quia proprie, & principaliter dicimur pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus, & curam gerere pro peccatis ad abolendam offensam Deo illatam, & pro ea satisfactionem exhibendam. De peccatis autem venialibus est etiam Pœnitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta*, nam hæc merito displicent, vel propter turpitudinem, quam in propria specie habent, vel quia impediunt fervorem Charitatis, & licet non sit peccatum veniale tam propria offensio Dei, quemadmodum est peccatum mortale, nihilominus est aliqua vera injuria, quia qui venialiter peccat, voluntati, & legi Divinæ avversatur, & operatur contra Ordinem illum, secundum quem omnia opera nostra, cogitationes, & Verba referri debent in finem ultimum, scilicet in ipsum Deum, a quo per peccatum veniale homo retrahitur, & retardatur ab ingressu beatitudinis. *De peccato vero Originali*, sequitur Præceptor Angelicus, *Pœnitentia nec principaliter est, nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte inquantum voluntas Adæ reputatur nostra secundum modum loquendi, quo Apostolus dicit*, Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt*. Inquantum tamen large accipitur Pœnitentia pro quacunque detestatione rei præteritæ, seu secundum simplicem affectum justitiæ ad Deum, potest dici Pœnitentia de peccato Originali, & propterea objectum ejus, etiam ad hoc peccatum extendi, & detestari talem statum injustitiæ, & hac ratione odio habere tale peccatum, cum præsertim nostra reputetur illa voluntas Adæ, a qua nostra culpa trahit originem, per hoc, quia in illo eramus, & in illo peccavimus. Quod magis verum erit de peccato habituali, ut ad hoc ulterius hujus virtutis objectum extendatur, tum quia hoc peccatum est homini voluntarium per proprium actum, tum quia proportionali modo convenit cum peccato actuali in eodem genere deformitatis, & demum, quia proprium munus hujus virtutis est intendere destructionem utriusque, & utrumque vitare. Extendi ulterius potest virtutis Pœnitentiæ materiale objectum ad illa media, quæ ab ipsa eliguntur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & propterea afflictiones, dolores, jejunia

nia, & his similia comprehenduntur sub objecto adæquato Pœnitentiæ propter hoc, quia pertinet ad eamdem virtutem finem intendere, & media eligere, quæ ad illum conducunt: cum igitur Pœnitentiæ virtus velit peccati destructionem, necesse etiam est, quod velit illud, quod dicitur malum pœnæ, & quod communiter assumitur in vindictam peccati commissi, idque dum eligitur, consideratur veluti simpliciter bonum, & sua natura efficax, ut per illud malum culpæ destruatur, non vero, ut simpliciter malum, cum per se, & ex sua natura non sit offensio Dei, scilicet materia contemptibilis, & detestabilis. Idem dicendum est de ægritudinibus, aliisque passionibus, si ex affectu hujus justitiæ acceptentur ad satisfaciendum Deo, quemadmodum de singulis aliis actionibus, tum externis, tum internis corporis, & voluntatis, quæ ex effectu Pœnitentiæ, vel voluntate destruendi peccatum voluntas ipsa referret ad dolorem, & tristitiam excitandam de peccato commisso, cum circa eadem virtus Pœnitentiæ versari possit.

VI. Præter materiale objectum attribuitur etiam virtuti Pœnitentiæ objectum formale, quod ex D. Thoma 1. 2. q. 1. a. 3. proximum dicitur, & solet esse intrinsecum quoddam motivum detestationis peccati determinatum, & honestum, non indifferens, & turpe. Turpe est motivum illorum, quibus aliquid displicet, quod ante placuerat, comparatione quacunque neglecta bonitatis, vel malitiæ illius; sic omnes pœnitet, quorum ut scribit Apostolus 2. Cor. 7. *tristitia secundum Seculum est, non secundum Deum*, cujusmodi Pœnitentia non salutem affert sed mortem: turpe etiam est motivum illius, qui ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius caussa concipit, e contra vero honestum illud est cum non solum admissi sceleris caussa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei caussa in eo mærore sumus. Quia vero Pœnitentiæ virtus aliquando spectatur quatenus exercet munus detestandi peccatum commissum, aliquando vero secundum omnes actus, quos exercere valet, odii nimirum, tædii, retractationis prioris, voluntatis, etiamsi mala non fuerit, & aliorum: hinc opportune notatur, quod cum dicimus objectum formale Pœnitentiæ, est motivum quoddam honestum, & determinatum, illud motivum eligimus, quod convenit virtuti Pœnitentiæ, qualis hæc virtus indicatur ab Angelico Præceptore hic q. 85. a. 4. cum Pœnitentiam vocat quamdam justitiam; quapropter cum justitiæ proprium objectum sit *ipsum jus*, ut in 2. 2. q. 57. scribit S. Doctor, servata proportione, quæ servari debet, Objectum proprium hujus determinatæ Justitiæ debet esse determinatum illud Divinum jus, quod requirit, ut ille, qui deliquit, Divinam injuriam per Pœnitentiam resarciat, injuria enim quantum est ex se non tollitur nisi per satisfactionem, qualem exhibere potest ille, qui injuriam intulit. Quod si fuerit integra hæc satisfactio, extendetur etiam aliquo modo ad punitionem sui, hoc est homo, qui peccavit, pro injuria Deo irrogata pœnas luet, cum Augustinus in libro de vera, & falsa Pœnitentia c. 7. scribat, *quod Pœnitentia est doloris vindicta puniens in se, quod dolet commisisse*; & ita constabit de certa reprobatione prioris facti, quia manifesta fiet, ut in laudata q. 85. a. 1. ad 3. scribit D. Thomas *intentio expellendi sequelam, scilicet offensionem, & reatum, qui per vindictam expellitur, & Pœnitentiam, quæ redundat in honorem, & ampliorem satisfactionem ejus, qui injuriam passus est*. Ut vero hoc objectum virtutis Pœnitentiæ specialem habeat

beat honestatem, oportet ut illud jus, quod Deo offenso redditur fit ex motivo destruendi, seu removendi peccatum quatenus est injuria Dei, quod factum erit cum debitus modus in hoc agendo observabitur, & non omittentnr illæ circumstantiæ, quæ bonum reddunt agentem, & bonum actum ejus: bonum enim est ex integra caussa, neque bonus actus moraliter dicitur, nisi cum objecto bono bonas habeat circumstantias, & proportionatas, quia si motivum honestum movet ad operandum, simul etiam movet ad debite operandum; quis autem sit ille debitus modus servandus, aut quæ circumstantiæ adhibendæ, dum quis Pœnitentiam acturus est, constabit ex iis, quæ infra dicemus, ubi plurima occurrent examinanda circa motivum illud, quo quis excitatur ad Pœnitentiam ob timorem Pœnæ.

VII. Non sequiter ex his Virtutem Pœnitentiæ non distingui ab illis virtutibus, quibus ipsum jus pro objecto proprio assignatur, alio enim modo, & alia ratione respiciunt hoc jus virtus Religionis, & Justitia Commutativa. Licet Pœnitentia injuriam honori Divino intentatam resarcire contendat, non tamen hanc injuriam respicit præcise, quatenus adversatur virtuti Religionis, sed illam respicit, quatenus est reparabilis per satisfactionem, e contra jus illud, quod est objectum Religionis, præcise ex Divina excellentia, & ex Divina largitate oritur, propterea D. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. a. 1. quæstiunc. 5. ait. *Aliquis afficitur Deo debitor perhoc, quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem Latriæ, sive Religio; alio modo ex hoc, quod contra Deum peccavit, & sic reddit debitum Deo Pœnitentia*, eodem modo de Eleemosina scripsit in 2. 2. q. 32. a. 1. ad 2. quæ prout ordinatur ad satisfaciendum pro peccatis, ait pertinere ad Pœnitentiam, prout vero refertur ad colendum Deum, pertinere, inquit, ad Religionem. Constat igitur varietas modi, sed est etiam diversa ratio in utraque virtute, Religionis, & Pœnitentiæ. Religio respicit in Deo jus Dominii, quia caussa est, & principium universale. Pœnitentia respicit jus Proprietatis, & hoc jus Deo convenit, ex eoquod cum sit finis ultimus Creaturæ, illa tenetur actiones omnes suas in illum dirigere: apparet itaque oportere hujusmodi virtutes esse distinctas.

VIII. Sed distinguntur etiam ad invicem Justitia commutativa, & Pœnitentia; jus enim illud, quod utraque respicit non idem est, sed aliud. Justitia Commutativa jus strictum respicit ad æqualitatem compensandum, ex quo capite provenit, quod purus homo non possit Deo reddere æquale pro injuria illata, & hinc utriusque juris statim discrimen apertum esse oportet, & consequenter etiam illud discrimen, quod pœnitentiam inter, & justitiam commutativam intercedit. Facile est Durando accidens appellare, quod æqualitas constituatur, vel cum Deo, vel cum homine, & accidens esse, quod homo non possit reddere æquale Deo, virtutemque non respicere effectum, sed affectum; Verum hujusmodi propositiones non ita facile probari poterunt propter discrimen, quod reperitur inter jus Divinum, & humanum, & debitum, quod ratione utriusque juris contrahitur cum Deo, & hominibus, quod certe discrimen, cum accidentale non sit, neque accidentale esse debet, quod recompensatio Deo fiat, aut homini; quare virtus illa, cujus intuitu hæc recompensatio Deo exhibetur, excellentior esse debet illa, qua jus suum homini unicuique tribuitur, & absolute loquendo illi actus

om-

omnes, quibus Divina erga nos beneficia rependimus, virtutes postulant altiores, quam iidem actus, si erga homines exerceantur.

IX. In pluribus quoque inter se differunt Virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ. 1. quod Sacramentum est quoddam efficax Signum sensibile Gratiæ, Virtus vero est quidam actus, vel habitus. Pœnitentia quatenus est signum significat interiorem animæ Santificationem, & remissionem peccati, non per impositionem manuum, & similia, quæ accidentalia sunt, sed perficiendam per absolutionem Sacerdotis post Confessionem, & actus Pœnitentis: quatenus vero est actus, vel habitus, est libera, & voluntaria detestatio peccati commissi cum recta ratione conjuncta, quæ docet, ut aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est. 2. Differunt, quod Pœnitentia, ut virtus, est in interiori actu cordis, ut Sacramentum est actus exterior, quæ duo non ita statuuntur, ut virtus, & Sacramentum ad oppositos etiam actus non tendant, cum certum sit ad illos extendi, & ab eisdem compleri. Ita ergo exterior actus dicitur virtus, in quantum subest interiori, & interior actus dicitur pars Sacramenti, quia per hunc actum Sacramentum manifestatur, & si deficiat idem interior actus, Sacramentum non perficitur: quod tamen non est verum attenta natura virtutis, sed ex Divina institutione, quia in lege tum naturæ, tum scripta virtus Pœnitentiæ non erat pars Sacramenti, ut adhuc non est in homine non Baptizato, & ex hoc sequitur tertium discrimen per quod virtus Pœnitentiæ, & Sacramentum inter se differunt sicut totum, & pars. Differunt etiam 4. in effectu, quem diverso modo operantur, quia Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam ex opere operato, virtus Pœnitentiæ ad illam disponit. Differunt tandem, quod Sacramentum Pœnitentiæ tunc Christus instituit, cum Matth. 16. dixit Petro: *tibi dabo claves Regni Cœlorum*, efficaciam manifestavit Lucæ ultimo, ubi ait: *quod oportet prædicari in nomine ejus Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*; *de jure autem naturali est, quod aliquis Pœniteat de malis, quæ fecit quantum ad hoc, quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Ninivitæ fecerunt, ut Jone 3. legitur*. Ita D. Thomas hic q. 84. a. 7. ad. 1. Quomodo vero dolor de peccato commisso conformis sit naturali rationi, patet ex generali regula oppositorum, quorum dicitur, quod eadem est natura; cum itaque peccatum naturali ratione cognoscatur, ita naturali rationi non adversatur, quod qui peccavit, peccatum suum detestetur, & de illo doleat ex eo solum, quod malum est, & adversatur illi, quod est honestum, & bonum, quia eadem ratione movemur ad amandum bonum, & honestum, qua excitamur ad ea insequenda, quæ inhonesta sunt, & non utilia ad bonos mores, & ad vitæ laxioris emendationem.

X. Imò hoc non solum docet naturalis ratio, ut peccata, si quæ commiserimus, detestemur, verum etiam ne in longum tempus Pœnitentiam procrastinemur; quis enim scit si forte Deus nobiscum reconcilietur? Sperandum profecto est, non vero illius benignitate abutendum, ne secundum duritiam nostram, & impœnitens cor nobis iram thesaurizemus. Huic accedit Patrum omnium, & Theologorum auctoritas, qui impœnitentiam finalem esse peccatum ad mortem sine ulla spe veniæ, sive salutis remedio pronunciant. Accedunt utriusque testamenti sententiæ, monita nimirum Prophetarum, Præcursoris prædicatio, & illud Christi reparatoris exitiale Decretum: *nisi Pœni-*

nitentiam egeritis, omnes simul peribitis, ut propterea Tridentini Patres in c. 4. Sess. xiv. decreverint *fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam Peccatorum hunc Contritionis motum necessarium*, quod certe credendum esse non de lethalibus tantum, sed etiam de venialibus Augustinus Epist. 63. affirmavit, & scripsit D. Thomas hic q. 87. a. 1. qui præterea addidit tantum pro lethalibus requiri perfectiorem, *ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur*, idque quoties contigerit (quod curandum est ut citius, & sæpius contingat, antequam urgeat mortis articulus, vel tempus annualis Confessionis instet, aut repentinus diaboli incursus, sive peccati mortalis labes, qui casus tempora illa distinguunt, quæ juxta varias opiniones præscribuntur interioribus actibus virtutis Pœnitentiæ) fructus illos assequemur, quos Sacræ litteræ pollicentur, inter quos spem impetrandæ a Deo misericordiæ, qua erecti vitam, & mores emendare constituimus, & Charitatem, ex qua liberalis ille timor in probis, & ingenuis filiis oritur, ne qua in re Dei majestatem lædamus, & ut peccandi consuetudinem omninò deseramus.

C A P U T II.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

I. DE Pœnitentia, quæ in sola mentis conversione, atque interna Peccati detestatione consistit, actum est in capite superiori; de illa agimus nunc, quæ signis exterioribus se prodit, lachrymis, confessione, corporis maceratione, aliisque ritibus, quorum intuitu a Carthaginensibus Patribus in capite 76. quarti Concilii *manuum impositio* appellata est, a Tertulliano in libro de Pœnitentia cap. 4. *secunda post naufragium tabula* dicta est, *& Exomologesin* Græci nuncuparunt; communiter tamen Sacramentum esse quoddam dixerunt omnes, quia complectitur efficax gratiæ signum sensibile a Christo Domino institutum. Quatuor sunt, quæ de hoc Sacramento oportet inquirere. Primo utrum revera in Ecclesia Christi hoc efficax gratiæ signum reperiatur, scilicet utrum Christus Dominus potestatem Ecclesiæ concesserit remittendi peccata. Secundo in quo genere signi sit remedium hoc institutum. Tertio utrum sit elevatum ad naturam Sacramenti, ita ut in lege Evangelica Pœnitentia sit Sacramentum ab aliis distinctum. Quarto tandem an ex Christi institutione sit medium necessarium ad remissionem peccatorum, quæ post Baptismum committuntur.

§. I. *Reperitur in Ecclesia Christi hoc efficax gratiæ signum in speciali potestate, quam suis Ministris Christus Dominus concessit remittendi peccata omnia post Baptismum commissa.*

Ita Concilium Constantiense in Sess. viii. & xv. Lateranense IV. in cap. *firmiter* de summa Trinit. Florentinum in litteris unionis, & Tridentinum Sess. xiv. cap. 1. & can. 3. Fundamentum hujus veritatis legitur Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum &c.* & Joannis 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

II. His tamen non obstantibus contra hanc Conclusionem instant Sectarii, qui potestatem in laudatis Scripturæ locis a Christo Domino concessam suis Discipulis interpretantur pro potestate prædicandi Evangelium, quæ prædicatio fidem excitat, & fides excitata peccata remittit. Addunt insuper Christum Dominum in laudatis locis egisse de potestate baptizandi, quæ certe datur in remissionem peccatorum, idque asserunt hoc fundamento, quod Cyprianus Epistola 73. & 76. Chrysostomus homilia 6. in 2. ad Cor. & Isidor. lib. 2. de Divin. Offic. hanc eplicationem primi tradiderunt, a qua non abstinuit Augustinus in libro 2. contra Parmenianum capite 11.

III. Contra has Hæreticorum Fabulas militat constans Ecclesiæ Traditio, qua docemur Evangelica verba *quorum remiseritis peccata remittuntur eis* continere potestatem dimittendi peccata, non per Evangelii prædicationem, non per Sacramentum Baptismi tantum, sed etiam per hoc efficax gratiæ remedium, quod Christus instituit. Hujus Traditionis meminit Tertullianus in libro de Pœnitentia c. 7. ubi sic loquitur. *Hæc venena prævidens Deus clausa innocentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat*. Meminerunt post Tertullianum Cyprianus, & Hjeronymus, Augustinus item, & Ambrosius, tum magnus Gregorius, Athanasius, & Chrysostomus, qui lib. 3. de Sacerdotio aperte adstruit hanc potestatem, quam nusquam Angelis datam fuisse ait, eamdemque tum supra eam eminere, quæ terrarum concessa est Principibus, tum supra eam, quæ data olim fuit Judaicis Sacerdotibus, similemque illi esse concludit, quam omnifariam Pater proprio Filio tradidit, ita ut non liceat aliter laudatas Scripturæ sententias sine hæresis nota interpretari. Occurrit etiam Cyrillus Alexandrinus, qui lib. 12. c. 55. in Joan. *Christum*, inquit, *illis verbis Apostolos ordinasse orbis Doctores, & Divinorum mysteriorum Ministros*, & ulterius addit homines remittere peccata, *quia Spiritus S. per eos remittit primum Baptismo, deinde Pœnitentia*; locus igitur non est alteri Sectariorum interpretationi, quæ satis apparet contraria vero Ecclesiæ sensui, & Patrum expositioni, quæ remissionem peccatorum, quæ post Baptismum datur, *reconciliationem vocat, & arram pacis*, ut cap. ultimo lib. 1. de Adult. Conjug. scripsit Augustinus distinguens duplicem modum obtinendæ remissionis peccatorum in Baptismo, & post Baptismum. Adversantur insuper Hæreticis verba illa, quæ Matthæi, & Marci ultimo leguntur: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*; ex quibus videtur Christum Dominum non antecedentibus verbis, sed his posterioribus in Ecclesia sua voluisse munus exercendæ prædicationis instituere, & propterea ad alium finem, & cum alia potestate Spiritum S. Joannis 20. Apostolis suis tradidisse diversa profecto a potestate Baptizandi, quam Apostoli multo prius acceperant Joan. 4. & Matth. etiam ultimo iterum receperunt ab baptizandum universum orbem. Neque aliud eruitur ex antiquissima contentione, quæ fuit inter Montanistas, Novatianos, & Cyprianum, aliosque Patres, nam contendentibus illis Idololatriam, Mæchiam, Homicidium, fraudes, negationes, blasphæmias, & quæcunque alias violationes Templi Dei veniam non capere, quemadmodum scripsit Tertullianus in libro de Pudicitia cap. 19. profecto isti subscripsissent, neque unquam Eliberitani Concilii Patres præcepissent, ut iis, qui Pœnitentiæ laboribus perfuncti essent, beneficium absolutionis impertiretur, ut statuerunt

runt in canone 76. ubi legitur *si quis Diaconus se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima Pœnitentia post triennium accipere communionem, quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta Pœnitentia accipere laicam communionem debere*, hoc est absolutionem a peccatis, si revera peccata remittendi facultatem in Ecclesia fuisse non cognovissent. Quod si aliquando Augustinus tractatu in Joan. 121. *per charitatem Ecclesiæ*, inquit, *peccata remitti*, quia illis tantum remittuntur, qui per charitatem Ecclesiæ conjunguntur, & Ambrosius in lib. 3. de Spiritu S. cap. 19. in eundem locum Joannis dixit: *homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibere, non jus alicujus potestatis exercere*, notetur Augustinum loqui de potestate data Ecclesiæ propter eos, qui sunt membra ejus, & consequenter Schismaticos non posse extra Ecclesiam consequi remissionem peccatorum: Ambrosium vero in illis verbis distinguere potestatem ministerialem a virtute principali, quæ sola reperitur in Deo; nam solus Deus peccata remittit, & in Christo per potestatem excellentiæ, non vero in homine, nisi ratione Ministerii; quare statim addit Ambrosius: *Neque enim suo, sed Spiritus S. nomine remittunt*. Idem sub debita proportione respondendum est iis, quæ scribit Origenes homil. 24. in Numer. cum asserit: *Christum solvisse peccata potestate, alios vero Sanctos precatione*; scilicet Origenem tunc locutum fuisse de remissione, quæ fit per modum meriti, non de illa, quæ fit per ministerialem potestatem. Satis igitur contra pravas Hæreticorum explicationes probata est veritas principalis Conclusionis. Secunda pars, quæ respicit temporis circumstantias, cum dicitur, quod hæc potestas extenditur ad remittenda peccata omnia commissa post Baptismum, probatione non indiget, cum ex alibi dictis, ubi sermo fuit de Baptismi effectibus, constet, Sacramentum Baptismi per se, & principaliter peccatum originale delere, indirecte, & secundario remittere etiam peccata omnia actualia, quæ invenit in adulto, & quæ ipsum præcesserunt.

IV. Colligitur ex his duplicem esse hujus potestatis effectum, nimirum remissionis peccati quoad culpam, hoc est quoad injuriam Deo irrogatam, & remissionis peccati quoad pœnam æternam; hoc eruitur ex supra laudatis verbis Joan. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, nam vox peccata duo significat, culpam, & pœnam, & remissio solius pœnæ non est integra remissio, sed est remissio secundum partem, quæ partialis remissio opponitur propriæ, & absolutæ locutioni Scripturarum, quæ locutio attendenda est quantum fieri potest, præsertim ubi agitur de præcipuis fundamentis Catholicæ veritatis. Legitimum hujus explicationis sensum confirmant verba Matth. c. 18. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, ex quibus verbis Petrus intellexit datam sibi fuisse potestatem aperiendi Regnum Cœlorum, quod antea per culpam clausum erat: oportet ergo quod Petrus potestatem obtinuerit absolvendi peccata quoculpas, alioquin si hæc facultas Petro defuisset, Petrus non remittens reatum pœnæ æternæ, potuisset hominem sine culpa damnare. Verum quia Potestas concessa Petro Matth. 18. eadem est in effectu cum potestate Christo concessa Apocalypf. 3. ubi de illo dicitur *habere clavem ad aperiendum, & claudendum Regnum Cælorum*, concludendum est Apostolo Petro, ceterisque non defuisse potestatem remittendi non solum pœnas, sed etiam culpas, idque clarissime patet ex

ver-

verbis Florentini Concilii, in quibus Seff. xiv. c. 1. legitur *Chriftum dediffe Apoftolis facultatem reconciliandi homines cum Deo*, quæ reconciliatio remiffionem peccati quoad culpam fupponit. Id quod Concilium docuit jam tradiderat Apoftolus in 2. ad Cor. 5. ubi dixerat: *Pofuit in nobis minifterium reconciliationis*, quam reconciliationem operari folere confcientiæ pacem, & tranquillitatem addidit Concilium cap. 3. eamdemque non effe adfcribendam contritioni fine voto Sacramenti cap. 4. ait: unde patet hanc reconciliationem fecum ferre culpæ remiffionem, & fanctificationem, & Concilium docere hanc ipfam remiffionem culpæ effe proprium effectum poteftatis Clavium. Rem eamdem fuis Decretis Romani Pontifices Julius, & Cœleftinus confirmarunt, confirmavit Concilium Carthaginenfe III. c. 32. & Auguftinus, qui Epift. 180. *Tempore perfecutionum Paftores non debere oves deferere*, ait, *quia eo tempore alii petunt Baptifmum, & alii reconciliationem per Pœnitentiam. Ubi fi miniftri defint*, addit, *quantum exitium fequetur eos, qui de hoc fæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati*. Additur Auguftino Ambrofius in libro 1. de Pœnitentia c. 7. additur Hieronymus Epift. 150. & ut ceteros omnes prætercam, pro omnibus fufficiat Chryfoftomus, qui lib. 3. de Sacerdotio c. 4. differentiam defcribens inter Sacerdotes veteris, & novæ legis, *illis*, ait, *licuiffe leprofos non purgare, fed purgatos probare, iftis vero non corporis lepram, fed animæ fordes, non tantum purgatas probare, fed purgare prorfus conceffum effe*, ex quo deinde fequitur alter hujus Poteftatis effectus, qui confiftit in hoc, quod dimittat *reatum pœnæ æternæ*, quia nunquam remittitur per fe primo ipfa fola culpa, fed fimul cum culpa remittitur pœna æterna, tamquam neceffario cum illa coniuncta, & ab illa dependens, ut in Seff. VI. c. 14. Tridentini Patres definiverunt. Non fequitur tamen quod omnis temporalis pœna tollatur, nifi adfit perfecta difpofitio, vel fatisfactio, & ideo cum proportione majorem, vel minorem commutationem pœnæ facit juxta pœnitentis difpofitionem; quemadmodum ex dictis non fequitur nos negare proprium effe folius Dei remittere peccatum quoad culpam, & confequenter etiam quoad pœnam æternam, cum certum fit id poffe efficere propria auctoritate, & tanquam principale agens fi voluerit. Non enim a nobis fit quæftio de eo quod Deus poffit, fed tantummodo de eo quod contingit, fi hominum minifterio in hoc Deus uti velit; ficut ergo Deus hominibus, ut miniftris, & inftrumentis fuis committit judicium de pœnis, ita etiam committit eisdem judicium de culpis, & utrarumque remiffionem, quod dum præftant, per hanc poteftatem operantur, quam a Deo acceperunt, non fua virtute, fed Divina, qua etiam ipfi peccatores interius excitantur ad pœnitentiam, & vitam fpiritualem comparandam, ut poftea fic difpofiti poffint a Sacerdotibus abfolvi, apud quos eft poteftas per fe efficax ad remittenda peccata.

V. Colligitur 2. hujus poteftatis efficaciam fundari potiffimum in Ordine, vel Charactere Sacerdotali, quatenus ex Divina ordinatione per illum aliquis deputatur ad Sacramentales Confeffiones audiendas in foro Pœnitentiæ, ex quo fit quod in folis Sacerdotibus hæc poteftas reperiatur, quæ illis confertur in ipfa ordinatione Sacerdotali, ut docuit Joannes XXII. in Extravaganti. *Quia quorumdam* de verborum fignificat. & Concilium Tridentinum in c. 6. & can. 10. Seff. XIV. & in c. 1. Seff. XXIII. Dixi *potiffimum*, & ratio eft, quia eadem poteftas exigit jurisdictionem in illo, qui extra cafum neceffita-

tis

tis in vi potestatis Ordinis peccata remittit, & hoc definivit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, & Tridentinum in prima supracitata Sess. c. 7. & in hoc videtur differentia, quæ reperitur inter Sacramentum Pœnitentiæ, & reliqua Sacramenta, quæ ut valide conferantur, sufficit potestas Ordinis, quæ non sufficit in Ministro Pœnitentiæ, ut uberius suo loco dicemus. Properandum modo est ad alteram quæsiti partem, qua postulabatur in quo genere signi sit remedium hoc institutum: quare ponitur.

§. II. *Exercetur hac potestas per modum Judicii reconciliatorii.*

VI. Potestatem itaque illam, de qua egimus in superiori paragrapho, esse per modum judicii exercendam asserimus, & hoc habetur in Sess. XIV. Concilii Tridentini cap. 2. & in canone 9. ejusdem Sessionis ubi legitur: *si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti &c. Anathema sit*. Eandem judicii rationem agnoverunt in hac potestate Patres Ecclesiæ, ex quibus Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia c. 2. ait *hanc potestatem esse ad vindicanda peccata quod spectat ad judicem*, & Gregorius hom. 26. in Evangel. & Leo Papa, qui in Epistola 89. scripsit *datam esse Sacerdotibus potestatem, ut fideles ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittant.* Neque hoc inconveniens videri debet quod ita remittantur peccata, quæ post baptismum, & fidei illuminationem commissa sunt; ex hoc enim capite, quod hæc peccata graviora sint, medicinam postulare graviorem D. Paulus observavit ad Hebræos 6. & 10. quapropter ne facilitas veniæ peccandi præberet occasionem, oportuit remedium contra hæc peccata institui per modum justi judicii.

VII. Potestas igitur, ad remittenda peccata judiciaria est, ex quo facile intelligitur pluribus partibus judicium hoc constare debere, Ministro qui jurisdictionem habeat, causam cognoscat, & examinet, quod certe fieri non potest sine prævia offensa, quam reus abolere nitatur, oblata satisfactione; deinde Sententia, qua judex pœnam imponat, & hominem confessum, & pœnitentem absolvat. Minimi enim facienda est illorum Theologorum sententia, qui docuerunt Confessionem validam esse deficientibus peccatis, quam merito proscripserunt Academici Parisienses anno 1665. *& potuisse Beatissimam Virginem, licet nec Contritionem habuerit, nec ullum vel levissimum peccatum commiserit, Beato Joanni confiteri*. Confessio, contritio, & satisfactio, ut Concilium Tridentinum definit Sess. citata c. 3. sunt quasi materia hujus judicii, quod dixerat etiam Eugenius in Decreto pro Armenis: *licet tria hæc pertineant ad ejus essentiam, cum satisfactio pertineat tantummodo ad partem integralem*, ea enim est natura judicii reconciliatorii, ut reus culpam suam cognoscat, & detestetur, etiamsi ex indulgentia personæ læsæ aliquando actu non satisfaciat, & revera pœnitentibus usu rationis destitutis, & moribundis nulla imposita satisfactione solam absolutionem impertimur, quam tamen non impertimur sine aliqua saltem implicita, & confusa confessione, ut fieri solet in iis casibus, in quibus ex circumstantiis, quæ occurrunt, impossibile est, ut quis explicite, & distincte sua peccata confiteatur.

Pro intelligentia verborum Concilii notandum est Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ res actus Pœnitentis appellantur, vocari

quasi

quasi materiam hujus judicii reconciliatorii, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, Chrisma in confirmatione; nihilominus habent rationem materiæ Sacramentalis, etiamsi Sacramentalem effectum non ita clare significent, ut illum significat sententia Sacerdotis, quæ propterea forma hujus judicii vocatur; quod si ab aliquibus hi actus vocantur dispositiones, hoc verum est, dum considerantur in ordine ad effectum Sacramenti, qui ab hujusmodi dispositionibus dependet, quare considerari possunt veluti signa, & quidem efficacia remissionis peccatorum, & gratiæ sanctificantis, dum ordinantur ad absolutionem Sacramentalem, & cum ea moraliter conjunguntur.

VIII. Notandum ulterius inter partes essentiales, & integrales hujus reconciliatorii judicii examen non recenseri, quia judicium est essentialiter, & integraliter perfectum, modo tres memorati actus adsint. Examen necessarium est tamquam aliquid extrinsece disponens, ut Confessarius, si opus fuerit, per examen prudenter probet sinceram, & integram esse confessionem, neque vacuam illis requisitis, quibus tota innititur bonitas, & veritas sententiæ absolutionis, quam ipse est prolaturus, ne ligari in Cœlis contingat, qui absolutus in terris esse credebatur, & ne pro vera falsa Pœnitentia obtrudatur. Judicio vindicativo hujusmodi examen necessarium est, quod judex testes audiat, repetat, interroget reum, cum testibus illum componat, quia hujusmodi judicium coactum est, non ita tamen judicium reconciliatorium, quia hoc judicium voluntarium est, & ad salutem animæ ordinatum, ideoque requirit voluntariam rei accusationem, in qua ipse Pœnitens sit sui accusator, & testis, & reus, & propterea accusatio per voluntariam confessionem est de essentia hujus judicii, non vero examen. *De pondere*, inquit Innocentius I. Epist. 1. c. 7. *æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, attendendo ad Confessionem Pœnitentis, ad fletus*, ad *lachrymas*, ex quibus verbis constat, quid in hac re senserit Innocentius, quod alienum non est a Nazianzeni sententia, & ab auctoritate Hieronymi, qui in illa verba Ecclesiastes cap. 10. *Si momorderit Serpens in silentio*, inquit, *si quem Diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, & noluerit confiteri, Magister, qui linguam habet ad curandum ei prodesse non poterit: si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicus non curat.*

IX. Notandum insuper est neque ad essentiam, & integritatem hujus judicii pertinere, quod Pœnitentibus manus imponatur, etsi antiquissimus hic fuerit in Ecclesia usus, qui nondum in aliquibus locis obsolevit. *Impositio manuum*, inquit D. Thomas hic q. 84. a. 4. in corp. *in Sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur quodammodo per quandam similitudinem continuantur Ministri, in quibus copia gratiæ esse debet, & ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus S. & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in Divinis mysteriis: unde, & 2. ad Timoth. 1. dicitur Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum. Et ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad Baptis-*

ptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum. Igitur si nonnulli Sacerdotes in hoc reconciliatorio judicio perficiendo illa utuntur, hoc agunt nulla præsupposita Christi institutione, cum ex illis verbis Joan. 20. Matth. 16. & 18. nihil tale colligatur, neque etiam ex natura, seu effectu, fine, aut materia hujus judicii, quod ut Angelicus in responsione ad 3. observat, *non consistit in usu alicujus materiæ exterius appositæ, sed loco materiæ se habent ea, quæ sunt ex parte Pœnitentis, & sola verba Sacerdotis absolventis super Pœnitentem illud perficiunt*, etiam si in canone 78. Concilii III. Carthaginensis voluerint Patres, quod Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint non se crederent absolutos sine manus impositione si supervixissent. Patrum enim sententia fuit non damnare Pœnitentes si postea decessissent, sed ubi convaluissent suis Pœnitentibus onus imponere canonicæ absolutionis impetrandæ, cum canonicam satisfactionem adimplevissent. Constat itaque Concilium accepisse impositionem manuum pro ipsa actione Pœnitentiæ, in qua frequenter manus imponebantur, non pro ipsa absolutione privata Sacerdotis, vel pro absolutione a vinculo Excommunicationis, vel a pœna temporali, quæ illis a Sacerdotibus præscripta fuerat, quod constat tum ex eodem can. 78. in quo supponitur, quod hujusmodi infirmi Eucharistiam acceperint, quæ ab Ecclesia illis tantum conceditur, qui a mortalibus peccatis immunes creduntur, tum ex can. 76. ubi legitur, *quod si is, qui Pœnitentiam in infirmitate petiit supervixerit admoneatur petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit probaverit*. Quod dictum est de manuum impositione, dicendum etiam est de signo Crucis, quo Sacerdotes utuntur in reconciliatione Pœnitentium, cum hoc pertineat ad cæremoniam mere accidentalem, cujus nec Eugenius IV. nec Tridentini Patres meminerunt.

X. Notandum postremo est solam judicis Sententiam judicii reconciliatorii essentiam non constituere, nunquam enim judex absolvens significabit se peccatum expellere, nisi quoque Pœnitens confitendo crimen suum significabit se a peccato recedere. Sententia igitur, quamquam sit potissima justificationis caussa, non tamen est sola, scilicet non in solis Clavibus residet, sed partim in his, partim vero in actione Pœnitentis, qua Deus utitur ad significandam, & efficiendam justificationem, ex utroque enim est unum, quod hac paritate demonstrat D. Thomas hic in a. 6. q. 86. in cor. *sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ scilicet aquæ; ita etiam remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent Ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc Sacramento; secundario autem ex vi actuum Pœnitentis pertinentium ad virtutem Pœnitentiæ, tamen pro ut hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ*. Neque inde sequitur ipsos Pœninitentes accepisse claves Regni Cœlorum ad remittenda peccata, seu sistere in hoc judicio tamquam Reos, & tamquam judices, nam proprie judex est, qui sententiam pronunciat, qui reum interrogat, examini subjicit, & satisfactionem imponit, Pœnitens, sive Reus licet aliquid faciat ad judicium pertinens, cooperator non judex dicitur, quia ministrat materiam judici. Porro satis non est ministrare materiam Sacramenti, ut ministrans dicatur Sacramenti Minister, alioquin esset Minister Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, qui Panem, Oleum, & Aquam offerret, quod absurdissimum est dicere, ita Pœnitentis actio non est per se Sacra-

cra-

cramenti Pœnitentiæ pars, sed quatenus potestati Sacerdotis subjicitur, & a Sacerdote dirigitur, ex quo postea sequitur, quod Pœnitens nullo modo dicitur Minister hujus Judicii, sed solus Sacerdos, qui introducit formam, & compositum perficit. Huic observationi favere videtur Concilium Tridentinum in laudata Sessione cap. 15. cum dicit præcipuam vim hujus Sacramenti positam esse in forma; vult ergo quod aliqua vis etiam sit in materia. Verum tamen est, quod licet actus Pœnitentis concurrant ad effectum judicii Reconciliatorii, proprie tamen dici non potest, quod pœnitens sibi peccata remittat, & conferat gratiam, sed solus Sacerdos, cui data est potestas remittendi peccata; quare si actus Pœnitentis concurrunt ad gratiam, est quatenus conjunguntur cum forma, & ideo talis effectus proprie tribuitur soli Sacerdoti tanquam Ministro, ut patet ex analogia aliorum Sacramentorum, præsertim vero Sacramenti Ordinis.

XI. Alias hujus judicii reconciliatorii partes Hæretici addiderunt, scilicet fidem, & terrores Conscientiæ. Utrumque negarunt Tridentini Patres Sess. VI. cap. 6. qui tamen docuerunt fidem ad Pœnitentiam efficiendam necessario requiri, & terrores incussos inter ea numerari, quæ hominem ad justificationem juvant, & promovent. Nec aliud eruitur ex Sacræ Scripturæ Testimoniis, quæ leguntur in 2. ad Cor. cap. 2. & 7. ubi inquit: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam*. Talis oportet, quod esset Corinthiorum tristitia, ut nihil illi commune esset cum Pœnitentia, alioquin si per tristitiam dolorem intellexisset Apostolus, quo ille angitur, qui se Deum offendisse cognoscit, de hac tristitia gavisus esset. *At non gaudet de tristitia* interpretatur Chrysostomus, *sed gaudet de fructu, qui est Pœnitentia*, ergo aliud est tristitia, & aliud Pœnitentia, ergo pars Pœnitentiæ tristitia non est, & terror ille, & molestia, quam Corinthiis attulit aspera Pauli objurgatio, cum præsertim hic terror sæpe in subjectis excitetur, qui nullius Pœnitentiæ capaces sunt, ut constat de Dæmonibus, qui *credunt, & contremiscunt*; & sæpe intima Pœnitentia alii plures agantur solo Dei, & justitiæ amore impulsi, ut constat de illo Publicano, de quo dicitur Lucæ 18. quod *descendit justificatus in Domum suam*. Sed quod legitur apud Marcum 1. *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio*, & in Actis Apostol. 20. *Testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*, satis demonstrat, verum Scripturæ sensum non esse assecutos Melanchthonem, Illyricum, Heshusium, Kemnitium, qui fidem, & Pœnitentiam confundunt, cum profecto Pœnitentiam omninò hic distingui a fide constet, cum utramque prædicent Marcus, & Paulus, cum una præcedat, altera subsequatur. Crediderunt Ninivitæ in Deum legitur Jonæ 3. & mox prædicaverunt jejunium, & induti sunt Saccis; quomodo ergo pars Pœnitentiæ potest esse fides, cum sit ejus caussa? Imò fides de obtenta peccatorum venia non modo non est Pœnitentiæ pars, sed neque ullo modo ad eam requiritur cum *bene quis possit præterita peccata plangere*, ut inquit Gregorius homilia 34. *& plangenda non admittere* etiamsi nondum certo credat ea sibi esse remissa, ut Jonæ 3. dicitur. *Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus?* Ad Pœnitentiam tamen efficiendam necessario fides requiritur.

XII. Cavendum etiam est ne Pœnitentia confundatur cum mortificatione, & vivificatione in eum sensum, quo a Calvino, & Beza accipiuntur, intelligen-

gendo scilicet refrænationem vitiosarum passionum, & pium studium bene vivendi, quæ in reconciliatione incohantur; hoc enim est confundere justificationem cum Pœnitentia, cum tamen Pœnitentia via sit ad justificationem: *Pœnitemini*, ita legitur Actorum 3. *convertimini, ut deleantur peccata vestra*, & cap. 41. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui*, & pluribus aliis in locis ostenditur, quod Pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, & mortificationem illam, & vivificationem præcedit; ex quo patet discrimen inter Lutheranos, & Calvinistas, quod Lutherani Pœnitentiam in rebus iis constituunt, quæ illam antecedunt, Calvinistæ e contra in iis actionibus, quæ illam subsequuntur, quod quam inutiliter ab his dicatur, patet ex Lucæ 15. ubi dicitur, *quod justi Pœnitentia non egent*, & tamen mortificatio vitiosarum affectionum, & renovatio spiritus omnibus etiam justis hominibus communis est, quia hujusmodi actus ad illorum profectum pertinent, non ad Pœnitentiam, *quam Deus justis non posuit*, ut legitur in Oratione Manasse, & Lucæ 5. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam*: perperam etiam Calvinus in lib. 3. Instit. cap. 3. §. VIII. Pœnitentiæ partes repetit ex illis verbis Isaiæ 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere*, nam declinare a malo, & bonum facere non appellantur partes Pœnitentiæ, sed dicuntur partes justitiæ, fructus sunt, non caussa justificationis. Signa Pœnitentiæ, quæ in Sacris litteris commendantur, & ad Pœnitentiam exiguntur sunt jejunium, eleemosina, fletus, & planctus. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejuniis, in fletu, & planctu*: sic Joel. 2. *Peccata tua eleemosinis redime* Daniel. 4. *in cinere, & cilicio præterita male facta purgare*, singula hæc veræ sunt Pœnitentiæ notæ, quæ demonstrant peccatorum detestationem, & propositum vitæ melioris. Sed de his alibi.

XIII. Potissima quæstionis pars nunc examinanda proponitur, in qua postulatur num ritus reconciliandi lapsos post baptismum, qui ex Pœnitentiæ signis externis prodit, & verbo absolutionis constat, sit vere, ac proprie dictum Sacramentum. Hic omittimus antiquiorum Hæreticorum Sententiam ad examen revocare, qui peccatorum distinctionem facientes, relaxare veniam levioribus consueverunt, graviora sine remedio esse arbitrati sunt. Pœnitentiam igitur non expunxerunt penitus ex albo Sacramentorum novæ legis. Neque cum Waldensibus controversiam instituimus, qui potius circa usum hujus Sacramenti errarunt, quam circa ejusdem Sacramenti existentiam, si vera Reinerus commemorat in capite 5. illius libri, quem scripsit contra hos hæreticos, ait enim *illos dixisse, quod nullus possit absolvi a malo Sacerdote*. Item, quod *bonus Laicus potestatem habeat absolvendi*. Item quod *ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent Spiritum S.* Item quod *confitendum sit potius bono Laico, quam malo Sacerdoti*. Item quod *non gravis Pœnitentia sit imponenda exemplo Christi: Vade & jam amplius noli peccare*. Item quod *publicas Pœnitentias, ut catenas reprobant, maxime in fœminis*. Item quod *generalis Confessio non sit singulis annis facienda*. Totum hoc negotium est cum Novatoribus. Verum nec inter ipsos clare constat, quid senserint, utrum revera negaverint potestatem hanc judiciariam esse Sacramentum novæ legis, aut potius affirmaverint. Sic inquiunt in Apologia Confessionis Augustanæ in capite de numero, & usu Sacramentorum. *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est* pro-

promissio gratiæ facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta, non est enim auctoritatis humanæ promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiam si fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Vere igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ, nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti. Certa enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur Corpore Domini, cum absolvimur, quod vere ignoscat nobis Deus propter Christum. Nihil manifestius dici poterat in gratiam Sacramenti Pœnitentiæ. Sed Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis c. 18. Kemnitius in 2. parte Examinis pagina 903. tuentur in verbis Apologiæ Augustanæ non nisi modo improprio Pœnitentiam vocari Sacramentum, ut scripserat jam Lutherus in libro de Captiv. Babyl. prope finem inquiens. *Proprie ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt, quo fit ut si rigide loqui volumus tantum duo sint in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, & Panis, cum in his solis, & institutum Divinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quam viam, & reditum ad baptismum;* quapropter hanc posteriorem Sententiam, veluti communiorem elegerunt recentiores Lutherani, & inter ceteros illam constantissime propugnarunt Zuinglius in lib. de vera, & falsa Religione c. de Sacramentis, & Zuingliani omnes, Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 15. Beza in Confessione fidei cap. 7. a. 11. Nicolaus Silneccerus in 2. parte suæ Pedagogiæ, Joannes Wigandus in methodo Doctrinæ Ecclesiæ Magdeburgensis cap. 14. aliique non pauci. Nos contra hunc errorem obiicimus canonem 1. Sess. XIV. Concilii Tridentini. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino Nostro institutum, Anathema sit*, ex quo Canone pro Catholica opinione statuitur.

§. III. *Christus in lege nova Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis distinctum instituit.*

XIV. Prima pars hujus responsionis impugnat errorem illorum, qui voluerunt Sacramentum hoc institutum fuisse ab ipso Deo in Paradiso Terrestri statim post Adæ Peccatum, cum ait illi, *quid fecisti?* Adversatur etiam alteri Opinioni, quæ originem hujus Sacramenti repetit ab origine Sacrificiorum veteris legis, quæ præmissa aliqua Confessione offerebantur, & hujus opinionis Assertores contendunt Judæos ad Joannem accessisse eo tempore, quo cœpit Pœnitentiam prædicare, ut confiterentur peccata sua. Non videtur enim quibus argumentis utraque hæc opinio innitatur; siquidem certum est, ut diximus in Prolegomenis, nulla fuisse in lege naturæ Sacramenta, quæ gratiam conferrent, & culpas remitterent, quod etiam diximus de Sacramentis Legis scriptæ, quæ ab Apostolo *vacua, & egena elementa* appellantur, nihilque aliud fuit illa Adæ confessio, quam interior ad Deum patratæ culpæ detestatio, & tantummodo quidam cæremonialis actus erat ille, quem in ipsa oblatione Sacrificii pro peccato Veteris Legis Ministri exhibebant confiten-

tentes peccata sua, ut irregularitates tollerent, si quas incurrissent, & purgarentur. Contradicit etiam hæc assertio pravæ quorumdam expositioni, qui docebant institutum fuisse hoc Sacramentum a Jacobo Apostolo in sua Canonica Epistola cap. 5. quem errorem apud quosdam Canonistas legimus, & videmus confirmatum ab Erasmo in libro de modo confitendi, a Rhenano in Scholiis ad Tertullianum, a D. Bonaventura distinct. 17. 2. par. a. 1. q. 3. ubi docuit *Christum instituisse absolutionem*, *Apostolos vero Confessionem*; & demum urget illos singulos, qui perperam intelligentes Ecclesiasticas constitutiones, ausi sunt affirmare Confessionem Sacramentalem institutam fuisse ab Ecclesia in Concilio Lateranensi, quia tantummodo in statutis Ecclesiasticis mentio fiat hujus auricularis Confessionis, quæ propterea in usu non est apud Græcos. Non videtur enim quomodo hæc sustineri possint; tum quia Ecclesia non potest materiam, aut formam alicujus Sacramenti mutare, aut variare, multo ergo minus potest Sacramentum aliquod novum instituere: tum etiam quia Sacramentum proprie sumptum efficaciam habet ad gratiam conferendam digne suscipienti, hanc autem efficaciam non potest Ecclesia alicui signo sensibili tradere, cum solius Dei sit gratiam operari; tum demum quia non expedit dicere, quod unus privatus Episcopus, qualis fuit Jacobus Apostolus Episcopus Jerosolymitanus Confessionem instituerit, quæ omnibus fidelibus totius orbis conveniret, cum præsertim locus, qui ex ejus Epistola citatur *Confitemini alterutrum peccata vestra*, non pertineat ad Confessionem Sacramentalem, sed ad illam Confessionem, quæ homines revocat a superbia, & contemptu proximorum, ne scilicet quisquam alterum contemnat, sed omnes se peccatores esse agnoscant, & se invicem benevole tractent, & pro se invicem orent, ut ibidem subjungit dicens, *& orate pro invicem*, quod certe longe a Confessione Sacramentali distat. Accedit tandem, quod longe ante tempus Concilii Lateranensis Confessionis auricularis usus invaluerat. Nam in Ecclesia Latina extat Canon. 31. Concilii 3. Carthaginensis, 10. Concilii Africani, 8. Concilii primi Cabilonensis, 35. Concilii secundi Cabilonensis, item caput 22. Concilii Turonensis 3. 26. Moguntini sub Rabano, & 25. Wormatiensis A. 868. quæ singula Concilia antiquam consuetudinem, & necessitatem confitendi peccata omnia Sacerdotibus, expressis verbis tradiderunt. Verum non solum in Ecclesia Latina, sed etiam in Græca hæc gravissima documenta inveniuntur. Certe sic legitur in canone 2. Concilii Laodicæni. *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant Orationi, Confessioni ac Pœnitentiæ malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes pro qualitate peccati tempus Pœnitentiæ tribuendum est*. Et in canone 102. Sextæ Synodi hæc leguntur *Oportet autem eos, qui solvendi, & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, ut ejus qui peccavit ad eam conversationem promptum studium, & sic morbo convenientem adferre medicinam*. Falsum igitur est, quod apud Græcos nullus sit usus Confessionis Sacramentalis, quare excidisse dicendum est ex Amanuensium, aut auctoris cujusdam imperitia in canone *quidam* distinct. 1. de Pœnitentia illud, *ut Græci*, cum ex laudatis decretis Conciliorum contrarium probetur, quod uberius apparebit ex iis, quæ infra dicemus. Modo satis sit addere Nicolaum Cabasilam in cap. 29. explicationis Liturgiæ, Anastasium Nicænum in quæstionibus super Scripturam q. 6. defendere Confessionem Sacramentalem, & Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum

notare caput. 11. Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, quod ibi dicatur *neceſſarium non eſſe confiteri ſpecies peccatorum*.

XV. Altera pars reſponſionis Lutheranorum, & Calviniſtarum perſtringit audaciam, qui contendentes poſt Baptiſmum non eſſe quærendum Symbolum externum divinitus inſtitutum, quo Chriſti merita applicentur, cum id ſatis commode præſtet ipſe Baptiſmus memoria apprehenſus, & repetitus, Divi Hjeronymi reprehendunt ſimilitudinem ex ſecunda tabula naufragii petitam, & fœdus Baptiſmi volunt eſſe perpetuum; ita ut vel in eo perſeveremus, vel ſi forte peccatum admiſerimus, ad illum revertamur. Jam contra hunc errorem aliqua diximus in Tractatu de Baptiſmo c. 4. §. 1. n. 14. ſed efficaciſſime etiam illum refellimus ex verbis Apoſtoli, quæ leguntur in cap. 6. Epiſtolæ ad Hebr. ubi dicitur *impoſſibile eſſe eos, qui ſemel ſunt illuminati* (ideſt Baptizati, nam apud veteres omnes, & præcipue Græcos baptizari, & illuminari idem ſonat, & Baptiſmus Sacramentum Luminis ab eiſdem appellatur) *guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam*. Quomodo enim impoſſibile eſt? Quia ut docet Auguſtinus in commentariis Epiſt. ad Rom. *qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt curari poſſunt per Pœnitentiam, non vero renovari, quod proprie pertinet ad Baptiſmum*. Videtur igitur, quod Apoſtolus Paulus non cognoſcit Baptiſma veluti remedium pro lapſis, ſed Pœnitentiam: imò neque quamcumque Pœnitentiam, cum illam excludat in eodem capite, quæ *fundamentum jacet ab operibus mortuis, & Fidei in Deum*, & quæ conjuncta eſt cum Baptiſmo, quæ proprie pertinet ad initia Neophytorum, ut idem Auguſtinus tradit in libro de Fide, & Operibus cap. 1. ſed Pœnitentiam illam, qua Corinthium graviſſimo ſcelere coinquinatum reconciliari permiſit, Pœnitentiam illam, ad quam reſpiciens Joannes in 1. cap. ſuæ 1. Epiſt. ait. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*, & demum illam, quam in quatuor a Sacramento Baptiſmi differre Tridentini Patres docuerunt in c. 2. Seſſ. xiv. ſcilicet ratione materiæ, ratione formæ, ratione Miniſtri, & ratione effectus. Idem etiam demonſtratur ex ſimilitudine, quæ eſt inter Circumciſionem, & Baptiſmum in hoc, quod ſicuti Circumciſio in Lege veteri fuit inſtituta contra peccatum originale in figuram Sacramenti Baptiſmi, nunquam vero, ut eſſet remedium peccatorum, quæ poſt Circumciſionem perpetrata fuiſſent; ita Baptiſmus in Teſtamento novo fuit a Chriſto Domino inſtitutus contra peccatum originale, & in remedium actualium, ſi quæ fuiſſent commiſſa ab adultis ſuſcepturis hoc Sacramentum, nunquam vero ut illius memoria, ſit remedium ad illa purgenda, quæ committuntur poſt ipſum. Sacrificia, expiationes, & ipſa confeſſio peccatorum in Veteri Teſtamento non memoria Circumciſionis fuere præſcripta lapſis remedia, ita pariter in lege Evangelica Sacrificium Crucis, & expiatio per Confeſſionem, & Sacerdotalem abſolutionem ſunt remedia peccatorum, quæ baptizati in dies committunt. Nec certe aliud innuit Apoſtolus loco ſupra citato c. 6. ubi aſſeruit aliam eſſe viam difficiliorem, & aſperiorem ad talia peccata remittenda, quod verum non eſſet ſi ſola memoria baptiſmi ſufficeret. Baptiſmus poteſt quidem conſiderari tamquam principium remiſſionis omnium peccatorum, etiam ſequentium, verum non quia proprie per Baptiſmum omnia tollantur, ſed quia per hoc Sacramentum ſit homo capax omnium Sacramentorum, & me-

mediorum, quæ contra peccata instituta sunt in Ecclesia. Hoc scripsit Augustinus in Epistola 23. *Si parvulus baptizatus grandior factus propria incœperit habere peccata, per quæ gratiam amittat non regeneratione, sed alia curatione sanari potest; Non per baptismum* scribit lib. 5. de Baptismo cap. 22. *sed per veram conversionem, quam Petrus Actuum* 8. *Simoni* imperavit, cum ait, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*, quid facilius autem Apostolo Petro occurrere potuisset, quam dicere Simoni: rememorare Baptismi tui, si sola memoria baptismi jam suscepti, cum fide remissionis peccatorum sufficeret ad eorum remissionem? Videtur itaque, quod nunquam fuerit in Ecclesia hæc opinio, cum eamdem nunquam docuerit, e contra vero semper docuit non solum Sacerdotes regenerare, sed etiam condonandorum peccatorum habere potestatem, ut scripsit Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. *Duobus modis Dei Spiritu plenos, vel afflatos homines peccata remittere, ac retinere, vel cum dignos admittunt ad baptismum, ac indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiæ corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt*, ut ait Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. c. 56. scilicet, *alio modo baptismum peccata remittere, & alio modo Pœnitentia, & reconciliatione homines sanari*, & propterea merito errorem adversariorum damnavit Ecclesia in Concilio Constantiensi Sess. VIII. & XV. deinde in Florentino in Decreto Eugenii, & demum in Tridentino Sess. XIV. can. 2. in quo sic legitur: *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit*.

XVI. Confutatis erroribus, quibus nostra responsio adversatur, reliquum est ut illius veritatem breviter demonstremus, quod non alia meliori ratione præstabimus, quam probando affirmari de Sacramento Pœnitentiæ omnia illa, quæ necessaria sunt, ut Pœnitentia ceteris novæ legis Sacramentis a Christo Domino institutis accenseatur. Tuentur communiter Catholici tunc externum aliquem ritum esse Sacramentum, quando est rei Sacræ signum aliquod efficax, quod significando efficiat: utrumque autem reperitur in Confessione Pœnitentis, & in verbo absolventis; nam in Confessione Pœnitentis significatur animi renovatio, in Absolutione Sacerdotis, peccati ipsius relaxatio exprimitur, ergo non deest huic ritui id, quod requiritur, ut proprie Sacramentum novæ legis appelletur. Quod vero hujusmodi signum efficacissimum sit, & significando efficiat supra probavimus §. 1. ubi expendimus Verba Joannis c. 2. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, & §. II. ubi egimus de actibus Pœnitentis. Ne vero locus supersit Sectariorum calumniis, qui plures alias conditiones requirunt ad Sacramentum novæ legis proprie dictum, juvat a Luthero, Kemnitio, & Calvino mutuare Sacramenti definitionem, & ostendere nihil contineri in illis definitionibus (quanquam multa innutilia complectantur, ut ostendimus in Prolegomenis) quod Pœnitentiæ Sacramento non respondeat. In libro de Captivitate Babylonica Lutherus vult ritum illum proprie Sacramentum vocari, qui *habeat mandatum Dei, & cui addita sit promissio gratiæ*. Kemnitius in 2. part. Examinis Concilii Tridentini pag. 41. requirit in Sacramentis octo conditiones 1. *Symbolum externum, & sensibile* 2. *mandatum Dei* 3. *quod illius institutio reperiatur in Testamento novo* 4. *quod ritus sit perpetuus* 5. 6. 7. *quod habeat annexam promissionem gratiæ, quæ in reconciliatione, & justificatione consistat, & qua sit*

signo

signo externo adjuncta 8. *quod hæc promissio singulis in particulari applicetur*. Calvinus tandem in 4. lib. Instit c. 14. §. 1. Sacramentum definit *Externum Symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ, promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur*. Hæc sunt, quæ Sectarii requirunt, & singula hæc in ritu Confessionis, & Absolutionis quadrant omninò; & ita Confessionem, & Absolutionem habere mandatum Dei, & gratiæ promissionem apertissimum fit. *Dedit nobis*, scribit Apostolus in sua 2. ad Cor. c. 5. *ministerium reconciliationis, posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo legatione fungimur.* En Divinum mandatum. *Si confiteamur peccata*, inquit D. Joannes in sua 1. Epistola c. 1. *fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* En gratiæ promissio, quam promissionem clarius adhuc Christus expressit, cum Joan. 20. ait *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Habemus etiam in verbis absolutionis externum, ac sensibile Symbolum, non secus, ac illud habemus in illis verbis Matth. ultimo. *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ex quibus eruitur forma. *Ego te baptizo* in Sacramento baptismi, dum enim Sacerdos ait *ego te absolvo*, quod petitur ex facultate a Christo Domino suis Ministris concessa per illa verba, *quorum remiseritis peccata*, nihil magis sensibile proferri potest, ut id exterius appareat, quod per fidem interius produci credimus, justificationis beneficium, & peccatoris cum Deo reconciliationem, utrumque in novo testamento promissum, cum tam Epistola Pauli, quam Joannis, ejusdemque Evangelium ad novum testamentum pertineant. Non oportet, quod Kemnitius multum laboret, ut ostendat Sacramentum Pœnitentiæ fundamentum non habere in prædicatione pœnitentiæ Christi, & Præcursoris ejus, ut inde inferat non apparere illius originem in novo testamento: hoc enim nos libenter concedimus, qui non ante, sed post Christi Resurrectionem dicimus Sacramentum Pœnitentiæ fuisse institutum. Pœnitentia, quam Christus, & Præcursor prædicavit potissima Sacramenti parte caruit, nam vel illi defuit Confessio peccatorum, vel defuit verbum absolutionis. Christus Magdalenam absolvit, & Paralytico peccata remisit, sed nullum ex his legimus sua peccata prodidisse. *Accedebant Judæi ad Joannem confitentes peccata sua*, verum non legimus Joannem absolutionis verbum pronunciasse, igitur in Christi, & Præcursoris Pœnitentia exemplum habere non possumus Sacramenti Pœnitentiæ, sed vel cujusdam dispositionis ad gratiam impetrandam per Baptismum Pœnitentiæ, quem prædicabat Joannes, vel exemplum propriæ, & singularis potestatis, qua Christus præditus erat, ut etiam sine Sacramento peccata dimitteret, quando vellet. Ritum autem absolutionis, & Confessionis semper in Ecclesia permansisse, primo patet ex Actibus Apostolorum cap. 19. ubi legimus, *quod multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos*, vel ut habet Syriaca lectio *offensas suas*, patet ex testimoniis Conciliorum, quæ paulo supra indicavimus, & infra patebit ex Patrum traditione, cum de Confessione agemus, eumdemque ritum semper esse permansurum ex eo cognoscitur, quod Christus non definivit quamdiu sit duraturus, & propterea tamdiu esse perseveraturum hunc ritum credimus, quamdiu fideles tam singulari beneficio indigebunt.

XVII. Ne vero sectarii nos terreant, cum Apostolos inquiunt affirmare se de Pœnitentia in Deum, & de accipienda remissione peccatorum non aliter

ter docuisse, quam Prophetas, & propterea non aliam docuisse pœnitentiam, nisi quo ad substantialia, qua impii ante Baptismum ad Deum convertuntur, & aliam diversam, qua lapsi post Baptismum cum Deo in gratiam redeant. Ex illorum enim Sententiis clarum est Sectariorum Sententiam nihilo fieri meliorem, nec interri posse Pœnitentiam in novo testamento a Sacramentorum numero esse expungendam. Legimus has sententias in eorumdem Actis, alteram in cap. 10. ubi Petrus Christo loquens, *præcepit nobis*, ait, ***prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum***. Alteram vero legimus in cap. 26. ubi Paulus rationem reddens doctrinæ suæ, inquit. *His, qui sunt Damasci primum, & Jerosolymis, & in omnem regionem Judeæ, & Gentibus annuntiabam, ut Pænitentiam agerent, & converterentur ad Deum digne Pænitentiæ opera facientes.... testificans majori, atque minori nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*. Undenam quæso ex verbis recitatis oritur pro Novatoribus argumentum contra Sacramentum Pœnitentiæ? omninò rudis est, qui laudata verba ad Sacramentum Pœnitentiæ exprimendum traducit, cum neque Petrus, neque Paulus in locis his Pœnitentiæ ritum tradant, neque illud explicent, quod ad hunc necessario requiritur, sed vel in verbis illis describitur necessitas virtutis Pœnitentiæ, & illius præsertim, quæ propria est infidelium, qui convertuntur ad fidem, quæ virtus semper necessaria fuit, & a Prophetis frequenter prædicata; vel traditur doctrina de Christi adventu, passione, & resurrectione, ut constat ex sequentibus verbis: *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, tamen annunciaturus est populo, & gentibus*. Nullibi apud Catholicos invenitur traditum Pœnitentiam ante baptismum ab ea differre, quæ agitur post baptismum, fatentur omnes semper peccata remitti per Christi merita præcedente fide, & Pœnitentia, notant solummodo Pœnitentiam post Baptismum esse materiam Sacramenti, quæ confessionem peccatorum requirit, & quædam opera laboriosa, illa prior neutrum ex his exigit necessario, sed si hæc fiant, illi accidentalia sunt, & non substantialia, & ut in superiori capite diximus, illa interior est, hæc vero signis externis indiget, quæ cum verbo absolutionis conjungantur.

XVIII. Opportune tamen notandum est non requiri, quod hæc externa signa consistant in externo Elemento, quale est aqua in Baptismo, panis, & vinum in Eucharistia, sufficit quod talia signa sint, ut illis positis significetur interna justificatio. *Si Sacramenta*, inquit Augustinus in Epistola ad Bonifacium, *similitudinem non gererent earum rerum, quarum Sacramenta sunt, Sacramenta non essent*. Utrum autem ea signa oculis, aut auribus percipi debeant, nihil interest, nam idem Augustinus lib. 10. Confess. c. 35. vocat signum visibile, quod sensu externo aliquo percipitur: *Vide*, inquit loco cit. *quid sapiat, vide quid oleat, vide quid sonet, vide quam durum sit*. Satis igitur est, quod tale signum extrinsecus pateat, propter quod visibile dicitur in quantum opponitur illi, quod sola mente apprehenditur. Cum ergo in Sacramento Pœnitentiæ habeamus Confessionem Pœnitentis, & Absolutionem, quæ exteriori actu, & voce a Ministro pronunciatur, habemus in rebus his signum illud, in quo vera Sacramenti Pœnitentiæ ratio consistit. Quod si Augustinus Tractatu 80. in Joan. vult fieri Sacramentum, cum verbum

bum accedit ad Elementum, nullus etiam est, qui non videat in illo loco agere Augustinum de Sacramento Baptismi, non de materia, & forma omnium Sacramentorum.

XIX. Ut vero de tempore institutionis hujus Sacramenti aliquid addamus, 1. dicimus convenienter fuisse hoc Sacramentum institutum in lege gratiæ, & non antea, tum propter perfectionem hujus legis, tum quia ut explicat D. Thomas hic q. 84. a. 7. ad 2. *nondum erat instituta potestas Clavium, quæ a passione Christi derivatur, quam clavium potestatem respicit Sacramentum Pœnitentiæ, & in ea fundatur tamquam actus ejus*. 2. dicimus Christum Dominum non instituisse hoc Sacramentum, quando Apostolos misit ad prædicandum, quia nullum verbum a Christo Domino tunc prolatum fuisse constat, ex quo talis institutio colligatur. Cyprianus in Sermone de ablutione pedum putat hoc Sacramentum fuisse institutum in nocte Cœnæ, D. Thomas loco supra citato quasi per partes factam esse hanc institutionem putat. *Quia materia hujus Sacramenti*, inquit, *praexistit a natura, ex naturali enim ratione movetur homo ad pœnitendum de malis, quæ fecit, sed quod hoc, vel illo modo homo Pœnitentiam agat, est ex institutione Divina, unde Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, ut non solum pœniterent, sed etiam Pœnitentiam agerent, significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc Sacramentum*; Rursus quia forma hujus Sacramenti, & efficacia ejus futura erat ex voluntate, & meritis ipsius Christi, ideo inquit D. Thomas, *ante mortem indicasse Christum illam formam promittendo Matth. 16. potestatem clavium, ubi dixit Petro*, tibi dabo claves regni Cœlorum. *Post mortem vero, & resurrectionem efficaciam, & originem virtutis ejus, ubi Luca ultimo dixit*, quod oportet prædicari in nomine ejus Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, *& ideo potestas Clavium ad hoc Sacramentum conficiendum dari non debuit usque ad ejus resurrectionem*. Possumus itaque 3. dicere in hoc Sacramento quatuor considerari, utilitatem, necessitatem, potestatem, & promulgationem. De utilitate egit Christus Dominus Matth. 4. *Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum*. De necessitate egit Lucæ 13. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*. De Potestate egit Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*. De promulgatione demum testimonium habemus apud D. Jacobum c. 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*. Sed semper constat hoc Sacramentum quoad singulas sui partes in nova lege fuisse institutum, quia antea non fuit Potestas remittendi peccata, neque ullus alius, ut Dei Minister peccatores absolvit, ut probabilius etiam est fuisse institutum post Resurrectionem, quia est typus, & exemplar nostræ justificationis juxta illud Pauli ad Rom. 4. *Traditus est propter nostra delicta, & resurrexit propter nostram justificationem*, vel quia, *cum remissio peccatorum*, ut loquitur D. Thomas in cap. 20. Joan. *fiat media charitate, & Spiritus S. sit Charitas, non fuit conveniens Apostolos recipere virtutem remittendi peccata quousque per mysticam illam Christi insufflationem, quæ solum contigit post ejus resurrectionem, Spiritum S. recepissent*. Dixi *quoad singulas sui partes*, ne quis arbitretur institutum fuisse hoc Sacramentum a Christo Domino solum quantum ad potestatem absolvendi a peccatis, verum etiam quantum ad Confessionem peccatorum, quemadmodum Tridentinum Concilium in cap. 3. Sess. XIV. asseruit, cum ait: *Ex in-*

institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram Confessionem peccatorum. Solum enim ad tempus annuæ Confessionis referuntur ea, quæ Innocentius III. definivit in cap. *Omnis utriusque sexus*, in quo prava aliquorum consuetudo corrigitur, qui in plures annos Confessionem differebant. Sed jam properandum est ad examen postremæ difficultatis, quam in ipso Controversiæ exordio attigimus, & quam insolens Hæreticorum garrulitas brevissime expedit asserens Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione non esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, quæ post baptismum commissa sunt, placet enim illis impium justificari per fidem misericordiæ specialis. Aliter vero sentiunt Catholici.

§. IV. *Pœnitentiæ Sacramentum lapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii.*

XX. Necessitatem hanc Tridentini Patres ex eo colligunt, quod Christus e terris ascensurus ad Cœlos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferrentur, in quæ Christi fideles inciderent, ut pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum Sententiam proferrent. Frustra autem Christus tantum opus suis Vicariis reliquisset, si lapsi justificationem consequi potuissent sine Pœnitentiæ Sacramento, hoc est sine suorum Peccatorum Confessione, & Sacerdotali absolutione. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ, est medium necessarium ad remissionem talium peccatorum ex vi suæ institutionis. Unde Augustinus homil. 49. ut lapsi possint suorum scelerum condonationem obtinere. *Agite*, inquit, *Pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro nobis Ecclesia. Nemo sic dicat occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine caussa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium, frustramus verba Christi, promittimus nobis, quod ille negat*, plurimique alii Patres, tum damnationem æternam minantur iis, qui confiteri detrectant, tum exempla proferunt Pœnitentium, qui quovis Sæculo ab Ecclesiæ Ministris absolutionem petierunt, & inter illos, Patres aliqui reperti sunt, qui de salute eorum dubitarunt, qui quamquam Sacramentum Pœnitentiæ petierint, sine absolutionis subsidio ingravescente morbo perierunt, ut patet ex iis, quæ scribit S. Leo Magnus in sua Epistola 91. ad Theodorum Episcopum Forojuliensem: *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interruptus obstaculo a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & prinsquam ad constituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum, qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.* Addi potest auctoritas Xisti IV. in quadam Extravaganti contra Petrum de Osma, Decretum Concilii Constantiensis in Sess. VIII. & XV. in qua damnantur errores Wiclephi, & postremo Fundamenta illa singula, quibus alibi demonstratum est solam fidem neminem justificare.

XXI. Quanquam vero hæc a nobis proferantur, tum ex illatione Concilii Tridentini, tum ex mente Sanctorum Patrum non acquiescunt tamen

fundamentis his illi, qui in illatione Concilii Tridentini plura inveniunt, & in Patribus, quæ cum eorum principiis exacte non congruunt, & præcipue advertunt multa posse esse media utilia, seu sufficientia ad eumdem finem, & plures caussas posse concurrere ad eundem effectum, quamvis nulla earum necessaria sit; idque illis clarum fit, quanquam aliunde exempla non petant, in hac ipsa re, de qua agitur, etenim vident, quod Christus Dominus eodem modo Sacerdotes constituit Judices peccatorum venialium, de quibus judicant in Sacramento Pœnitentiæ, & illa remittunt, etiamsi nihilominus eorum judicium necessarium non sit ad hoc, ut hæc Venialium remissio impetretur. Addunt ulterius Concilium post verba citata hæc subjungere: *Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita caussa exercere non potuisse:* ex quibus verbis, inquiunt, apparet, quod necessitas Confessionis, ex Tridentinis Patribus non respicit obtinendam remissionem peccatorum, sed validitatem, firmitatem, & Solemnitatem judicii, licet tamen hoc judicium, non necessario eruatur ex verbis Joannis: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*, cum adeo hæc verba generalia sint, ut accomodari possint cuilibet alteri medio, quod vel Apostoli, vel illorum Successores opportunum credidissent, aut aptum cognoscant ad remittenda peccata; & ita verba illa Joannis, concludunt, per se non sufficere ad hanc veritatem demonstrandam, neque id Concilium docere voluisse, sed veritatem hanc haberi ex hoc, quod Ecclesia in hunc sensum Joannis verba interpretata sit, & Patrum traditio in eumdem sensum illa usurpaverit. Verum neque de hac Patrum traditione nos certos esse pluribus documentis probant. Primo ex facto Nectarii Constantinopolitani Patriarchæ, qui abstulit usum Sacramenti Pœnitentiæ, quod non fecisset si esset medium ad salutem necessarium ex Christi institutione. Rem narrat Socrates lib. 5. histor. cap. 19. & Sozomenus lib. 6. c. 16. & Nicephorus lib. 12. c. 28. Secundo ex Auctoritate Chrysostomi, qui homil. 2. in psalm. 50. *Peccata tua*, inquit, *dicito ut deleas illa, si confunderis alicui ea dicere, dicito ea quotidie in anima tua, dicito Deo, qui curat ea*. Et homil. 4. de Lazaro super illud Jsajæ 43. *Dicito tu peccata tua ut justificeris*, inquit, *Cavè homini dixeris, ne tibi exprobret, sed ei, qui Dominus est, qui tui curam gerit, neque enim ignorat etiam si non dixeris*, & homil. de Pœnitentia, & Confessione *solus te Deus confitentem videat, neque enim necesse est præsentibus testibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio*, & homil. 21. in Epistolam ad Hebræos *Obedire*, inquit, *te volo Prophetæ dicenti: revela Domino viam tuam ante Deum, ergo tua confitere peccata non lingua, sed Conscientiæ tuæ memoria* & demum homil. 8. de Pœnitentia circa finem ad verba illa, *probet autem se ipsum homo: non in commune*, ait, *Theatrum accusationem producit, non delictorum testes statuit, intus in Conscientia stante nemine præter eum, qui cuncta videt Deum, judicium peccatorum statuens, reforma quod deliquisti, atque sic pura Conscientia Sacram attinge mensam*. Tertio proferunt auctoritem Ambrosiii in caput 22. Lucæ de negatione Petri, & ea quæ scribit in Sermone 46. *Lachryma lavant delictum, quod ore pudor est confiteri, Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego*. Et demum Cassianum inducunt collat. 20. c. 8. sic scribentem: *Si verecundia retrahente revelare peccata coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, & dicere*: quoniam iniquitatem meam ego cognosco: Et po-

postremo Origenem, qui homilia 2. in Leviticum septem vias subministrat ad consequendam peccati remissionem.

XXII. His tamen non immoramur, ut Catholicam opinionem constantissime tueamur, cum nullius roboris esse cognoscamus illa singula, quæ hactenus adversarii congesserunt. Illud enim, quod primum est eorum objectum contra Concilii Tridentini illationem, hoc fundamento refellimus, quod quando Princeps publicum constituit Tribunal, & judices Ordinarios ad dirimendas lites, & finienda judicia cujuscumque generis illa fuerint, quanquam possit, tamen communiter abstinet a cognitione earumdem caussarum absque speciali dispensatione, quæ si contingat necessario constare debet. In nostro casu habemus Tribunal a Christo institutum, habemus Judices Ordinarios, quibus mandavit, ut remitterent, & retinerent peccata, esse aliquem ab hoc judicio exemptum nefas est dicere, nisi aliter constet de Instituentis voluntate. Constat autem oppositum. Ergo fundamento caret primum adversariorum suppositum. Et certe; Ex hoc quod Matthæi ultimo Christus Dominus dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*, potuit Joannis 5. ipse Apostolos certiores reddere Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium dedisse filio, filium scilicet fecisse unicum, & immediatum, ac ordinarium Judicem hominum; ita pariter quia Joannis 20. Christus Dominus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*, intelligere debemus Christum a se abdicasse in hac vita jus homines judicandi quoad remissionem, vel retentionem peccatorum, & omne hoc judicium Apostolis commisisse. Cohæret hoc cum sententia, quam ex Augustino supra retulimus. *Agite Pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat occulte ego, apud Deum ago ... frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus quod ille negat*. videlicet negat se velle uti illa potestate, quam ipse hominibus commiserat. Si Sacerdotes vos a peccatis absolverint absoluti eritis, si ipsi non remiserint, peccata remissa non erunt. Oportet igitur, quod peccatorum absolutio a solo Pœnitentiæ Sacramento expectetur, nullumque aliud remedium hominibus in hac vita datum esse præter hoc Sacramentum ex Christi institutione necessarium necessitate medii ad remissionem peccatorum.

XXIII. Non videtur autem verum id quod addunt adversarii de Peccatis venialibus, nam de his Peccatis, ut loquitur D. Thomas hic q. 84. a. 2. ad 3. *est quidem Pœnitentia proprie, in quantum sunt nostra voluntate facta, non tamen contra hæc principaliter est hoc Sacramentum institutum*; quare licet verum sit remitti hæc peccata si subjiciantur clavibus; non tamen est verum, si non subjiciantur remitti non posse, remittuntur enim pluribus aliis modis. Venialia igitur peccata possunt subjici judicio Sacramentali, & possunt non subjici. Si primum fiat, per Sacerdotis sententiam tolletur temporale illud impedimentum, per quod ille, qui hujusmodi peccatis obstringitur retardatur ab ingressu in Regnum Cœlorum, & tunc in ordine ad hunc effectum, & quoad hunc modum necessarium erit Sacramentum Pœnitentiæ, nam institutio hujus Sacramenti non mutavit quoad hoc naturam peccati venialis. Si secundum contingat, illa peccata per hoc Sacramentum non remittentur, semperque manebit impedimentum temporale, quod in Purgatorio poterit auferri, & ideo respectu illius non debuit Pœnitentiæ Sacramentum relinqui, ut medium necessarium.

XXIV. Quod tertio loco proponitur nihil contra nos concludit, nam verba Concilii, quæ hic leguntur inferunt tantummodo necessitatem Confessionis, quia judicium Sacerdotis est simpliciter necessarium, quia solum penes Sacerdotes est potestas remittendi peccata. Falsum vero est, quod hoc judicium non contineatur in verbis Joannis, alioquin dicendum esset Christum dedisse Apostolis amplissimam facultatem illam, qua ratione suæ excellentiæ ille præditus erat, ut pro eorum arbitrio, & libertate peccata remitterent, quod dicere est ineptissimum. His accedit, quod cum in hac facultate Apostolis concessa reperiatur etiam potestas retinendi peccata, necesse fuit, quod prudenter hac facultate uterentur, ne alicui injuria fieret. Recte igitur Apostoli, & Ecclesia intellexerunt sibi datam, & relictam hanc potestatem exercendam per modum judicii, hoc est prævio examine caussæ. Plurimum adversarii confidunt in monumentis, quæ ex Patribus objiciunt, ut ostendant Catholicam veritatem per traditionem non probari. Cæterum, neque ex hoc capite proficiunt quidquam, cum historiam non proferant, quæ genuina sit, & testimonia ex Patribus congerant, quæ falsæ opinionis studio abrepti, in alienum sensum traducunt. Ignorat nemo Socrati Novatianorum partibus addictissimo, Pœnitentiæ Sacramentum odiosum fuisse, & quam maximis scateat erroribus Sozomeni historia, mirum ergo non est, quod isti narrent Nectarium Patriarcham Constantinopolitanum Pœnitentiæ Sacramentum sustulisse. Non ita tamen sentiunt ceteri, qui idem factum describunt, nam aliqui existimant illum sustulisse usum Sacramenti Pœnitentiæ ad breve tempus occasione scandali orti ex publica Confessione cujusdam mulieris, quæ cum Diacono peccaverat. Alii dicunt non prohibuisse, sed solum statuisse, ut fideles non cogerentur ab Ecclesiæ Ministris confiteri, & uniuscujusque conscientiæ reliquisse, ut jus a Christo institutum servaret, vel illo uteretur, ut vellet. Alii volunt Nectarium non abstulisse Confessionis usum, sed solum quatenus præmitti solet, ut necessaria dispositio ad Eucharistiam. Alii tandem opinantur tantum abstulisse, vel moderatum fuisse ritum aliquem pertinentem ad publicam Pœnitentiam, quæ tunc agebatur in Ecclesia post Sacramentalem Confessionem. Nos ex hac varietate opinionum verisimiliorem seligentes, huic postremæ adhærendum esse arbitramur, quæ morem in Ecclesia receptum tradit, de quo Nissenus egit in Epistola ad Latojum Mitylenes Episcopum, quem refert etiam Baronius ad annum 56. eo vel maxime, quia eumdem abusum in quibusdam Campaniæ Ecclesiis introductum Sanctus Pontifex Leo Magnus perstrinxit sic ad illarum Ecclesiarum Episcopos scribens: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: De Pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur, ut de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus Conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui Pœnitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta referare, quibus possent legum constitutione percelli*. Habentur hæc verba in ejusdem Leonis Epistola 80. Accedit robur nostræ opinioni, ex testimonio Ruardi Tap-

peri,

peri, qui aliter non sensit in explicatione articuli 5. Lovaniensium: quapropter notamus Presbyterum Pœnitenciariam, quem Nectarius exauctoravit in Ecclesia Constantinopolitana hoc munere functum fuisse, ut libellos eorum omnium, qui publicam Pœnitentiam acturi erant susciperet, in publicum recitaret peccata illa, quæ ipsi Pœnitentes publice narrari permitterent, & ex his illa etiam tantum selligeret, quæ sine scandalo, & cum aliorum ædificatione dici possent, & ad correctionem ipsius Pœnitentis, magis essent necessaria, vel utilia, cetera vero sub secreto retineret, & ideo hunc Pœnitentiarium Nectarius abstulit, quoniam illius occasione scandalum illud acciderat. In more fuit Ecclesiarum munus hoc uni Presbytero demandare post exortum Novatianorum Schysma, nam ante hoc tempus, nemini onus hoc erat impositum sistendi se coram certo Presbytero, ut peccata sua publice confiteretur, sed usus erat, quod qui gravioribus fuisset irretitus criminibus, illa secreto confiteretur Sacerdoti, & juxta illius consilium, vel privatam, vel publicam Pœnitentiam subiret. Post ortam hanc hæresin prodiit novus ille ritus, ne Catholici a Novatianis arguerentur, quod nimis facile lapsos ad Communionem admitterent. Illud etiam confirmat Nectarium non abrogasse Pœnitentiæ Sacramentum, quod post illius tempora, semper Ecclesia Græca hoc salutari remedio usa est secretæ Confessionis, & Sacramentalis absolutionis, quod perspicuum est ex auctoritatibus Chrysostomi, Nicephori, Cartophylacis, & Concilii Trullani, quas infra afferemus, & nunquam opus fuit retractatione illius, quod ipse Nectarius fecerat, nullusque auctor invenitur, qui ipsum reprehenderit, quasi hoc Divinum jus evertisset. Aliquibus certe Episcopis hoc ejus Consilium non arrisit, hoc fundamento, quod antiquam abstulerat consuetudinem honestam, & utilem ad frænandos peccatores, qua in re esse poterat varia hominum sententia absque errore, & attenta temporum circumstantia fieri potuit, ut tunc non expediret illa consuetudo, quæ antea probabatur. Hoc unum certum est Nicolaum Papam nuncupasse Nectarium hæreticorum expugnatorem, & defensorem Ecclesiarum in ejus Epistola ad Photium, quæ recitata est in Actione 4. Synodi VIII. Certum item est Joannem Chrysostomum non recessisse a Sententia Nectarii, & demum certum est Orientales omnes Ecclesias sequi hanc Nectarii opinionem, ex quibus colligi potest quanti facienda sit Thomæ Waldensis auctoritas, quæ legitur in ejus 2. Tomo de Sacramentis c. 141. ubi dicit: *Nectarium in ea re graviter errasse*.

XXV. Ostendendum modo est adversarios in pravum sensum Sanctos Patres traducere, & quoniam maximum illis est Chrysostomi testimonium, ad illud modo se convertit responsio nostra. Et primum repeto animadvertendum esse Chrysostomum Nectarii prædecessoris sui judicium sine fidei detrimento voluisse defendere; neque aliud præseferunt loca illa, quæ ex Chrysostomo ab ipsis adversariis opponuntur, si conferantur, cum verbis Origenis, quæ leguntur in homilia 2. in Psal. 37. in quibus agens de publica Confessione scribit: *Si homo memor delicti sui confiteatur, quæ commisit, & humana confusione parvi pendat eos, qui exprobrant eum confitentem, & notant, vel irridens &c.* qui certe actus non fiunt, si privata, sive si sit secreta confessio. Cum igitur Chrysostomus eadem loquendi forma utatur: *Si confunderis alicui dicere, quæ peccasti;* & rursus *non dicito, ut confitearis servo tuo, qui exprobret*; & iterum: *non ego te in medium prodire Theatrum, ac multos adhi-*

adhibere testes &c. clarissimum est Chrysostomum verbis illis non Sacramentum Pœnitentiæ expunxisse, sed publicam Confessionem voluit non esse necessariam. Excludit certe etiam in aliquibus, ex citatis locis ministerium linguæ, dum dicit *cogitatione fiat delictorum exquisitio*. Verum ut inquit Gratianus, *quis ignorat non esse necesse, ut quæ semel Sacerdoti confessi fuerimus denuo confiteamur, sed lingua cordis, non carnis apud judicem verum ea jugiter nos confiteri debere?* Consueverant aliqui, ut supra diximus, post Sacramentalem Confessionem aliqua peccata publice confiteri, vel ad Pœnitentiarium accedere, quod cum ægre ferrent non pauci, Chrysostomus sola cogitatione docuit sufficere apud Deum Pœnitentiam agere. Nisi etiam dicere voluerimus, quod probabilissimum est, Chrysostomum per illa verba velle significare Confessionem re ipsa semper ad justificationem non requiri, cum sola interior conversio eundem effectum operetur, scilicet peccati remissionem. Cujus rei argumentum ex eo petimus, quod Chrysostomus in illis locis agit de frequenti Conscientiæ examine, ut fideles celeriter e statu mortis in statum vitæ, a peccato ad gratiam revertantur, quod certe fieri necesse non est per hoc, quod statim confiteantur. *Quidam solummodo* (verba sunt Canonis 33. Concilii Cabilonensis II.) *Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam; ita dumtaxat ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra, idest non derelinquamus suo tempore ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere*. Chrysostomus itaque, & Nectarii sententiam tenuit, & dogma Catholicum docuit. Prætereundum tamen non est nonnulla testimonia ab Heterodoxis ex Sancto Doctore obiici, quæ ad Catechesim illam pertinent, quam *ad illuminandos* inscripsit, scilicet ad Catechumenos, quibus non erat necesse, ut de Sacramento Pœnitentiæ loqueretur, sed de Pœnitentia illa, quæ Baptismo præmitti oportebat. Hujusmodi sunt sermones illi, quos habuit ad Populum Antiochenum, in quibus inter cetera dicit, Deum non exigere, ut alteri, sed ut illi peccata detegamus: *sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri: satis esse Deo proprium peccatoris testimonium, nec aliquem, sive Sacerdotem, sive Laicum non debere nostræ Confessionis testem quærere: absurdum esse, quod nos, in quibus ipsum colimus alios testes quæramus, & ad ostentationem quidquam faciamus*; quare mirum esse non debet, quod in his locis, & aliis, quæ leguntur in ejusdem homiliis 21. 24. 40. & 41. ad Populum docuerit hoc Sacramentum non esse necessarium. Non est etiam cur verbis Ambrosii Catholicos urgeant Sectarii; numquam enim Ambrosius dixit *lachrymas sufficere ad lavandum delictum si quis habeat confitendi pudorem, sed lachrymas Confessionem delicti continere, lachrymas lavare delictum, quod cum pudore confitendum est*; ita certe ait libro 2. de Pœnitentia c. 6. *solvit criminum nexus verecunda confessio peccatorum*, & in lachrymis Petri ejusdem Confessionem agnovisse constat tum ex iis, quæ scripsit lib. 10. in Lucam cap. 96. *Maluit Petrus suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando: justus enim in principio est accusator sui, & ideo flevit*, tum ex his: *Verecundæ lachrymæ sine horrore culpam loquuntur: lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ fatentur*, & mox *lachrymæ verecundiæ consulunt, & saluti, non erubescunt in petendo &c.* unde potius sensit Am-

Ambrosius propter pudorem neminem debere hoc modo excusari ne ad Pœnitentiæ Sacramentum accedat.

XXVI. Dubitari etiam non potest Cassianum in illa auctoritate, qua Adversarii abutuntur agere de Publica Confessione, quod patet ex circumstantiis, quæ sententiam Cassiani componunt. *Si verecundia retrahente*, inquit, *revelare coram hominibus erubescis, illi &c. non desinas, qui & absque ullius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit*; hæc enim verba satis indicant Confessionem illam, ex qua Publicatio, & improperium sequebatur non fuisse Sacramentalem Confessionem, unde neque ex hac sententia, quidquam detrahitur Sacramento Pœnitentiæ, cui etiam nihil detrahit Origenes, dum varios modos recenset, quibus peccata purgantur, scilicet Baptismum, Martyrium, Eleemosinam, Injuriarum condonationem, Conversionem Peccatoris, Charitatem, & Pœnitentiam, cum omnibus certum sit solum Baptismum, & Pœnitentiam peccata remittere, reliquos vero modos esse externa pietatis opera, quibus aut impetratur, aut manifestatur contritio, quæ sine Confessionis voto ad justificationem non sufficit in casu necessitatis, ut non Baptizatis non sufficiunt sine Baptismo, vel in re, vel in voto, absente Sacerdote, & morte imminente. Dixi *sine Confessionis voto*, quod ita esse dictum quisque intelligat, ut dum probavimus Sacramentum Pœnitentiæ ex vi Divinæ institutionis necessarium esse ad remissionem peccatorum, quæ commissa sunt post Baptismum, non putet saluti Peccatoris nullo alio modo consultum esse in casu, quo hoc Sacramentum non valeat suscipere. Sufficit igitur Sacramentum ipsum in voto susceptum, & hoc definiverunt Tridentini Patres in cap. 14. Sessionis VI. & in cap. 4. Sess. XIV. & scripserat jam S. Pontifex Leo Magnus in Epist. 91. ad Theodorum c. 3. Accedit etiam ratio, quia veræ conversioni in Deum per contritionem promissa est remissio peccati: quapropter si peccato reparari non possit per Sacramentum Pœnitentiæ, propositum ejus sufficit, juxta illud, *apud Deum voluntas pro facto reputatur*, quod propositum satis esse, quod includatur in ipsa Contritione, ex eodem Concilio Tridentino in laudato cap. 4. Sess. XIV. clare eruitur, quemadmodum eruitur nihil aliud esse, quam propositum servandi omnia mandata.

XXVII. Colligitur ex his, quæ huc usque diximus non esse adæquatam illorum Theologorum definitionem Sacramenti Pœnitentiæ in qua dicunt: *Pœnitentia Sacramentum esse absolutionem hominis Pœnitentis factam certis verbis cum debita intentione prolatis a Sacerdote, & ex institutione Divina peccati remissionem significantibus*, cum potius sit *Confessio legitime in foro Pœnitentiæ facta, & absolutione judicis firmata*; sive *compositum morale quoddam, seu artificiale constans ex actibus Pœnitentis, & verbis Sacerdotis, institutum ad significandum, & conferendum gratiam, qua remittit peccata post Baptismum commissa*.

XXVIII. Colligitur 2. quod cum Sacramentum Pœnitentiæ per se sit institutum ad remissionem peccatorum, nisi illam operetur, inanis, & vacua ceremonia est, & inutilis quoad substantiam absolutio, secus vero dicendum erit si dispositis conferatur, contritis scilicet, Confessis, ac satisfacere proponentibus.

XXIX. Colligitur 3. Necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ non congruere in omnibus cum necessitate Sacramenti Baptismi; ita ut de utroque dici pos-

sit,

sit, quod ad vitandum æternæ salutis periculum homini cuique, & ipsis mulieribus licita, & valida sit utriusque Sacramenti administratio, docet enim D. Thomas *lapsis post baptismum difficiliorem esse debere aditum ad reconciliationem, quam primo conversis ad regenerationem*. Sed præter hanc rationem, aliud etiam disparitatis fundamentum accedit, quod Parvulis, & Amentibus nulla alia superest via præter Baptismum, ut hi salutem consequantur, non ita vero adultis, qui etiam sine Sacramento Pœnitentiæ salvari possunt per sinceram contritionem.

XXX. Colligitur 4. Originale Peccatum non pertinere ad materiam hujus Sacramenti, quod propter illud tollendum non est institutum, neque est materia propriæ accusationis, cum non sit propria voluntate commissum. Ipsa quoque peccata actualia ante Baptismum commissa ad materiam ejusdem Sacramenti non pertinent, vel quia ex dictis ubi de efficacia Baptismi egimus, singula remittuntur per Baptismum, vel quia persona in illo statu non subest jurisdictioni Ecclesiæ. Sola igitur peccata actualia hominis baptizati sunt materia sufficiens hujus Sacramenti, & hoc extenditur ad ipsa peccata venialia, ut docuit Concilium Tridentinum in c. 5. & can. 7. Sess. xiv. & Leo X. in Bulla contra Lutherum in damnatione 8. articuli, & Gelasius Papa agens de vinculo anathematis. Verum tamen est, quod hæc peccata venialia non sunt materia necessaria, quia ut diximus, possunt aliis modis auferri, & Sacramentum Pœnitentiæ sine illorum Confessione confici potest. Peccata mortalia sunt necessaria materia, quia tolli non possunt sine hoc Sacramento, si illa commissa sint, & nunquam sint confessa, non tamen sine illis non potest confici hoc Sacramentum, ut patet si contingat, quod quis confiteatur vel sola peccata venialia, vel alia peccata quæcunque fuerint, etiam semel confessa, ut docuit Benedictus XI. in Extravaganti 1. de Privilegiis, ubi dixit *salubrem esse talem Confessionem, quidquid alii dixerint*, quod in nullo Sacramento possit forma sæpius cadere supra eamdem materiam, quod licet verum sit supra materiam proximam, tamen est falsum soper materiam remotam, nam ex eadem aqua possunt confici plura Baptismata: ideo vero concessum est, ut eadem peccata possimus iteratò cofiteri, tum ut perfectiorem eorumdem remissionem comparare possimus, tum ut induceremur ad eorum Pœnitentiam sæpius agendam, tum demum, ut tota pœna illis debita nobis tandem remittatur.

XXXI. Colligitur tandem peccata dubia neque esse materiam necessariam, neque sufficientem hujus Sacramenti, quia materia debet esse peccatum, quod tale sit; si tamen quæcumque alia materia desit, in hoc casu prudentis Ministri arbitrio relinquitur, ut juxta dubii probabilitatem Sacramentum vel absolute, vel conditionate perficiat.

XXXII. Ut quibusdam difficultatibus occurratur, quæ moveri possent contra ea, quæ in superioribus responsionibus pronunciavimus. Notandum est inveniri aliquando in Divina Scriptura, & in Patribus quædam pronunciata, quæ videntur excludere a spe veniæ, & consequenter a materia Sacramenti Pœnitentiæ nonnulla dicta, vel facta, utpote quæ cum impœnitentia conjuncta, vel ex parte subjecti, quod propter scelerum granditatem a Deo prorsus deseratur, vel ex parte potestatis, quam sibi Deus reservaverit, nolens quod Ecclesia hujusmodi peccata remittat. His gravissimis difficultatibus periculosum est victas, ut ajunt, dare manus, & pudet nodum non invenire

venire ac si illum in scirpo quæreremus. Dicimus itaque primo esse Opinionem Theologorum, non vero Dogma fidei, quod Deus quibusdam obduratis dona pœnitentiæ deneget, etiam auxilia saltem remote sufficientia, quæ non excludunt moralem impotentiam, licet certi simus quod nullibi promiserit se alicui hujusmodi dona fore concessurum. Dicimus 2. esse fidei dogma nulla reperiri irremissibilia peccata defectu Potestatis Ecclesiæ, & consequenter loca, quæ referri possunt ab adversariis, innuere dumtaxat non esse certum orationis effectum ad eorum remissionem impetrandam, & effectum absolutionis ex defectu subjecti, in quo vera, & legitima pœnitentia non reperiatur, quæ si adfuisset Deus Cain, Esau, Antiocho, & Judæ pepercisset; quemadmodum si perfecta Cordis contritione ad Deum se converterit, qui in Spiritum Sanctum peccavit, dimittetur ei, licet oppositum docuerint Athanasius in Epistola 4. ad Serapionem, Cyprianus in lib. 3. ad Quirinum c. 28. Pacianus Epist. 3. ad Sympronianum, Ambrosius lib. 1. de Spir. S. c. 3. & alii, qui hoc dixerunt ut Baptizatos deterrerent, ne spe veniæ incautius prolaberentur; nam inquit Chrysostomus homil. 42. in Matth. *& hoc peccatum dimissum scimus, cum multis eorum, qui talia in Spiritum S. dixerunt ignotum esse constat. Quid igitur est, quod dicit? significare voluit multo minus cæteris hoc esse ignoscibile, ac veniale. Quamobrem? quia videlicet quisnam esset Christus ignorabant, Spiritus autem S. gratia multis, & magnis signis se ipsam manifestaverat.* Et certe idem sensisse Athanasium constat ex iis, quæ scripsit in tractatu de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus S. ubi ait. *Sunt alii, qui in Spiritum S. impingunt, qui scilicet in Christi veritatem blasphemiam dicunt, ajuntque in Beelzebub ejicit Dæmonia. De istis intelligendum est, quod ait; non remittetur neque in præsenti Sæculo, neque in futuro, quin & hoc observandum est non dixisse Christum blasphemanti, & Pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, idest in blasphemia perseveranti; quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui vere ex animo, ut par est, Pœnitentiam agunt.* Æquum igitur est, ut eodem modo interpretemur Sententiam Paciani, & Ambrosii; imò & sententiam Hieronymi in Epistola 149. ad Marcellam, & addamus non dixisse hujusmodi Sanctos Patres, hoc & alia huic similia peccata esse absolute, & physice irremissibilia, sed moraliter, quia pauci sunt, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lachrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt. Patet igitur etiam hæc peccata spectare ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

C A P U T III.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Hic jam quæritur inter dispensatores Mysteriorum Dei, ut fidelis Minister inveniatur, qui huic Sacramentali judicio assideat, accusationes excipiat, causam cognoscat, & sententiam proferat. A fide aberrant, & rectæ rationis regulas pervertunt ii, qui aliis, quam Sacerdotibus confidunt hoc munus & propterea merito Constantiense Concilium articulum illum

damnavit, quo Joannes Wiclesus contendebat Laicum, qui vir esset frugi, a Christo clavium potestatem accepisse: merito proscriptus ex testimonio Raineri error Waldensium cognoscitur, in quo asserebatur bonum laicum, non vero malum Sacerdotem habere potestatem absolvendi, & merito Novatores omnes anathemate perculsos a Tridentinis Patribus audimus, quia negabant in hoc Sacramento dari gratiam, & veram absolutionem a peccatis, sed tantum esse nudum Ministerium, & externum signum adhibitum tantum ad excitandam fidem, & quia insuper asserebant a Christo non esse verum Sacerdotium institutum, sed Christianos omnes esse æqualis dignitatis, & potestatis, & satis esse, quod ab ipsa communitate Ecclesiæ deputarentur ad aliquod ministerium agendum, ut rite illud exequi possent, Wiclefistarum errorem alii propagarunt, & potestatem solvendi penes omnes & singulos Christi fideles esse voluerunt, quibus ajebant esse dictum *quæcunque ligaveritis &c.* Quorum verborum virtute quilibet absolvere posset peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquievisset, secreta vero per spontaneam confessionem. Igitur ut in hac inquisitione methodo aliqua progrediamur, nihilque omittamus, quod ad controversiam ipsam pro rei dignitate dirimendam opportunum esse futurum agnoverimus, agemus 1. de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ in communi, tum in particulari, & demum de iis quæ requiruntur, ut hujusmodi munus digne, & laudabiliter exerceatur.

§. I. *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.*

I. Definitioni Concilii Tridentini, quæ exponitur in canon. 10. Sess. XIV. præluxit Eugenii IV. Decretum in litteris Unionis, & canon 33. Cabilonensis II. Concilii, & statutum Leonis X. in damnatione articulorum Lutheri, ex quibus omnibus momentis corroboratur Catholica veritas, quæ docet *solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ*. Ratio vero non deest; nam cum agatur de effectu Spirituali, qualis est remissio peccatorum, oportet quod expectetur hic effectus a caussa, quæ sit ad ipsum determinata per aliquam singularem potestatem, non vero communem omnibus, & quod constet de illo subjecto, cui data sit hæc potestas. Tota igitur difficultas est utrum Subjectum illud, in quo hæc facultas residet, ut creditur ex verbis Joannis 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*, sit solus Sacerdos, quod adeo nobis clarum est, ut pudeat rem certissimam in dubium revocare. Non desunt tamen, qui hujus dubitationis hoc exhibeant fundamentum in varia intentione Christi Domini, cum suos Discipulos alloquebatur, ut aliquando ea illis demandaret, quæ solis ipsis convenirent, aliquando præscriberet ea, quæ ipsis, & fidelibus omnibus essent communia, & demum alia impertiretur, quæ ipsi, & eorum in Episcopatu, & Sacerdotio successores fuissent acturi. Si conjecturis locus aliquis concedatur, ipsa gravissima res, de qua agitur, ejusdemque natura, cum sacra res sit, infert in laudatis verbis Joannis Christum Dominum Apostolos fuisse alloquutum, non ut in illis toti Ecclesiæ loqueretur, sed ut loqueretur eorum successoribus, non in Episcopatu tantum, sed etiam in Ordine Sacerdotali, & hoc propter maximam Sacramenti necessitatem; consequenter apparet Apostolis Christum Dominum dixisse: *Accipite Spiritum San-*

Sanctum &c. eadem intentione, qua eisdem dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem*, eo vel maxime, quia per illa verba tradita est Apostolis potestas supra corpus mysticum, ut per hæc posteriora eisdem potestas tradita fuit supra corpus verum, quæ potestates correlativæ sunt, neque ab invicem separantur, sed alterutra in eisdem subjectis reperitur.

II. Ita Ecclesiam semper intellexisse, tum ejusdem perpetua consuetudo probat, de qua agens Tertullianus in libro de Pœnitentia c. 9. ait: *consuevisse homines confiteri flexis genibus coram Sacerdote*, tum ipsa Patrum testimonia confirmant, Ambrosii in lib. 1. de Pœnitentia, & Sermone 10. in Psal. 118. Augustini in c. *quem Pœnitet* de Pœnitent. dist. 1. Basilii in Reg. brevior. in 288. & in can. 73. Epistolæ ad Amphilochium, Innocentii I. in c. 7. Epist. ad Decentium, & magni Leonis in c. 2. Epistolæ 82. ubi scribit: *Sic Divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri: mediator enim Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Et hujus rei figuram Joannis 2. jam Christus expresserat, cum Lazarum dedit Apostolis solvendum, & Matth. 21. cum Apostolos misit ad solvendum Pullum, & Asinam, & cum Matth. 4. & Lucæ 17. Leprosos misit, ut se ostenderent Sacerdotibus.

III. Hanc Ecclesiæ consuetudinem, & Patrum traditionem ea profecto non inficiantur, quæ Eliberitani Patres in can. 3. tradiderunt A. 305. in usu fuisse apud Hispanos, neque ea quæ suo Sæculo viguisse scribit Alcuinus lib. de Divinis Officiis in cap. *jejunii*: *Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus hanc Scripturam usurpare, aut legere debent, nisi soli illi, quibus necesse est. Hoc sunt Episcopi, vel Presbyteri, quibus claves Regni Cælorum traditæ sunt, sic nec judicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, ac det Sanctam Communionem*: quemadmodum non obsunt ea, quæ de Disciplina Anglicana Londinense, & Eboracense Concilium scripserunt ad Sæcul. XII. & ut cetera omittam, neque demum officiunt ea, quæ de Disciplina Affricana tertii Sæculi scribebat Cyprianus cum in Epistola 13. inquit: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus exceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in Pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt*.

IV. Hæc inquam, & alia hujus generis monumenta Consuetudinem, & traditionem Ecclesiarum enervare non valent, nullus enim est, qui non intelligat contrariam hanc disciplinam esse referendam ad absolutionem a Pœnis Canonicis, non vero ad absolutionem Sacramentalem, quod maxime confirmatur ex eo, quod idem Cyprianus in Sermone de lapsis scribit: *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in Sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est*. Nam quod Gregorius Ambianas respondet in ob-

ſervationibus ad librum Tertulliani de pudicitia ad Caput 11. *poteſtatem abſolvendi collatam fuiſſe tunc Diaconis ſeparatam a poteſtate conſecrandi, quæ proprie Sacerdotem conſtituit*, improbabile eſt, ſiquidem ut ſupra argumentabamur ex poteſtate in Corpus Chriſti verum per conſecrationem, profluit poteſtas hæc in Corpus Chriſti myſticum per abſolutionem. Nec res tanti momenti abſque expreſſa auctoritate admitti poteſt. Confirmatur ex facto Serapionis, qui in perſecutione lapſus, Alexandriæ reſipuit, & in extremis Pœnitentiam agens reconciliatus eſt per ſumptionem Euchariſtiæ a puero ſibi illatam abſque abſolutione Sacramentali. Tales ergo Canones ſupra relati, & talia monumenta non ſpectabant ad abſolutionem Sacramentalem dandam in exitu. Neque aliquid prohibet Cyprianum audire in ſupra laudato loco tanquam agentem, vel de precibus, quas Eccleſia pro morientibus fundere ſolebat, vel de Euchariſtia, quæ a Diaconis diſtribuebatur iis, qui per Exomologeſim in Presbyterorum abſentia factam Diaconis, humilitatem, & contritionem probaſſent, ſiquidem licet Euchariſtia, ut diximus ſuo loco, primam gratiam per ſe non conferat, tamen per accidens illam conferre poteſt, in quo caſu, lapſi plena per eam reconciliatione donari poterant, quod ſuis litteris Martyres Epiſcopis commendaverant. Alcuini teſtimonium potius quam adverſetur Eccleſiarum conſuetudini, & Patrum traditioni, illam confirmat, ut patet conſulenti ejus verba ſuperius relata. Opportune tamen monendum eſt, quod cum agitur de antiquis Eccleſiæ ritibus, ſive uſibus, nihil temere, nec abſque Veterum teſtimoniis aſſerendum eſt. Neque enim id unum intueri nobis ſatis eſſe debet, quam nos probabiliter e laqueis quæſtionis alicujus explicemus, ſed quodcumque demum antiquioris Eccleſiæ auctoribus adſcripſerimus, hujus veritatem nobis eſſe ex hiſtoria præſtandam. Illud etiam ſolerter perſpiciendum eſt an Canon ritum Pœnitentiæ præſcribens jus commune pro univerſali Eccleſia ſtatuat, an pro unica Provincia, & an ſit a Summo Paſtore Eccleſiæ ſua auctoritate firmatus. Unde non ſatis ſolide argumentantur, qui ex aliquo Canone Provincialis alicujus Synodi regulam generalem, eamque neceſſariam pro omnibus inferunt. Sed & accurate diſtinguenda eſt ſatisfactio a Confeſſione, nec non abſolutio Sacramentalis a Canonica, & cæremoniali ex ſolo jure poſitivo inſtituta; Quod jus pro varietate temporum, & neceſſitate, aut utilitate majori varios canones condidit circa ea, quæ ipſi Sacramento Pœnitentiæ accidentalia ſunt, ſalva ſemper, & illæſa inſtitutione Chriſti quoad eſſentialia, & ſubſtantialia; unde etiamſi Eccleſia Anglicana, & Galliarum aliquando variam diſciplinam introduxerit ad lapſos reconciliandos, manſit tamen ſemper apud illas Eccleſias Chriſti inſtitutum, & nulla illarum permiſit, ut Diaconi ullo modo Sacramentales Confeſſiones audirent, cum conſtans ſemper, & ratum utrique Eccleſiæ fuerit Diaconos Claves non habere, nec poſſe abſolvere, ut conſtat ex Statuto 56. Odonis de Soliaco Pariſienſis Epiſcopi, qui VIII. Sæculo in Gallia florebat.

V. Intelligitur etiam ex his, quid reſponderi debeat Canoni Triburienſis Concilii, quo ſtatuitur Communione non eſſe privandum furem, qui in actuali furto interficiatur, ſi Presbytero, vel Diacono confeſſus fuerit; ſcilicet vel textum hunc eſſe accipiendum de eo, qui erat in Pœnitentia ſolemni, cujus reconciliatio abſente Sacerdote ad Diaconum ſpectabat; ſeu illa verba *Presbytero, vel Diacono confeſſus fuerit* ſignificare fures, & latrones comprehenſos, & vulneratos, qui Pœnitentiæ ſigna dederint coram his tam-

quam

quam testibus signorum Pœnitentiæ, admittendos esse ad Communionem, hoc est non debere denegari illis Ecclesiasticam Communionem, propter quam oratur pro mortuis, & offertur Sacrificium, juxta illud *cui communicamus vivo, & communicemus defuncto*. Illos enim non audimus, qui variis auctoritatibus fulti volunt deficiente Sacerdote oportere peccata confiteri non solum Diacono, sed in illius defectum etiam Laico attento veteri usu, secundum quem Laici in extrema necessitate, ingruente videlicet morte, nec suppetente Confessario Sacerdote excipiebant Confessionem, & absolutionem impendebant, quem usum indicarunt Gersonus in compendio Theologiæ titulo de Confessione speciali, Navarrus in Enchir. c. 21. & alii, cum revera hæc necessitas ex nullo capite demonstretur, nimirum neque ex necessitate Sacramenti, neque ex necessitate præcepti, non primum, quia hæc Confessio ad gratiam obtinendam non confert, non secundum, quia hujusmodi Confessio ordinari non potest ad conficiendum Sacramentum, utpote quæ destituta illa circumstantia, quæ exigit, quod accusatio facta sit coram legitimo judice. Igitur in hoc casu melius est soli Deo confiteri, ut docet, & consulit idem Navarrus in c. 1. de Pœniten. dist. 6. n. 72. Sed si nihilominus Laico voluerit quis in articulo necessitatis confiteri, quamvis ita Confessus consecutus sit veniam a Deo, ut docet D. Thomas in a. 2. ad 3. q. 8. supplementi: *eoquod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei sicut potuit implevit*; non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad Sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a Sacerdote absolvatur. Sicut ille, qui baptismo Flaminis baptizatus est ad Eucharistiam non admittitur. Et ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere poterit, ut mandatum de Pœnitentiæ Sacramento recipiendo impleat.

VI. Si nimis curiosius, quam quod necessitas exigat, aliquis a nobis inquirat cur ministerium hujus Sacramenti alteri, quam Sacerdoti committendum non fuerit. Potissima ratio est Christi institutio, ex qua ratione intelligitur cur Baptismi, & Confirmationis administratio aliis etiam, quam Ordinariis Ministris demandetur. Ceterum neque prætereunda illa ratio est, quæ docet nullum sine potestate absolvendi posse hoc Sacramentum conficere, nec vere proferre formam, quæ potestas fundatur in solo Charactere Sacerdotali, qui si desit, neque quacumque urgente necessitate, quis potest Christi Corpus consecrare, seu Eucharistiæ Sacramentum conficere. Ex hoc tamen, quod solus Sacerdos potest peccata remittere, ne quis credat deesse in illo hanc potestatem si malus, & iniquus sit, nam potestas illi a Christo concessa propter hoc non amittitur, quod si videntur aliter docere nonnulli Ecclesiæ Patres, animadversione indigent, ut explicari debet Augustinus, dum lib. 6. de Baptismo c. 3. & lib. 7. c. 51. dicit potestatem remittendi peccata datam esse Ecclesiæ prout ex justis, & Sanctis constat, quod scilicet in illis, & aliis locis loquatur Augustinus de potestate impetrandi aliis remissionem peccatorum, vel de potestate remittendi peccata data soli Ecclesiæ, in qua est vera Sanctitas, non vero membris Sanctis Ecclesiæ. Verum alibi Augustini Sententiam in hac materia exposuimus; quare inane est diutius immorari in hujus auctoritatis examine. Illud necessario requiritur in Sacerdote, qui Minister esse debet Sacramenti Pœnitentiæ, ut jurisdictionem habeat, alioquin absolutio ab illo data nullius momenti esset, & consequenter per se nulla ex impotentia absolventis: Nec tunc primum hujus Propositionis veritas au-

diri

diri cœpit cum Concilium Tridentinum in cap. 7. Seff. xiv. hoc decrevit, fed ab ipfis temporibus Apoftolorum, ut idem Concilium animadvertit, & conftat etiam ex quadam Decretali Damafi Papæ, ex c. 7. Concilii II. Hifpalenfis, ex can. 21. Concilii IV. Lateranenfis ex cap. *Si Epifcopus* de Pœniten. & remiff. in 6. ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis; ita ut colligi poffit Apoftolicam traditionem, & Ecclefiæ in qualibet ætate confenfionem femper tenuiffe non omnem Sacerdotem effe fufficientem Miniftrum, fed illum tantummodo, in quo illa omnia reperiantur, quæ funt de ratione veri judicii, & veri Judicis, inter quæ illud eft, quod habeat jurifdictionem, cum nemo in non fubditum poffit jus dicere, nemo ligare, nemo pœnam imponere, quæ omnia præftat Minifter Sacramenti Pœnitentiæ. Novatorum infania fuit non agnofcere Sacramentum hoc effe verum judicium, & confequenter in illius Miniftro nullam effe quærendam jurifdictionem, fed eorum fundamenta jam fupra impugnavimus.

VII. Hujus autem Jurifdictionis duplex eft partitio, quia alia dicitur *Ordinaria*, vocatur altera *Delegata*. Ii qui aliis præfunt, aut ex vi proprii muneris fuperiores funt aliis, Ordinaria Jurifdictione gaudent, quam poffunt aliis committere, & hujufmodi funt Supremi Ecclefiarum Paftores. Illi vero, quibus hæc Jurifdictio commiffa eft Delegata fruuntur, quam nequeunt aliis fubdelegare. Conftat jam Sacerdotes omnes non effe in altiori gradu conftitutos, neque omnes Ecclefiis præeffe tamquam Paftores; atque hinc facile manifeftum eft non omnes ex officio jurisdictionem ordinariam habere poffe, neque omnes Sacerdotes valide hoc Sacramentum Pœnitentiæ poffe adminiftrare, quamquam hoc fcripferit Armacanus in lib. 11. de quæft. Armen. c. 1. ubi docuit omnes Sacerdotes ex vi fuæ Ordinationis, & Divini Juris effe fufficientes Miniftros hujus Sacramenti, eorumque abfolutionem femper validam effe, fi ex parte pœnitentis omnia neceffaria concurrant. Hæc fententia vera effe non poteft, primo quia ille, cui conftiterit fe Sacerdoti confeffum fuiffe, qui carebat jurisdictione, rurfum confiteri non tenebitur, quod eft falfum 2. quia ex hac fententia fequeretur inutilem effe quorumdam Peccatorum refervationem, quod etiam eft falfum 3. demum, quia hæ duæ Poteftates funt mutuo feparabiles, cum una fine alia reperiri poffit, falfumque fit poteftatem jurisdictionis dari ex vi ordinationis Sacerdotis. Illa fiquidem poteftas vi ordinationis datur; quam Divus Thomas 2. 2. q. 39. a. 4. vocat *poteftatem Sacramentalem*, ubi alteram poteftatem, quam *jurisdictionalem* appellat, conferri dicit ex fimplici hominis injunctione, & variabilitati fubeffe, quod non accidit in poteftate Sacramentali, quæ ratio fi vera fit videntur probabiliora docuiffe illi Theologi, qui poteftatem jurisdictionis omninò diftingunt a poteftate ordinis, & illam dari ajunt per extrinfecam conceffionem, aut alicuis Ecclefiaftici muneris collationem, & extra Sacramentum ordinis, & immediate conferri per hominem: nifi etiam magis arrideat diftinctio illorum Theologorum, qui attendentes ad efficaciam Verborum Chrifti *Accipite Spiritum S. quorum remiferitis peccata remittuntur eis*, quæ repetuntur Sacerdotibus in illorum ordinatione, dicunt poteftatem jurifdictionis incohare in ipfamet ordinatione, aliqua vero ex parte compleri extra Sacramentum ordinis per hominum conceffionem; quæ tamen poftrema opinio, fi bene examinetur, differt ab antecedente potius in ufu vocabulorum, quam in re, cum nihil magis Sacerdotibus hæc concedat ex vi fuius ordinationis, quam illa; & alterutra conveniat in perquirendis conditionibus iis,

quæ

quæ necessariæ sunt, ut ab Ecclesia suppeditentur Sacerdotibus ad valorem hujus Judicii. Dixi *differre in usu verborum*, quia primæ sententiæ Theologi vocant potestatem ordinis illam, quam posteriores dicunt jurisdictionem incohatam, illi dicunt potestatem jurisdictionis in foro Pœnitentæ, quam hi appellant complementum actualis jurisdictionis. Nihilominus tamen primæ adsertioni nos ipsos subscribimus, quod communior hæc inveniatur in Theologorum Schola, & magis conformis modo loquendi Conciliorum, quæ solos illos Sacerdotes dicunt esse Ministros Sacramenti Pœnitentiæ, qui habent auctoritatem, *vel ordinariam, vel ex commissione superioris*, ut ait Concilium Florentinum; *ordinariam, aut delegatam*, ut inquit Tridentinum, e contra vero potestas ordinis per se sumpta neutra jurisdictio est; imò ex eisdem Conciliis intelligitur Sacerdotem posse carere omni jurisdictione ad absolvendum, qui tamen nunquam carebit potestate ordinis, nam Concilium Tridentinum potestatem jurisdictionis repetit ex subditis, quos certe non exigit potestas ordinis. Non secus ac casus dari potest integræ jurisdictionis sine potestate remittendi peccata, quæ in Ordinatione confertur, ut patet in Parocho non Sacerdote, in quo casu de tali Parocho dici non poterit, quod obtinendo beneficium Parochiale receperit complementum jurisdictionis, quam incohatam habebat, quia antea nullam habebat, sed dicendum erit, quod absolutam jurisdictionem receperit, licet actum illius jurisdictionis postea exercere non possit; & ex hoc patet, quod a nobis hujusmodi potestatum actus, ita possunt considerari, ac si in judicio simul essent Sententia, & ejusdem sententiæ executio, sed sub diversa ratione, ut scilicet jurisdictio requiratur ad proferendam sententiam, Ordo sive Character, ut sententia operetur efficacem effectum, scilicet animæ Sanctitatem, qui effectus, ut suæ caussæ proportionetur, requirit ut homo ad hoc munus consecretur ex vi suæ Ordinationis, propter quam hæc potestas appellatur Ordinis, non vero jurisdictionis, nisi in hoc sensu, quia sit potestas ad jurisdictionem exequendam, quam Parochus acquisivit statim ac Parochiale beneficium obtinuit.

VIII. Huc usque dictis obstare videtur antiqua Ecclesiæ praxis, quæ usque ad tempora Urbani II. in omnibus Sacerdotibus agnovit potestatem ad absolvendum omnes Pœnitentes, qui voluissent ipsis subiici absque ulla alia Episcoporum destinatione: Obstare etiam videtur, tum usus absolvendi a venialibus, & etiam a mortalibus in extrema necessitate, tum judicium, quod in foro Pœnitentiæ exercetur circa Personam summi Pontificis, tum demum Scripturæ sæpissime laudatæ textus. *Accipite Spiritum S. &c.* per quæ verba Christus Dominus Apostolis contulit potestatem Ordinis, & jurisdictionis in hoc eodem foro, quia tunc quilibet eorum absque dependentia ab aliis potuit Confessiones audire, & absolvere, quare cum hæc eadem verba, ut supra dicebatur, repetantur in Ordinatione cujuslibet Sacerdotis, eandem efficaciam habere debent.

IX. Verum singulæ hæ instantiæ nullius momenti esse cognoscuntur; nam primo falsum est, quod obiicitur ex antiqua Ecclesiæ praxi usque ad Urbanum II. cum multo ante Urbanum inveniantur Pontificum Constitutiones, quæ alterius Ecclesiæ Parochianos prohibent judicare. Harum exemplum legimus in Epistola 2. Calixti Papæ ad Episcopos Galliæ in c. *nullus alterius* caussa 9. q. 2. c. 1. In Epistola 2. Dionysii Papæ ad Severum c. *Ecclesias* caussa 13. q. 1. c. 1. & in c. 6. 1. Epistolæ Decretalis Felicis III.

ex

ex quibus Decretalibus constat nunquam licuisse Presbyteris alienis, sive Presbyteris potestate jurisdictionis destitutis, nunquam licuisse peccata confiteri, quod similiter cautum fuisse legimus in c. 6. Concilii Ticinensis apud Insubres in his verbis: *qui occulte deliquerunt illis confiteantur, quos Episcopi, & Plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint*: item in Synodo Gallica sub Carolo Magno, ubi decretum fuit, *quod unusquisque Præfectus unum Presbyterum habeat, qui hominibus Peccata confitentibus judicare, & indicere Pœnitentiam possit*: rursus in cap. 45. Concilii Cabilonensis 2. & in pluribus aliis Conciliis. Quod si vero aliquando quibuslibet Presbyteris statim a sua inauguratione datum est fidelium Confessiones audire, hoc contigit, quia in ipsa inauguratione adscribebantur alicui Ecclesiæ gubernandæ sub auctoritate Episcopi, a quo potestatem accipiebant dimittendi peccata, quia tunc pauci, & Selecti ordinabantur. Illud etiam falsum est in adversariorum instantia, quod Urbanus II. primus fuerit, qui postulaverit in Sacerdotibus præter potestatem Ordinis alteram potestatem jurisdictionis, nam Decretum quod citatur sub nomine hujus Pontificis nihil agit de hac jurisdictione, sed de illis Presbyteris, in quibus jam supponit hanc jurisdictionem circa eumdem Pœnitentem, præcipiens quod inter eos servetur debitus ordo in ferendo judicio, & in Pœnitentiis injungendis. Hæc sunt verba Urbani, quæ leguntur in cap. finali Distinct. 6. de Pœnitentia: *Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui Pœnitens prius confessus est. Qui vero contra hæc statuta facere tentaverit gradus sui periculo subjacebit*. Falsum præterea est, quod dependeat a voluntate ejus, qui se subjicit Sacerdoti, hæc potestas Jurisdictionis; jurisdictio enim nullo modo manare potest a Pœnitente, quia hoc judicium agitur inter Deum, & hominem, quis ergo fidelium tantum munus sibi arrogabit? Optima est in Pœnitente voluntaria subjectio, ut rite, & sincere confiteatur, non vero ut jurisdictionem conferat, & in hoc apparet discrimen, quod vergit inter hoc judicium, & humanum. In judiciis humanis partium conventio ponunt in Arbitris jurisdictionem, non ita vero in hoc judicio, in quo totum jus in solo Deo manet, & in iis, quos ipse sibi ad hoc opus elegit Ministros; quod si aliquod hujus judicii exemplum in humanis inquirimus, illud in judiciis vindicativis habere possumus, in quibus totum jus est tantummodo penes personam læsam, vel penes eos, in quos Princeps, vel Respublica suam transtulit auctoritatem. Prætereo illud etiam notare, quod si hæc facultas in Pœnitentibus resideret ablata licet omni Ecclesiæ Ordinatione, fidelis quilibet haberet a Christo potestatem eligendi sibi quemcumque vellet ad suas Confessiones audiendas, quod quantum ex historiis, & Decretis colligitur, nunquam ita traditum, aut factum est in Ecclesia.

Caret insuper omni veritatis fundamento altera instantia, quæ supponit esse penes quoslibet Sacerdotes facultatem absolvendi peccata venialia, quod dixerunt quidem nonnulli laxiorum oppinionum aut amatores, aut saltem benevoli interpretes, sed post Decretum Innocentii XI. non sine summa temeritate potest hoc sustineri. Exaravit Decretum Congregatio Cardinalium A. 1679. in quo hæc leguntur: *Ne Venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares,*

aut

aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint sciant Deo O. M. se rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, & rigorosam animadversionem in contrafacientes ... & facta de præmissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari ac publicari voluit. Specialis est propter peculiarem casum necessitatis jurisdictio in quolibet Sacerdote instante mortis articulo, dummodo aliter fieri non possit, ex benigna, & prudenti Ecclesiæ providentia, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, non vero immediate ex jure Divino: extra hunc casum, si Ecclesia non concedat, vel auferat jurisdictionem, non solum peccat Sacerdos, qui tentat absolvere, sed etiam nihil facit, ut aperte docuit Tridentinum, & hinc eruitur illa differentia, quæ est in Ministerio hujus Sacramenti, & aliorum, puta Baptismi, & Ordinis, in quibus licet Ecclesia prohibeat ministerium, nihilominus Sacramentum a tali Ministro datum validum est, quia quamquam fuerit prohibitus usus, tamen nulla conditio sublata fuit ad Sacramentum necessaria. Neque tamen hinc sequitur, quod Ecclesia aliquid substantiale mutet in ministerio hujus Sacramenti, sed solum potest efficere, quod hic, vel ille Sacerdos non habeat omnia illa requisita, quæ ex Christi institutione sunt necessaria ad valorem hujus Sacramenti, nimirum jurisdictionem, & subditos, quia hoc pendet ab illius arbitrio.

Ex iis, quæ apparent videtur magis efficax illa instantiæ pars, quæ respicit judicium, quod in foro Pœnitentiæ fit circa Personam Romani Pontificis, cum non facile intelligatur a quo, si non a charactere Sacerdotali, Persona inferior possit jurisdictionem accipere in superiorem, & quomodo Persona non subjecta possit esse materia usus clavium? Hanc difficultatem sibi proposuit D. Thomas in articulo, qui est tertius quæst. 20. Supplementi, verum ut intellexit etiam Superiorem Prælatum circumdatum esse infirmitate, & contingere ipsum peccare, & indigere, tamquam remedio contra peccatum potestate clavium, in corpore articuli respondit: *dicendum, quod potestas clavium quantum est de se, se extendit ad omnes; sed quod in aliquem Sacerdos non possit potestate clavium uti contingit ex hoc, quod ejus potestas est ad aliquos specialiter limitata; unde ille, qui limitavit potest extendere in quem voluerit. Et propter hoc etiam potestatem ei dare potest in seipsum; quamvis ipse in seipsum uti clavium potestate non possit, quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subjectum, & ita alium: Sibi ipsi enim aliquis subjectus esse non potest; & propterea quamvis Episcopus, quem simplex Sacerdos absolvit sit superior eo simpliciter, est tamen inferior eo, inquantum ei se ut peccatorem subjicit*. Utrum eadem ratione satisfieri possit adversariorum instantiæ, videtur non esse ambigendum. Hoc enim ipso, quod Papa alicui Sacerdoti se subjicit in foro Pœnitentiæ, talis Sacerdos habet jurisdictionem super illum voluntate ipsius Papæ, qui sponte se illi subditum facit, quia cum habere jurisdictionem sit habere subditum, dare jurisdictionem est dare illi subditum; & ita cum Papa sua voluntate faciat se subditum illi Sacerdoti, cui confitetur, sequitur quod Papa det illi supra se jurisdictionem. Ne quis vero ex consequenti inferat talem Sacerdotem, qui habet in casu prædicto jurisdictionem supra Papam, habere etiam eamdem jurisdictionem super omnes alios fideles, qui volunt se eidem Sacerdoti subjicere, ratio evidens est, quia Papa, ex quo a jure Divino nulli ho-

 minum

Atque illud in primis considerandum occurrit nullam spiritualem jurisdictionem ex Ordine Episcopali provenire, & si aliqua jurisdictio est in Episcopo, hæc certe Episcopalem consecrationem non requirit, cum ex usu Ecclesiæ constet, tum committi quoslibet jurisdictionis actus, qui per Episcopum exercentur alteri Personæ, ut Abbatibus, Archidiaconis, & Presbyteris omnibus, præsertim in foro Pœnitentiæ jurisdictionem absolvendi a quibuslibet peccatis; tum etiam reperiri plures Episcopos, non secus ac plures Sacerdotes, qui omni jurisdictione carent, vel quia nunquam illam habuerunt, vel quia Episcopatu se abdicarunt.

Considerari etiam secundo potest, quod si Episcopi suam jurisdictionem a Deo immediate haberent, in omnibus hæc jurisdictio esset æqualis, & inutilis esset illa Provinciarum, & Diœcesium divisio, quæ a temporibus Apostolorum suam originem repetit, ut constat ex cap. 2. Epistolæ ad Galatas, & ex Eusebio lib. 3. histor. c. 1. & ratione cujus modo unus Episcopus magnum, & alter parvum populum regit. Præterea Episcoporum jurisdictionem Pontifex nunquam posset auferre, vel mutare, ut a simili patet in Apostolis Petro, & Paulo, inter quos, etiam si facta fuisset Provinciarum divisio, ita ut Petrus Judæis, Paulus Gentibus Evangelium prædicaret, nihilominus, & licuit Petro Gentilium conversioni studere, & Paulus non penitus ab Hebræorum conversione vacavit, quod & alii Apostoli præstiterunt, quia omnibus a Christo Domino dictum est Matth. ultimo *Euntes ergo docete omnes gentes*, & Marci ultimo *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*, & Actorum 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*.

XII. Ex his rite perpensis confirmatur nostra Propositio: Episcopos omnes (inter quos, & Apostolos non valet universalis illatio similitudinis) Jurisdictionem a Papa immediate accipere, ipsumque Episcopatum, & totam auctoritatem nominis hujus emergere, non secus ac a virtute Moysis absque sui diminutione omnis quondam Seniorum virtus derivavit, ut una cum ipso populum regerent, idque probatur, & auctoritate, & ratione. Auctoritate quidem tum Leonis Papæ I. in Epistola 87. ad Episcopos Viennenses, tum Innocentii I. in Epistola 26. ad Patres Concilii Milevitani, tum ex Epist. 131. D. Bernardi ad Mediolanenses, & ut cetera omittam probatur demum ex verbis illis, quibus Pontifex utitur in creandis Episcopis: *Providemus Ecclesiæ tali de tali Persona, & præficimus eum in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & Spiritualibus*. Ratio vero est 1. quia sic decet ad Officium universalis Pastoris, & ad perfectionem Ecclesiasticæ Monarchiæ 2. quia Pontifex potest Episcopum Episcopatu privare, vel ad alium transferre; & 3. quia quamquam Episcopus habeat potestatem ordinis, caret tamen jurisdictione ante expeditas litteras Apostolicas suæ promotionis, ut habetur in Extravaganti *injunctæ* de Electionibus. Demum vero quia necesse est, quod omnem derivationem virtutis, sensus, & motus sui regiminis a capite membra omnia recipiant, propter quod, ut Isidorus inquit, *datum est capiti hoc nomen, quod sensus omnes, & nervi initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur*, unde videtur impossibile esse, quod reliquarum Ecclesiarum Prælati ab uno summo Pontifice, quem *Prælatorum omnium caput* esse agnoverunt Nicæni Patres in Præfatione Concilii, & IV. Gregorius testatus est in Epistola, quam scripsit universis Episcopis per Galliam, Germaniam, Europam,

F 2

pam, & universas Provincias constitutis, potestatis suæ cognoscere nolint originem.

XIII. Dixi *inter Apostolos, & Episcopos universalem illationem similitudinis non valere*, quod dictum ut explicem opportunum censeo animadvertere dividi hac in re Theologos, ut definiant an Apostoli a Christo jurisdictionem suam immediate acceperint, aut a Petro, quod secundum Magnus Leo tradidit in sua citata ad Viennenses Epistola his verbis: *Ita Dominus hujus muneris Sacramentum ad omnium Apostolorum Officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet*, neque abhorruit ab hac sententia S. Thomas in Summa contra Gentes q. 27. cum scripsit *soli Petro promisit Dominus* tibi dabo claves Regni Cœlorum, *ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem*, quibus auctoritatibus postea permoti doctissimi Cardinales Turrecremata, & Jacobatius adhæserunt eidem opinioni, hic in lib. 10. de Concilio artic. 7. ille in Commentariis super citata verba Leonis relata in c. *ita Dominus* dist. 19. & super verba Anacleti in Epistola 2. ad Episcopos Italiæ, quæ leguntur in cap. *in novo* dist. 2. ubi inter cetera dicitur: *Ab ipso Petro Sacerdotalis* (idest Episcopalis) *cœpit ordo*, quæ verba inferri posse demonstrant, quod Apostoli excepto Petro non potuerint accipere potestatem ordinariam jurisdictionis Episcoporum immediate a Christo, qui nondum illos Episcopos creaverat, eoquod repugnet jurisdictionem reperiri extra subjectum, cum hæc principaliter Personæ cohæreat, ut dicitur in principiis Juristarum. Nihilominus tamen illos Theologos putarem verisimiliora scripsisse, qui tum ex verbis Joan. 20. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ut illa Cyrillus explicavit, tum ex Apostolorum facto, cum Matthiam inter Apostolos connumerarunt, sola implorata divinitus, & impetrata ejus electione, & nulla illi auctoritate concessa, concludunt in Apostolica electione contineri omnem Ecclesiasticam potestatem. Nec aliud innuunt Pauli verba, & gesta; nam in cap. 1. Epist. ad Galat. scribit se Apostolum esse non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, statimque abiisse in Arabiam, tum reversum esse Damascum; deinde post annos tres venisse Jerosolymam videre Petrum, & mansisse apud eum diebus quindecim, aliumque Apostolorum vidisse neminem, sibique nihil datum, ut scripsit in capite 2. ubi Gesta ipsius plurima describuntur, tum in Actibus Apostolorum, tum in ejusdem Epistolis, præsertim vero, quod leges plurimas constituerit, quod criminosos homines reprehenderit, pœnis affecerit, & Pœnitentiæ laboribus jam perfunctos jusserit absolvendos. Demum hoc confirmant ipsa Christi Domini verba Matthæi 18. quibus Apostolis singulis claves promisit *Amen dico vobis quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*. Atqui Christus per hæc eadem verba soli Petro dicta illam jurisdictionem donavit in universam Ecclesiam; constat ergo ex verbis Christi Apostolos omnes immediate a Christo Domino suam habuisse jurisdictionem. Videndum est nunc in quo consistat dissimilitudo, quæ reperitur inter Apostolos, & Episcopos. Hæc vero per se patet clarissime, & primo in eorum electione. De Apostolis dictum est apud Lucam cap. 6. *vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*, quibus propterea Joan. 6. ipse Christus Dominus

nus dixit: *Nonne ego vos duodecim elegi?* Constat certe multiplicem pro varietate temporum morem viguisse Episcopos eligendi. Primi ad hoc munus Episcopos eligendi Apostoli intenderunt, qui Jacobum Jerosolymitanæ Ecclesiæ præfecerunt, idemque præstiterunt in Ecclesia Ephesina, Antiochena, & aliis, ut ex eorumdem Actis, & Epistolis Pauli innotescit. Insequentibus temporibus post institutos Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon, Primatus, aut Episcoporum Cathedras, quas Romanam Ecclesiam instituisse Nicolaus II. exposuit in citato capite *Omnes*, & primus Innocentius in sua Epistola ad Decentium, quæ refertur in capite *quis nesciat* 11. dist. & Vigilius Papa scribens Episcopo Eleutherio, & IV. Eugenius in Epistola ad Archiepiscopum Cantuar. Comprovinciales Episcopi Metropolitanos, & Episcopos eligebant ad Cleri, & Populi consensum, deinde ad Clerum integre jus electionis devolutum est, extensumque ex speciali Sedis Apostolicæ indulto ad Reges, ad Respublicas ad Collegia. 2. patet hæc dissimilitudo in jurisdictione, nam Apostoli in toto Orbe poterant docere, evangelizare, prædicare, & Ecclesias fundare, ut ex citatis locis Matth. ultimo, & ultimo Marci demonstratur, quod Episcopis ceteris non permittitur 3. Apostolis datum est donum linguarum, & miraculorum, quod non datur Episcopis 4. Apostoli nulli alteri successerunt, imò simul fuerunt in Ecclesia Apostoli, & Episcopi, ut constat de Marco de Evodio, Timotheo, Tito & aliis; Episcopi vero ut Callistus II. ait in Rhemensi Concilio *locum, & Officium Apostolorum in Ecclesia Dei tenent*. Ex his, & aliis, quæ Dominus ad omnium Apostolorum Officium voluit pertinere, & postea negavit Episcopis, optime infertur illud his non convenire, quod extraordinario privilegio illi a Christo acceperunt, scilicet in suis Ecclesiis jurisdictionem a Deo immediate habere, sed per Romanum Pontificem.

XIV. Explicandum est modo quomodo Episcopi dicantur Apostolorum successores, quod certe falsum omninò non est, licet ad effectum, de quo agitur parum concludat. In Apostolis duo possunt considerari respectus, alter Dignitatis, & alter Officii, quorum ille ita solis Apostolis convenit, ut nulli alteri conveniat, hic vero & Apostolis, & Episcopis communis est, quatenus itaque Apostoli primi fuerunt Episcopi, reliqui illis succedunt, tam in potestate Ordinis, seu consecrationis, quam in speciali, & ordinaria jurisdictione aliquarum Ecclesiarum, tum demum etiam in hoc, ut Principes Ecclesiarum vocari possint post Pontificem, sicut Apostoli fuerunt sub Petro; in ratione vero Apostolatus non succedunt, quia dignitas hæc non erat in Ecclesia perpetuo duratura, cum soli Petro Christus dixerit. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; quare ejus dignitas pastoralis sola instituta fuit a Christo, ut tandiu duraret quandiu duratura esset Ecclesia, nimirum usque ad consummationem Sæculi, & hinc nascitur ratio disparitatis inter Successores Petri Romanos Pontifices, & Successores Apostolorum Episcopos, quod illi non succedant Petro, ut Apostolo, sed ut Pastori totius Ecclesiæ, hi vero succedant Apostolis, ut Presbyteri septuaginta duobus Discipulis, quod Anacletus scripsit in sua 3. Epistola, & notavit Beda in caput 10. Lucæ: cum itaque Presbyteri successerint Discipulis non proprie loquendo, sed similitudinarie, neque enim Discipuli fuerunt Presbyteri, ut colligitur ex Philippo, & Stephano, & quinque aliis, qui Diaconi ordinati sunt ab Apostolis Actorum 6. ita Episcopi successerunt Apostolis, non vero in illorum dignitate, ita neque in jurisdictione, quam ex speciali

ciali privilegio, & ratione illius dignitatis acceperunt ex peculiari Christi commissione, attenta illius temporis circumstantia, in quo fundabatur Ecclesia. In altera auctoritate, quæ petitur ex Actuum c. 20. ubi legitur: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, non reperitur efficax argumentum ad probandam Episcoporum jurisdictionem a Pontifice non descendere, quocumque modo a nobis consideretur nomen illud *Ecclesiam*, sive pro Ecclesia universali, & hoc est erroneum credere Episcopos omnes positos esse a Spiritu S. ad regendam universalem Ecclesiam, cum hæc potestas soli Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus data sit: sive pro Ecclesiis singularibus, quibus Episcopi dati sunt, ita ut collective concurrant ad regimen Ecclesiæ universalis, & etiam hoc ex citato textu non eruitur; imò neque ex ullo alio, quia nullibi legitur Christum divisisse populos Apostolis, quibus tamen omnibus scimus dixisse: *prædicate Evangelium omni creaturæ: quæcumque ligaveritis erunt ligata: quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* ergo ex citata Divinæ Scripturæ sententia non evincitur falsitas nostræ Propositionis. Superest igitur dicendum, quod Episcopi positi sunt a Spiritu S. sed eorum jurisdictio ab Ecclesia Romana præfinita est, quæ certos terminos quantum ad casus, & quantum ad territorium assignat. Quid ergo dicemus ad Patrum auctoritatem, qui Episcoporum potestatem a Christo esse pronunciant, ut præter citatos in argumento, scripsit Bernardus ad Papam Eugenium? Respondebimus hæc non pugnare inter se, potestatem Episcoporum esse a Christo, sed mediante Romano Pontifice ejus Vicario. Ad clariorem responsionis explicationem.

XV. Noto esse a Christo Domino institutum, ut Petrus & Successores ejus Ecclesiam per Episcopos gubernarent, eosque in partem sollicitudinis assumerent. Hanc circumstantiam sic expressit Vigilius Papa in cap. *qui se scit.* 2. q. 6 in quo dicit: *Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem vocatæ sint solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*: idem confirmavit IV. Gregorius scribens Episcopis per diversas Provincias, ut legitur in cap. *Decreto.* caussa, & quæst. eadem. Hoc ipso igitur, quod Episcopi ad hoc munus assumpti sunt, jure proprio possident jus illud, & suo modo sunt Domini illius, quia statim vinculum Spirituale desponsationis nascitur inter Episcopum, & suam Ecclesiam, quod esse de jure Divino docet Innocentius III. in c. 2. extra de Translatione Episcoporum, & ante Innocentium docuerunt laudati in argumento Pontifices, a quorum sententia alienus non est Dionysius in cap. 5. & 6. de Cœlesti Hier. Cyprianus in Epist. 95. Bernardus lib. 3. de Consider. ad Eugenium, & D. Thomas Opusc. 19. c. 4. Illud vero, quod dicitur descendere a Papa, est Episcopi Jurisdictio, & hoc clare ostendunt citata ex Vigilio, & Gregorio verba: *vices suas credidit largiendas: ut in partem vocatæ sint solicitudinis*, quia si Ecclesia Romana vices suas impertitur aliis Ecclesiis, consequentia certa est, quod aliæ Ecclesiæ potestatem regiminis ab Ecclesia Romana accipiunt, a qua tamen earumdem Ecclesiarum Præsules non accipiunt ordinis potestatem, quia quoad hanc omnes æquales sunt, & omnem, ut ajunt, actum hjerarchicum, quem potest facere Papa in administratione Sacramentorum, potest facere Episcopus, & huic potestati alludunt verba Anacleti in supra cit. cap. *in novo* 21. dist. *Cæteri Apostoli*, *cum*

cum eodem Petro pari consortio bonorem acceperunt, & ea quæ S. Thomas, inquit in 4. dist. 24. q. 3. a. 2. quæstincula 3. ad 3.

XVI. Facile insuper est illud intelligere, quod in tertia instantia objicitur, nimirum *a Christo fuisse datos Episcopos*, ut exponens Scripturæ citatum textum scripsit Hieronymus, imò ut ipse Dionysius ait in lib. de Ecclesiastica Hierarchia c. 6. inquiens *Episcoporum hierarchiam immediate terminari in Jesum, Presbyterorum vero, Diaconorum, & aliorum ordinum inferiorum in Episcopos*, & confirmavit Cyprianus in lib. 3. Epist. 9. ad Rogatianum: nam singula hæc testimonia exprimunt generalem Ecclesiæ ordinem, qui certe est de jure Divino, & a Christo Domino introductus est in Ecclesiam, & consequenter etiam Ordo Episcoporum in universum est de jure Divino, & est præcipuus in Ecclesiastica hierarchia *divina ordinatione instituta*, ut Tridentini Patres in can. 6. Sess. XXIII. definiverunt. Verum quid hoc cum jurisdictione Episcoporum? Alius est Ordo, & alia est Episcoporum jurisdictio, duæ res, quarum prima alteram non exigit conjungere necessario, ut jam demonstravimus, neque refugit illam accipere a Summo, & universali Pastore Romano Pontifice, quam cum Episcopus obtinuerit, illam non habet *per viam declarationis*, ut Sacrorum canonum interpretes inquiunt, sed habet *per modum statuti, & concessionis*, ut inquit Glossa in cap. *Perniciosam* de Officio judicis ordinarii ad hæc verba: *Habeant Episcopi in suis Diœcesibus liberam potestatem adulteria, & scelera inquirere, ulcisci, & judicare*: scilicet est statim in Episcopo jurisdictio ordinaria, ut explicavit Innocentius in capite *cum ab Ecclesiarum* n. 4. infra eodem; & potest præcipue in hoc foro Pœnitentiæ in sua Diœcesi quidquid Pontifex in universa Ecclesia, nisi in his, quæ specialiter prohibita, aut reservata sunt; videlicet in sua Civitate, & Diœcesi habet universalem jurisdictionem, nisi limitetur.

XVII. Hæc regula locum habet non solum in Episcopo, sed etiam in quocunque alio, cui hæc jurisdictio conceditur. In hoc ordine sunt Pastores inferiorum Ecclesiarum, sive Parochi, in quibus hæc ordinaria jurisdictio reperitur in eodem foro Sacramentali ex usu, & sententia Ecclesiæ; sunt etiam Superiores Regularium in suis Congregationibus, & demum sunt omnes ii, quibus competit ex Officio cura animarum. Si qui vero ultra prædictos audiendis Confessionibus fuerint destinati, quod munus illis licitum erit præmissa suorum Episcoporum approbatione, delegata sibi auctoritate id præstabunt, Peculiare illis est, qui potestatem hanc proprium habent, ut eandem aliis committant, & hoc docuit Gregorius IX. scribens Astoracensi Episcopo in cap. *aqua* de Consec. Eccle. Dixi *præmissa suorum Episcoporum approbatione*, quia hoc decrevit Concilium Tridentinum in Sess. XXIII. c. 15. de Reformatione, ubi sic legitur. *Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant* (scilicet potestatem ordinis in Corpus Christi mysticum, ut in superioribus declaratum est) *decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam regularem posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus*. Ex his Concilii verbis patet 1. Non sufficere, ut qui Confessionibus audiendis destinatur habeat omnia

nia requisita, quæ ex Divino seu naturali jure necessaria sunt ad hoc Ministerium peragendum, puta fidelitatem, potestatem, & scientiam, sed requiritur ex novo jure, quod specialiter ab Ecclesia approbetur, quia Concilium universaliter loquitur, & nullum excipit. Patet 2. neque sufficere habere publicum scientiæ testimonium per publicam facti, seu doctrinæ evidentiam, cum hæc per Concilium excludatur cum decernit: ***Neque ad id idoneum reputari, nisi &c.*** Patet 3. non comprehendi in hoc decreto Regulares, ita ut in vi hujus decreti confiteri debeant iis, quos Episcopi approbaverint, cum possint Regularium Superiores committere hoc munus suo subdito a nullo Episcopo approbato per propria privilegia, quibus nihil detrahitur in vi hujus Tridentini Decreti. Non extenditur tamen hæc facultas ad Parochos, ut possint jurisdictionem suam delegare iis, qui non fuerint ab Episcopis expositi; hæc enim est Concilii mens, contra quam nihil est hactenus contraria consuetudine innovatum, ut clare legitur in laudato decreto, in quo ex parte ejus, cui delegari debet jurisdictio, ponitur conditio de illius idoneitate, & capacitate tum ad cavenda incommoda, tum ad promovendas utilitates Ecclesiarum, & Pœnitentium. Principaliter itaque attendenda est hæc conditio, alioquin frustranea esset hujus Sacramenti administratio, si Sacerdos non approbatus vellet Sacramentum conficere, quia in tali statu talis persona inhabilis est ad jurisdictionem suscipiendam, & jurisdictio tali Personæ collata irrita est per voluntatem Ecclesiæ, quæ potuit modum præscribere communicandi talem jurisdictionem, quod satis præscripsit cum decrevit: ***Nullum posse Confessiones audire, neque ad id idoneum reputari.***

XVIII. Non quilibet autem, qui habet potestatem hanc ordinariam, potest cuilibet jurisdictionem delegare, & pro quolibet loco, & pro quibuscumque Personis. Id solo Romano Pontifici competit, quia universalissimam jurisdictionem habet, ut dicitur in Clementina ***Dudum*** de Sepulturis, & in Extravaganti ***inter cunctas*** de Privileg. imò id potest Papa Episcopis etiam contradicentibus, vel non consentientibus; sed quilibet alter Prælatus potest facultatem concedere tantum intra limites suæ jurisdictionis, si Papa non resistat, vel non reservet, ut statuitur in cap. ***quoniam*** de Officio Ordinar. & in c. 2. de Pœnit. & Remiss. in 6. & cum debita proportione dicendum est de reliquis Superioribus habentibus ordinariam jurisdictionem, dummodo subordinatio servetur. Hoc unum porro requiritur, quod de Delegatione constet per sufficientem declarationem voluntatis superioris delegantis, sive hæc manifestetur per viam juris, sive per introductam consuetudinem, sive demum per concessionem hominis, nam singulis his modis tum dari, tum delegari potest alicui jurisdictio, quatenus scilicet aliquando solent superiores concedere alicui facultatem eligendi sibi Confessarium, de qua infra dicemus, aut quatenus urget mortis articulus, aut quatenus aliquis est approbatus ad Confessiones excipiendas.

XIX. In qualibet autem delegatione animadvertendum est 1. quomodo hæc fiat, cum enim hæc sit veluti quædam participatio jurisdictionis Superioris existentis in alieno subjecto, semper a delegante pendet, & tamdiu conservatur, quamdiu per contrariam delegantis voluntatem non revocetur, aut revera auferatur; unde si hæc fiat ad præfinitum tempus, hoc expleto expirat facultas concessa, quia pro toto sequenti tempore facta non est. Quod si absque temporis limitatione fiat, & nunquam expresse revocetur, neque per

mor-

mortem ejus, qui delegavit expirat, nisi ex verbis indefinitæ concessionis contrarium inferatur. Nec valet, quod jurisdictio delegata amittatur per mortem concedentis *si caussa nondum erat incobata*, ut dicitur in capite *licet*, in c. *gratum*, & in cap. *Relatum* de Officio delegati: tum quia consuetudo in foro Pœnitentiæ contraria est, tum etiam quia duratio hujus jurisdictionis mensurari non debet a delegatione fori contentiosi, ad quod respiciunt relata jura, sed a regula gratiæ, & favoris, tam respectu ejus, cui delegatur, quam respectu Pœnitentium, propter quos delegatur, & in his regulis habetur non expirare gratiam per mortem concedentis cap. *si super gratia* de Officio Deleg. in 6. & c. *si cui* de Præbendis in 6. quod magis vim habet si hujusmodi delegatio facta sit a Pontifice, quem certum est apud omnes posse delegare hanc jurisdictionem perpetuam, donec a Successore revocetur, cum penes ipsum facultas sit impertiendi hanc jurisdictionem, tam ordinariam, quam delegatam, ut constat in privilegiis, per quæ Religiosis facultas hæc delegatur, quæ Privilegia perpetua sunt. Quanquam nec minor est ratio, licet delegatio facta sit ab Episcopo: siquidem non valet opponere quod citata decreta loquantur de gratia facta ab Apostolica Sede, cum non excludant alias; neque hoc videatur excedere Episcoporum auctoritatem, neque demum in hoc aliquid faciunt, quod deroget juri suorum successorum; quemadmodum nihil officit, quod in cap. *is cui* de Præbendis in 6. dicatur cessare gratiam per mortem concedentis; si hæc uni facta fuerit in favorem alterius, nam etiam si verum sit delegationem in foro Pœnitentiæ factam, esse in favorem Pœnitentium, tamen etiam gratia ipsi Sacerdoti concessa, est favor nulli odiosus, & omnibus favorabilis, & consequenter computari debet inter gratias, quæ ampliari, & non restringi merentur. Quæ diximus in casu mortis delegantis, extendi debent ad casum renunciationis, suspensionis, depositionis, & degradationis ejusdem, si hæc omnia subsecuta fuerint factam delegationem, secus vero si illam præcesserint, quia tunc nulla esset delegatio, quæ præsupponit actum jurisdictionis in Delegante, quam exercere non potest Episcopus excomunicatus, degradatus &c.

XX. Dubitari solet ab aliquibus quomodo delegata vocari debeat facultas absolvendi in foro Pœnitentiæ instante morali mortis periculo, cum hujus delegationis nullum jus positivum habeatur, sed sola vigeat constantissima, & antiquissima Ecclesiæ traditio, ratione cujus plurimum valet illa Augustini Sententia, quæ legitur in lib. 4. de Baptismo c. 24. ubi dicit, *quod perpetua Ecclesiæ traditio, cujus initium ignoratur, est signum juris Divini*; unde factum est, quod non inferioris notæ Theologi defenderint in eo casu speciali, in quo non sit alius, ad quem ex Officio, vel delegatione pertineat tale munus, Sacerdotes omnes, etiam excommunicatos, degradatos, hæreticos habere jurisdictionem a jure Divino.

XXI. Verum obest huic dubitationi generalis ratio supra explicata, quod in ordinatione Sacerdotis nulla datur jurisdictio, quæ neque ex alio loco habetur, & quæcumque sit consuetudo illa, quæ in medium proponitur, hæc non nisi Apostolicam traditionem probat, quæ non semper est de re, ut exemplis variis alibi demonstravimus, quæ revera a Christo sit instituta. Debet igitur hæc jurisdictio esse ab Ecclesia, neque aliunde illam repetit D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ubi scribit: *quilibet Sacerdos quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, & quantum ad*

omnia peccata, sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est, quia per ordinationem Ecclesiæ habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia necessitas legem non habet, ideo quando articulus necessitatis imminet per Ecclesiæ ordinationem non impeditur quin absolvere possit, ex quo habet claves etiam Sacramentaliter, & tantum consequitur ex absolutione alterius, sicut a proprio Sacerdote absolveretur, nec solum a peccatis potest tunc a quolibet Sacerdote absolvi, sed etiam ab excommunicatione a quocunque sit lata, quia hæc absolutio etiam ad jurisdictionem pertinet, quæ per legem, ordinationis Ecclesiæ coarctatur. Divo Thomæ major Theologorum pars suffragatur, quare hæc est communior sententia, quam Tridentini Patres in cap. 7. Sessionis XIV. insinuarunt his verbis. *Ne aliquis periret, custoditum semper in Ecclesia fuit &c. ut omnes Sacerdotes quoslibet Pænitentes a quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possent*. Neque aliquid afferri potest, ex quo invictissime contrarium demonstretur, nam quod obiicitur ex Augustino, probat Apostolicam traditionem, non jus Divinum, quod gratis additur tamquam Augustini dictum; sic enim Augustinus suam Sententiam exponit. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica Auctoritate traditum rectissime creditur*, & quod additur, nullo positivo jure probari hanc delegationem jurisdictionis pro illo casu falsum est, & contrarium probatur ex can. 12. Concilii Nicæni, ex canone *si aliquis excommunicatus* Concilii Eupaunensis, ex can. 32. Concilii III. Carthaginensis, ex Epistola 89. Leonis I. ad Theodorum, ex Epistola 2. Cœlestini ad Episcopos Galliæ, & ex plurimis aliis tum antiquiorum, tum recentiorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, ex quibus fit, quod hæc delegatio perpetua sit, ideoque a nullo aut tolli, aut limitari possit, nisi a Romano Pontifice, a quo tamen nunquam revocabitur; & si convalesceret sic absolutus, non esset iterum absolvendus, & liberaretur ab omni onere comparendi, quoad hunc effectum, secus enim dicendum esset de hoc onere, si absolutio data fuisset a Reservatis, quibus est annexa Censura, ut infra dicemus.

XXII. Advertendum est 2. neminem posse jure Delegationis gaudere, qui hanc a superiore Ordinario postulavit, & non obtinuit, etiam si illi injuste negata fuerit. Eruitur hoc ex verbis Concilii loco cit. *Nisi quis sit approbatus ab Episcopo non potest Confessiones audire*. Nec obstat motivum injustæ repulsionis, quia a pari ad validitatem absolutionis non obstat, quod Episcopus facultatem delegaverit contra juris regulas indigne petenti, & Sacerdoti valde imperito. Neque etiam adversatur Innocentii III. responsum in c. *licet* de Regularibus, ubi decernitur *libere posse Religiosum Sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante propterea indiscreti contradictione Prælati, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*. Siquidem aliud est dicendum de facultate, quæ petitur ab eo, qui ex suæ libertatis arbitrio potest illam concedere, & non vult, & aliud de facultate illa, cujus concessio pendet ex boni, justique viri arbitrio, quam posteriorem acceptionem cum respiciat Innocentii responsum, ideo Pontifex jubet, quod si injuste denegatur, facultas hæc pro concessa habeatur, secus vero dicendum est in prima acceptione; aut quando facultas petitur ad actum aliquem celebrandum, nam in his casibus non sufficere facultatem petere, nisi simul fuerit concessa Bonifacius VIII. declaravit in c. *Religiosus* de

de testamentis in 6. & declararunt Tridentini Patres, ut supra exposuimus, qui tantum sub conditione, quod Sacerdos sit approbatus, illi permittitur confessiones audire, quae conditionalis habet hanc vim, ut si in re ipsa non ponatur requisita conditio, effectus sequi non possit, & hoc adeo certum est, ut Regulares ipsi, quibus ante Concilium Tridentinum concessum fuerat Privilegium Confessiones audiendi, etiam reluctante Episcopo, hoc ipso tamen, quod per eorum Superiores fuissent electi, & eidem Episcopo praesentati, ut legitur in Extravaganti Bonifacii VIII. ***Super Cathedram*** de Sepulturis, modo hoc Privilegio non utuntur, quanquam in duobus Conciliis Generalibus receptum fuerit, in Jure positum, & vim legis Conciliaris obtinuerit, cujus derogationem Juristae non cognoscunt sine facta illius speciali mentione, aut Generalis Concilii in genere, & hanc mentionem Tridentini Patres omiserint, ut Navarrus in Summa notavit c. 27. nu. 264. & 265. (importune tamen, ut habetur tum in c. 1. & 2. de Constitutionibus in 6. in quibus locis haec Navarri fundamenta destruuntur, tum etiam in Bulla Pii V. A. 1567. quae incipit, ***Etsi Mendicantes***, in qua Sanctissimus Pontifex revocavit Concilii Tridentini Decretum, ut Magistris Theologiae concederet speciale Privilegium, quod sine Episcopi approbatione possent Confessiones audire) Visum est ergo Pio V. ex vi Concilii Tridentini necessariam esse Regularibus hanc approbationem; idque apertius docuit A. 1571. in sua Bulla, quae incipit ***Romani Pontifices***, qua Privilegium illis Magistris concessum revocavit, & postea docuit Gregorius XIII. sequenti anno in Motu proprio, qui incipit *In tanta*. Formam datam in Clementina ***Dudum*** de Sepulturis circa Confessariorum Regularium coram Episcopis, & Ordinariis faciendam praesentationem, nunc non esse aliter necessariam verius videtur, quia id quotidie usus edocet, & quia haec approbatio non est gratia, ut possit pendere a voluntate concedentis, sed tantum authenticum instrumentum sufficientiae talis personae. Testimonium vero semel datum non potest revocari. Unde cum per Episcopos liceat, quod Regulares in foro Poenitentiae judices sedeant, illis satis est, ut Privilegiis suis utantur; ampliationibus, & limitationibus singulis observatis, quibus justa, atque legitima existente caussa certum est posse Episcopos Confessariorum Regularium approbationem, ac jurisdictionem restringere, & limitare ad certum tempus, locum, sive personas.

XXIII. Demum advertendum est delegationem factam Sacerdoti a Superiore pro audiendis Confessionibus ***ad sui arbitrium***, & ***beneplacitum*** morte ipsius Superioris concedentis expirare: Morte enim extinguitur Beneplacitum, ut constat ex cap. ***si gratiose*** de Rescri. in 6. Expirat etiam delegatio per contractam a delegato occultam excommunicationem, licet valide absolvat illum, qui hujus excommunicationis ignarus postulat ipsi delegato confiteri, & hoc per Ecclesiae tollerantiam, quae jurisdictionem conservat in ipso excommunicato occulto ministrante. Nec valet, quod ***gesta per Judicem delegatum putativum non sustineantur ex errore communi***, ut scripsit Innocentius in cap. ***cum dilecta*** de Rescriptis, hoc enim verum esse potest si error contingit respectu unius Personae tantum, secus vero si in ipsa commissione versatur jus publicum, & utilitas publica, quia Superior commisit jure publico ex L. 3. D. de jurisd. omn. Jud. idcirco haec delegatio facta a jure publico non debet vitiari per vitium personae Judicis clandestinum. Extendunt Theologi hanc doctrinam ad casum etiam Poenitentis, qui

 hujus

hujus excommunicationis non esset ignarus, si aliunde non ponatur obex, scilicet vel ex parte materiæ, vel formæ, aut intentionis in Ministro requisitæ, & id probant ex concessione Martini V. in Extravag. ad *Evitanda* ubi Pontifex vult licitum esse cuilibet fideli communicare cum excommunicato nondum denuntiato, & occulto, *qui alias non fuerit notorius Clerici percussor*. Dixi *si aliunde non ponatur obex*, quem non ita facile concederem evitari posse ex parte contritionis requisitæ in ipso Pœnitente, nam scienter communicat alieno peccato, dum cum bene possit alterius Sacerdotis non excommunicati opera uti, nulla cogente necessitata Sacramentum ab hujusmodi excommunicato scienter petit, illumque inducit ad actum, quem libere exercere non potest, utpote sibi ratione censuræ prohibitum. Accedit quod ex concessione Martini V. non sequitur omnibus omninò fidelibus permissam esse quamlibet communicationem cum excommunicato non denunciato, sed illam solum, quæ in eorum favorem redundat, non vero in favorem ipsius excommunicati, quæ circumstantia non verificatur cum nulla adest necessitas, aut sufficiens ratio petendi ab excommunicato administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, & tota utilitas cederet in favorem dantis non petentis, cui parum suffragatur, quod ab eo potius, quam ab alio Sacerdote non excommunicato accipiar. Impedienda igitur hæc nova malitia est, ut peccati occasio, vel coacte Sacerdos excommunicatus occultus petenti assentiatur, vel promptus inveniatur ad ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum, nemo enim ignorat nulli licere, quando aliter fieri possit, a mercatore usuras exacturo, & a malefico parato maleficia patrare, ab his illa petere, & petentem in tali casu a culpa non excusari, cum fiat auctor, & caussa moralis ejusdem actus, & malitiæ ejus, quam omninò vitare tenetur.

XXIV. Addendum aliquid est circa illum delegationis modum, qui fit per favorem Superioris, cum alicui facultatem concedit Superior eligendi sibi Confessarium, ex qua gratia redundat in aliquem Sacerdotem potestas absolvendi hunc Pœnitentem, & circa hoc nonnulla inquiri possunt, præcipue vero, a quo hæc gratia prodeat, & quibus Personis concedatur. Ex jure Divino Soli Pontifici Romano facultas est eligendi sibi Confessorem, quia non habet Superiorem in terris, quæ facultas in ipsamet supræma jurisdictione Divino jure illi data continetur, ratione cujus, quod aliis potest dare, id sibi potest accipere. Ceteris omnibus, quibus convenit hæc facultas, a solo jure Ecclesiastico provenit, per concessionem scilicet Gregorii IX. insertam in Corpore Juris in cap. *ne pro dilatione* ultimo de Pœnitentiis, cui non est derogatum per Concilium Tridentinum, cum nulla illius mentio fiat in Sessione XXIII. capite 15. de Reformatione. Præter hæc jura nihil aliud superest, ex quo tamquam ex certo principio petatur eadem facultas eligendi Confessorem, quod enim aliqui adduut ex sola Consuetudine facultatem hanc haberi posse, negat Bonifacius VIII. in cap. *si Episcopus* de Pœniten. & remiss. in 6. ubi dicit. *Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare*, quod tamen hac limitatione dicendum censeo, nisi constiterit talem consuetudinem esse introductam videntibus, & tacentibus Ordinariis, quia in hoc casu bona fides sufficeret, & tuto Pœnitentes suo acquisito jure uti possent, improprie quidem per Consuetudinem, cum jurisdictio Spiritualis ab illa manare non possit, sed proprie loquendo per

quam-

quamdam licentiam generalem, seu interpretationem voluntatis Superioris, ad quam significandam potest juvare consuetudo sic introducta, ut aliquis censeatur habere potestatem a suo Superiore, penes quem semper residet jus illam consuetudinem revocandi, non vero penes quemcumque alium ex inferioribus, quod semper est advertendum, ubi agitur de revocatione jurisdictionis ex quocumque fonte illa demum proveniat.

XXV. Episcopi omnes dumodo degradati non sint, quia tunc privantur privilegiis sibi concessis ratione ordinis, vel consecrationis, aliique Superiores dignitate, & hujusmodi sunt Cardinales, tum inferiores reliqui Prælati Exempti, ut in citato cap. ultimo de Pœnit. & remis. dicitur, ex jure Ecclesiastico facultate sibi eligendi Confessarium gaudent. Illa fruuntur communiter Reges, aliique Principes per Privilegia illis concessa, eademque uti possunt generaliter omnes ii, ad quos extenduntur Privilegia Bullæ Cruciatæ, & tempore Jubilæi quandoque Pontifices solent gratiam eamdem Christi fidelibus impertiri. Illud autem circa hujusmodi Privilegiatas Personas animadvertere oportet Parochos inter has non comprehendi, & nunquam fuisse comprehensos, ut nonnulli olim putarunt hoc fundamento, quia in cap. *Tua nos* de Clerico ægrotante a Clemente III. Prælationis Officio fungi dicuntur, in amplissima certe significatione voce hac usurpata, cum in Clementina *Dudum* de Sepulturis Prælati, & Parochi distinguantur in cap. *decernimus* de Judiciis, ubi de ratione Prælati esse dicitur, ut habeat aliquam jurisdictionem Ecclesiasticam in Foro Contentioso, & in nullo jure exempti vocantur, quod esset necessarium, ut Gregorii IX. Privilegium ad ipsos quoque pertineret.

XXVI. Notare etiam opportunum est Prælatos Exemptos (sive hoc nomine veniant, qui in foro subjiciuntur immediate Summo Pontifici, sive ii, qui in hoc foro non subduntur Episcopis, ut sunt Superiores Regularium, sive veniant utrique, ut constat ex praxi) tantum uti hac facultate quandiu Prælationis Officium tenent, cui si renuntiaverint, vel si temporaneum fuerit, statim ac illud expleverint prædicta facultate amplius uti non poterunt.

XXVII. Monendum ulterius est perperam explicari a quibusdam verba Urbani II. quæ leguntur in cap. *placuit* de Pœnitentia dist. 6. ubi Pontifex, inquit: *Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui Pœnitens prius confessus est*, ac si Pontifex voluerit concessam esse cuilibet facultatem eligendi Confessarium, si proprius Sacerdos sit illiteratus, nam præterquamquod inter se discrepant Doctores in genuina hujus Decisionis intelligentia, nulli eorum videntur verum sensum assecuti verborum Urbani. Arbitramur itaque suo Decreto tunc consuluisse Pontificem inconvenienti, quod introducebatur, post publicas Pœnitentias impositas, ne postquam aliquis uni fuisset confessus ad alterum accederet, & repetita confessione postularet, priorem sententiam commutari, quoad Pœnitentiam exhibendam, ut fieri solet cum quis ab uno ad alium judicem appellat, ut ab antecessore inflicta pœna corrigatur. Ad hanc itaque Pœnitentiam mutandam noluit Pontifex accessum patere ad alium Sacerdotem (ex approbatis certe, & ex iis, qui in eadem Ecclesia jurisdictionem habebant, cum oppositum ex verbis Canonis non probetur) postquam

ca-

caussa alteri commissa fuerat, & solum moderatus est rigorem, quem lex ibi lata præseferre videbatur, prudentissimeque statuit non committendum judicium ipsi Pœnitenti, sed alteri Confessori, ut videret utrum ne prior sententia, quoad Pœnitentiam injunctam manifestum contineret errorem. Ex vi igitur verborum textus non prohibetur alteri Sacerdoti audire Confessionem, sed judicare de illa, ut Pœnitentiam mutet, nisi prius constet de errore manifesto, qui cum potius ignorantiæ, quam malitiæ tribuendus sit, merito Pontifex illa voce usus est: *Nisi per ignorantiam illius, cui pœnitens prius confessus est*. Ex hac itaque explicatione, quam suppeditat Soto dist. 18. q. 4. a. 6. cognoscitur, quod nulla facultas conceditur Pœnitenti ad eligendum confessorem, qui in ipsum jurisdictionem habeat propter solam ignorantiam proprii Sacerdotis, quod non solum in decretali Urbani non legitur, sed in nullo alio jure, neque in Ecclesia hic usus unquam fuit, & esse potuit propter eorum periculum, qui erga suos Parochos male affecti fuissent.

XXVIII. Neque prætereundum esse censemus in Electionibus Confessariorum faciendis a Prælatis Episcopis inferioribus curandum esse, ut non nisi Sacerdotes illi eligantur, qui ab Episcopis approbati sunt, nam ipsi inferiores Prælati sub decreto Concilii comprehenduntur, quemadmodum comprehenduntur Episcopi, si velint eligere sibi non subditum, ita ut teneantur eligere approbatum ab Episcopo, cui Confessarius electus subjicitur, ut declaratum referunt a S. C. C. Aloysius Riccius in Praxi fori Eccles. decis. 584. in 1. edit. alias Res. 470. in 2. edit. Ægid. de Coninch. Prosper de Augustino, aliique plures apud Barbosam De Offic. & Potest. Episcopi par. 2. Alleg. 25. n. 20. 21. etiamsi Episcopus Sacerdotes exteros, & non subditos possit approbare, & jurisdictionem eis dare, ut in sua Diœcesi Sacramentales Confessiones audiant, quod a fortiori dicendum est si Episcopus det suo subdito facultatem eligendi sibi Confessarium in aliena Diœcesi, quia nunquam potest Episcopus dare hanc facultatem, nisi juxta formam Concilii: Imò Papa ipse, nisi aliter in suis litteris expresserit, concedens alicui idem jus electionis, semper intelligitur, quod hoc privilegium concedat juxta eamdem formam Concilii, licet hæc declaratio in suis Bullis non adderetur, nam Pontificis concessiones semper intelliguntur juxta commune jus, cui non derogatur sine sufficienti declaratione, neque generalibus clausulis *non obstantibus &c.* ut communiter docent Canonistæ, & legitur in Decio. Consil. 165. Additur insuper Episcopum dare non posse eamdem facultatem subdito per illam met approbando Sacerdotem eligendum, etiam si alias a se non fuerit approbatus, licet per Concilium Trid. concedatur Episcopo jus approbandi per examen, aut alias prout ei videbitur, nam in hac concessione Episcopus revera dat facultatem eligendi non approbatum, quod est contra Concilium, & jus commune, in quo jure solus Pontifex dispensare potest, alias sequeretur, posse Episcopum generaliter, & sine ullo delectu approbare Sacerdotes omnes suæ Diœcesis, quod adversatur menti Concilii, a quo postulatur, quod approbatio fiat in tali persona, quæ idonea judicetur, non in confuso, ut quilibet Sacerdos approbetur. Hoc præstare poterit Episcopus in eo casu, in quo cum subdito docto dispensare voluerit, ut confiteri possit cuicumque, quod prius ita dispensatus experiatur idoneitatem Sacerdotis, quem elegerit, eumdemque a suo Episcopo approbatum declaret, tum illum sibi eligat in Confessarium, & ratio est, quia si verum est, quod Episcopus potest committere hanc facultatem approbandi suo Vicario, poterit ergo etiam alteri

ri viro docto eamdem committere, quia ex hoc, quod vir ille doctus futurus sit Pœnitens illius, qui eligendus est, propter hoc non fit pejoris conditionis, nihilque amplius exigitur in hac parte juxta formam Tridentini.

XXIX. Postremo dicimus facultatem eligendi Confessarium non excedere potestatem concedentis, cum ampliorem jurisdictionem, quis delegare non possit, quam ipse habeat, quare licet extendatur facultas hæc ad omnia peccata, non tamen ad singula, si alias facultatem concedens ab aliquibus non possit absolvere, aut aliqua peccata sibi specialiter reservaverit, & super his facultatem non extenderit, juxta regulam, quod in generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis in specie verissimiliter concessurus. cap. *si Episcopus* de Pœnit. & remis. in 6. generaliter itaque loquendo, cum Superiores inferiores absolvere non possint a peccatis, quæ reservantur a majoribus, sequitur quod nullus uti poterit facultate ab Episcopo impetrata, ut absolvatur a reservatis, vel Summo Pontifici, vel aliis majoribus Prælatis; imò neque uti poterit facultate obtenta ab ipso Summo Pontifice, ut absolvatur a Peccatis ab inferioribus Prælatis reservatis, nisi Pontifex hoc expresserit, quia hujusmodi Peccata non intelliguntur comprehendi sub clausula generali, nisi exprimantur, Clement. 1. de Privileg. & Extravag. *inter cunctas* titulo eodem. Non solum concessa facultas ad quædam peccata non extenditur, sed neque ad ea, quæ quandoque peccatis ipsis connexa sunt, & propterea dicimus, non posse hunc Confessarium electum dispensare in votis, aut ea commutare, facultas enim eligendi Confessorem datur, ut inquit Gregorius IV. ne Pœnitentia differatur, non vero, ut quis in votis dispensetur, nisi aliter a delegante præscribatur, aut talia sint vota, ut aut ex vi sui muneris cognoscat Confessarius expedire illa commutare, ad quod speciali jurisdictione non indiget. Poterit tamen ab omnibus juris, & Canonis excommunicationibus præmissa juratoria cautione, si opus fuerit, absolvere, quatenus earum absolutio necessaria est ad absolutionem a peccatis, ut colligitur ex cap. *nuper* de sententia Excom. In id vero munus tamdiu erit electus Confessarius permansurus, quamdiu Pœnitens voluerit, aut Pœnitentis privilegium extendetur, neque ultra id extenditur, quod in ipso exprimitur, neque cessat ante completum ejus usum, cum facultas ad hoc præcipue concedatur, ut quis absolutionem a peccatis obtineat, quod si tempus fuerit indefinitum, aut in gratia reperiantur hæc verba *ad beneplacitum nostrum*; aut hæc *usque ad beneplacitum nostræ sedis*; ea quæ diximus de duratione jurisdictionis in delegato obtentæ a judice ordinario, etiam ad casum hunc extendentur, ut extendentur fundamenta reliqua, quæ probant non sufficere præsumptionem facultatis obtentæ eligendi Confessarium, neque satis esse hanc facultatem postulasse, nisi constet revera obtentam fuisse, nam in hujusmodi casibus Pœnitentem debere se gerere tamquam eum, qui non habet copiam Confessarii docuit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 4. ad 5. verum tamen est, quod idem S. Doctor Opusc. 19. statuit, *& sibi, & subdito damnationem acquirere Superiorem illum, qui injuste hanc facultatem negat, eoquod ipse mortaliter peccat: & subditus privetur remedio utilissimo*; & adduut alii non solum Superiorem non posse negare facultatem hanc sine justa, & rationabili caussa, sed neque illam revocare, si jam ipsam dederit argumento petito, tum ex cap. *Accepimus* de ætat. & qual. ordin. in quo capite Innocentius III. prohibet exceptiones admittere contra eum, qui idoneus

neus est repertus, ut tamquam indignus rejiciatur, nisi forte postquam promotus fuerit reddiderit se indignum, tum etiam ex hoc fundamento, quod approbatio non est gratia, vel favor, sed actus justitiæ, & veluti quædam sententia, ex justitia debita, quæ sine caussa juste non revocatur. Existimo tamen oppositam opinionem esse certiorem, nam hæc praxi quotidiana Episcoporum sustinetur, qui ut indignos nunquam approbant ad audiendas Confessiones dignis exclusis (quod certe non sine maxima justitiæ offensione contingeret) ita etiam jure suo a Concilio illis concesso privari nolunt Confessores approbandi ad limitatum tempus, ut justa superveniente caussa delegatam jurisdictionem auferre valeant, & datam approbationem revocare.

§. III. *Est in Ecclesia potestas reservandi peccata.*

XXX. Cum Potestatem absolvendi delegatis ad munus hoc Sacerdotibus concessam extendi dixerimus ad omnia quidem peccata, sed non ad singula, & specialiter ad illa, quæ sibi Pontifex, aut quilibet alter Superior reservavit: ex hac Jurisdictionis limitatione oritur, quod nunc agere necesse sit de Ministro requisito circa hæc peccata, specialiter in hoc foro reservata. Esse in Ecclesia hoc jus reservandi peccata Superioribus Judicibus probant antiquissimæ Ecclesiarum, & Summorum Pontificum ordinationes, ut constat ex cap. *si quis suadente* 17. q. 4. cap. *in quorumdam* de Judæis, cap. *conquesti* de senten excom. cap. *quocunque* eod. tit. in 6. & cap. 2. eod. tit. in Clement. & cap. *si Dominici* de Pœnit. & remis. in Extravagant. commun; expedire autem Tridentini Patres docuerunt in c. 7. Sess. XIV. *animadvertentes Sanctissimis Patribus nostris visum esse magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur, meritoque Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita caussas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare, & hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi idem præstare in ædificationem tamen, non in destructionem licuisse*. Allucinatur itaque Wiclephus dum ait, *reservationem esse contra Charitatis regulas fundatam*, & allucinantur quotquot Hæretici post Wiclephum prodierunt, ut negarent Ecclesiæ hanc potestatem in foro interiori falso supposito, & fundamento jam reprobato, eoquod putent in Ecclesia non esse potestatem ad absolvendum in foro Pœnitentiæ. Hæc catholica veritas etiam ratione suaderi potest nam omnis jurisdictio in hoc foro est a Superioribus in inferiores, igitur juxta illorum arbitrium poterit magis, aut minus limitari, neque deest congruentia, sic enim fideles magis continentur ab hujusmodi peccatis, quia sciunt, quod non ita facile absolvuntur, & Prælati in eorum emendatione proficiunt, dum hoc remedio ab eisdem facilius corriguntur. Porro animadvertendum est in hac reservatione posse contingere, quod Superior reservet sibi, & alteri nonnullos casus, quia potest uni concedere jurisdictionem, quam alteri vult auferre. Exemplum habemus in Reservatione, quæ fit a Papa, qui non solum casus reservat sibi, sed reservat etiam Episcopis, & colligitur etiam ex cap. 6. Sess. XXIV. Concilii Tridentini, ubi quidam Casus reservantur Episcopo, vel ejus Vicario ad hoc specialiter deputato; crimen ve-

vero hæresis occultæ soli Episcopo reservatur. In jure etiam Ecclesiæ, & praxi Episcoporum est quandoque reservare censuram non culpam, quandoque culpam solam, & quandoque Censuram, & culpam. Eruitur hoc, non solum ex Canonicis sanctionibus supra recensitis, sed uberius adhuc id habetur in Extravaganti *Inter cunctas* de Privileg. & dicitur in cit. cap. 7. Tridentini Concil. Sess. xiv. ubi ponuntur hæc verba: *præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est*. Usus vero Romani Pontificis nunc est non reservare, nisi adjungendo aliquam censuram, vel irregularitatem, nam in antiquis Pontificum reservationibus indicia sunt reservationis criminum, quibus nulla censura annexa erat, ut exemplum legimus in cap. *Latorem* 33. q. 2. & in cap. *Presbyter inconsulto* 26. q. 6. Ubi vero inordinata aliqua actio ita fuerit a Summo Pontifice sibi reservata, probabilius esse censemus, hanc non solum esse reservatam Pontifici quo ad censuram, sed etiam quoad culpam, ut colligitur ex cap. *si quis suadente* 17. q. 4. in quo legitur prima omnium reservationum Papalium, in quo Innocentius II. anathematis vinculo subjiacet percussorem Clerici, & inquit, *nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur*. Siquidem absolutio illa, quæ ibi reservatur respicit ipsum peccatum, non refertur ad censuram. Idem etiam colligitur ex verbis Xisti V. in suo Motu proprio A. 1589. contra Clericos male promotos, quæ ita leguntur: *Personæ sic, ut præfertur, delinquentes, tam scilicet Antistes, seu Abbates promoventes, quam Clerici male insigniti, seu ordinati a reatibus, & excessibus præfatis absolvi, præterquam in mortis articulo non possint*. Si ergo reatus, & excessus hujusmodi Personarum non sunt absolvendi, clarum videtur non solam suspensionem, sed etiam culpam sibi Pontificem reservare, & patet ulterius ex hoc, quod si quis absolvatur a crimine, cui sit annexa censura reservata, hæc absolutio nulla est. Signum est ergo non solum sublatam fuisse jurisdictionem ad absolvendum a censura, sed etiam immediate ad absolvendum a culpa; secus vero dicendum, si hic casus contingeret in Confessione culpæ annexæ quidem censuræ, sed non reservatæ; nam in hoc casu, licet ex Confessoris malitia ordo invertatur, absolutio Sacramentalis sine Pœnitentis dolo obtenta, valida est non præmissa absolutione censuræ. Omitto idem colligi ex verbis Innocentii III. in cap. *nuper* de Senten. excom. in quibus dicitur, quod pro iis, qui communicant Crimini, & participant Criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videntur in eum delinquere, qui damnavit, *ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda*, & tantum noto, quod si aliquando reservatio videatur specialiter cadere supra censuram, hoc nihil officit, nam sensus verborum talis esse debet, ut non obstet juri communi, & Ecclesiæ praxi, quæ in reservationibus Papalibus culpam, & censuram conjungit; & inde est quod ablata censura, censetur reservatio culpæ sublata, & facultate concessa absolvendi a culpa, concessa etiam censetur facultas absolvendi a censura.

XXXI. Illud etiam, secundum Ecclesiæ praxim, dicere oportet inutilem esse peccatorum venialium reservationem, quia nulla lex cogit hujusmodi peccata confiteri. Sola igitur peccata mortalia reservationi Superioris subjiciuntur externo opere consummata, nam fortasse expediens non est negare jurisdictionem ad absolvendum a peccatis internis, licet in rigore loquendo non desit in Ecclesia hæc potestas, ut inter ceteros Theologos do-

cuit Cajetanus in 2. 2. q. 11, a. 3. & suo exemplo confirmarunt illi Episcopi, qui sibi mentalem hæresim reservarunt. Ex illis vero quænam sint, quæ sibi reservare solent Superiores, definire facile non est, cum varia sint Episcoporum Statuta in variis Diœcesibus, & varia ipsarum Diœcesum consuetudo. Olim a communi Jure, & Consuetudine hæc Episcopis reservata legebantur. Peccata omnia, quæ publica Pœnitentia puniebantur. 2. Peccata quibus annexa erat excommunicatio major. 3. Peccata cum irregularitate conjuncta 4. Peccatum incendiarii 5. Publica blasphemia 6. Homicidium voluntarium 7. Crimen falsi 8. Violatio Ecclesiasticæ immunitatis. 9. Sortilegium. Quoscumque vero casus sibi modo reservet Episcopus, satis est, quod certus sit de justa caussa, & de subditorum utilitate, ad quam hæc potestas principaliter ordinatur. Id vero, ut constiterit Sacerdotibus Episcopum perfecisse, nullus illorum sine prius obtenta facultate, extra mortis articulum relaxare hujusmodi peccata præsumpserit, quamquam in particulari esset certus reservationem sine legitima caussa factam fuisse, quia non semper a criminum atrocitate movetur Episcopus ad illorum reservationem, sed a plerisque aliis caussis, quæ a Subditis ignorantur. Hæc igitur petenda facultas est, vel expectandum, quod illis hæc jurisdictio demandetur, sine qua in ulla caussa quæcunque illa sit, potest ferre nemo Sententiam; & hoc si contigerit, aut per potestatem delegatam, aut per facultatem Pœnitenti concessam ad eligendum Confessorem, certum est duobus hisce modis illud ab his Sacerdotibus esse impetratum, quod satis est ad licite, valide, & utiliter impertiendam in hoc Foro Sacramentalem absolutionem.

XXXII. Sed quid dicendum de Casibus Summo Pontifici reservatis? Etiam quoad hos casus specialissima facultas necessaria est, ut quis possit ab eisdem absolvere. Hanc autem facultatem ab ipso jure habent Episcopi, dummodo tamen casus occulti sint in vi Decreti Concilii Tridentini, quod legitur in cap. 6. Sess. XXIV. *Liceat Episcopis &c. in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita Pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis est permissum*. Privilegii extensionem disputarunt Abbates exempti, aliique inferiores Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, verum Sacra Congr. Cardinalium suo decreto contrarium sensit: *In hoc Decreto (Liceat Episcopis &c,) non comprehenduntur inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi privative quoad omnes alios*. Ceterum Pius V. inter singulares gratias, & favores, quibus Ordinem suum cumulatissime exornavit, hanc quoque Superioribus ejusdem Ordinis concessit, ut constat ex ejus litteris datis in forma Brevis ad petitionem cujusdam Provincialis Provinciæ Hispaniæ, quæ ita referuntur: *Exponi nobis super fecit dilectus filius Prior Provincialis Provinciæ Hispaniæ Ord. Fr. Prædic. &c.* & infra, *quia Sacrum OEcumenicum Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout Sess. XXIV. c. 6. habetur: Ne Prior Provincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tam in dicta Provincia, quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici,*

rici, aut Sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, ut ipsi per se ipsos idem omniuò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quas alias quascumque facultates eisdem factas auctoritate, tenere etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præsentes litteras perpetuo durare, & valere: Quare si litteræ sinceræ sint, poterunt eadem concessione uti Regularium illorum Superiores, qui cum eis in Privilegiis communicant. Amplissimam hanc facultatem concessam Episcopis, per hoc Concilii Decretum, limitatam esse quoad potestatem absolvendi ab hæresi occulta, & non deducta ad forum contentiosum per verba illa, quæ in fine Bullæ in Cœna Domini inferuntur: *ut ab aliis casibus nulla Persona Ecclesiastica etiam Episcopali, vel majori dignitate prædita absolvere possit prætextu cujuscunque facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta in genere, vel in specie concessa*, communis est Canonistarum, & Theologorum sententia; imò sic declarasse Gregorium XV. A. 1621. & non semel decisum fuisse in supremo Tribunali Sacræ Generalis Inquisitionis plurimi alii testantur. Nihilominus tamen alii plures oppositum sustinent, quod probant ex hoc principio, quod Legi speciali non derogatur per generalem, qualis est illa clausula Bullæ Cœnæ, quæ limitatur per illud decretum Concilii Tridentini, ut non procedat in casibus occultis, qui casus ponitur in Concilio, sed in aliis Generaliter, & argumentum confirmationis petunt ex clausula quadam Motus proprii Xisti V. contra male promotos, in qua hæc verba posuit: *etiam si crimen penitus occultum fuerit*, ut occurreret facultati a Tridentino concessæ in hac re Episcopis per amplissimas clausulas. E contra alii non difitentur asserere, neque posse Episcopos hodie in vim hujus decreti absolvere hæreticos occultos in foro conscientiæ, etiam vigore Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, quamvis in illis dicatur, quod possit absolvere a casibus comprehensis in Bulla Cœnæ, nisi specialiter dicatur quod possit absolvere ab hæresi, animadvertentes, tum alteram opinionem confirmatam hoc S. C. Cardinalium Decreto: *Episcopus absolvere non potest hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas a Concilio sit ei concessa*, tum fundamentum Navarri, quod exponit in sua Summa c. 27. n. 260. non esse valde efficax, cum verba Bullæ laudatæ: *in genere, vel in specie concessorum*, sufficiant ad explicandam mentem Pontificis revocandi non solum generales facultates, sed illas etiam, quæ speciali revocatione indigerent, & demum usum Episcoporum, qui facultatem petunt absolvendi prædictos hæreticos. Neque dissimilis est ratio quare Episcopi non possint obsolvere a Duello, a Simonia reali, a violatione Clausuræ Monialium ad malum finem, & Immunitatis Ecclesiasticæ, licet hæc delicta occulta sint, hæc enim singula reservantur R. P. ad formam Constitulionis Gregorii XIV.

XXXIII. Cum itaque in reliquis quibuscumque occultis casibus superfit Episcopis potestas absolvendi suos subditos, & communiter sublata sit ceteris omnibus inferioribus Prælatis, quomodo consulendum erit personis exemptis in casu, quod indigere possint absolutionis beneficio ab hujusmodi casibus, & reliquis Personis, quæ sunt alterius Diœcesis? Respondemus quoad exemptos, quod absolvi possunt ab his casibus occultis ab Episcopis, in quorum Diœcesibus habitant, quia semper territorium exemptum contentum est sub Diœcesi alicujus Episcopi, respectu cujus omnes, qui in hac Diœcesi morantur Subditi censeri debent quoad hos casus, quia agitur de re favorabili. Quo ad

 reliquos

reliquos vero, qui aut vagabundi sunt, aut peregrini, aut per aliquam anni partem in alieno Episcopatu morantur, ut sunt Mercatores, Medici, Scholastici, aliique, dicimus, quod tum ex consuetudine, tum ex voluntare interpretativa suorum Superiorum, tempore permanentiæ in aliena Diœcesi, quoad hunc effectum censentur subditi, & ita non est dubium, quin absolvi possint ab illis Episcopis, in quorum Diœcesi inveniuntur, a quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, scilicet ab illis casibus, qui secreti sunt, qui plene probari non possunt, vel quia unus tantum scit, aut licet ab aliquibus sciantur sunt tamen singulares, & qui sic peccavit nondum laborat publica infamia, & propterea per hanc facultatem sic absolvi potest ab Episcopo, aut ejus Vicario ad id specialiter deputato, aut vacante Sede a Capitulo, quia Capitulum succedit in jurisdictione Episcopi, & specialiter in potestate absolvendi, quod declarat Glossa in cap. 2. Ne sede vacante aliquid innovetur, & in c. unico de Major. & Obed. in 6. & in cap. ad *abolendum* de Hæreticis, & specialius etiam in his, quæ per specialem concessionem Episcopo data sunt, ut Panormitanus notat in cap. *cum olim*, & capite *at si Clerici* §. de adulteriis, de judic. & capite *verum* de Foro competenti.

XXXIV. An vero hæc facultas a jure aliis delegetur, nihil certi responderi potest, nisi quod ex vigore specialis Privilegii possit Episcopus illi delegare facultatem hanc, qui sibi in Confessorem elegit. Dixi *ex vi specialis Privilegii*, quia ex vi Concilii non est illi data hæc potestas, cum Concilium dicat: *delinquentes quoscunque sibi subditos*, Episcopus autem sibi subditus non est. Speciale hoc Privilegium fundatur in responsione Sacræ Congr. Cardinalium dubio, quod illi fuit propositum. *An Episcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite, prolapso, liceat ad se absolvendum proprium Confessarium deputare, cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere? Congregatio censuit id Episcopo licere*, & ideo respectu Episcopi reservatio Papalis ablata est ab his casibus occultis. Præter hunc Confessarium ab Episcopo electum, nulli alteri licet in vi juris Communis absolvere a Casibus in sensu explicato reservatis Papæ.

XXXV. Sed neque a casibus Episcopis reservatis, si Episcopi non consentiant, quod specialiter dicimus, ut repellamus singularem quorumdam opinionem, qui asserebant posse Religiosos in vi Juris communis ab his casibus absolvere, quæ reservantur per statuta, vel præcepta particularia Episcoporum, cum revera ex vi concessionis eisdem factæ, ut legitur in Clementina *Dudum* de Sepulturis, tantam facultatem habeant Religiosi, quantam Parochi ordinarii. Per hujusmodi autem concessionem sic Pontifex loquitur in cit. Clementina *nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eocuratis vel parochialibus Sacerdotibus est a jure concessa*. Non dicitur autem jure concessum, quod a jure revocatum est L. *Divortium*. D. de *Divor.* ergo si hæc facultas non conceditur a jure Parochis, neque concedetur Religiosis. Ceterum tanta est in hujusmodi Personis pietas, & prudentia, rectique tanta Scientia, & in rebus agendis tanta exercitatio, ut illos pudeat in re certissima diutius immorari, quod si a Majoribus plurimum certatum est pro sua auctoritate tuenda, res ipsa de qua agebatur per se gravissima erat, neque nondum satis elucidata.

XXXVI. Uni-

XXXVI. Unicus casus est, in quo a jure communi Sacerdotibus omnibus, nemine excepto, datur facultas absolvendi ab omnibus Reservatis tum Papæ, tum Episcopis, aliisque Prælatis inferioribus, & hic est Mortis articulus. *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, dixerunt Tridentini Patres in cap. 7. Sess. xxiv. ex quibus verbis facile colligitur nullum ex Superioribus posse casus reservare pro articulo mortis illa reservatione, per quam omninò aufertur potestas absolvendi. Illud autem caute observandum est in illo extremo vitæ discrimine, quod si plures adsint Sacerdotes habentes jurisdictionem, & alii non habentes, approbati aliqui, & reliqui non approbati, ordo servetur, & qui sunt præferendi, præferantur, quamquam nihil referat, quod qui ex Privilegio jus habet absolvendi a casibus summo Pontifici, aut Episcopo reservatis licet sit præsens, omittatur, nam nulla reservatio obligat in illo articulo, aut casum illum non comprehendit, cumque Privilegium sit lex privata renunciari potest ab eo, in cujus favorem concessum est, quia unusquisque potest juri pro se introducto renunciare, capite *ad Apostolicam* de Regularibus, & ordinarium jus sequi. Neque qui sic absolvetur tenebitur iterum confiteri sua peccata reservata, cum nemo iterum confiteri teneatur peccata, quæ semel confessus est, & a quibus semel directe fuit absolutus. Si peccata erant reservata, cum censura, sic absoluto supererit onus comparendi coram Superiore, non ut iterum Sacramentalem absolutionem consequatur. *Sed mandatum Apostolicum suscepturus*, ut Alexander III. Cenomanensi Episcopo scripsit, & legitur in cap. de *Cetero* de Sententia excom. scilicet, ut Superior convenientem medicinam adhibeat satisfactionemque imponat si imponendam judicaverit, *quod si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi se illi, a quo hit cessantibus absolvi debebat, quamcito comode poterit contempserit præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicatus fuerat humiliter recepturus, & satisfacturus prout justitia suadebit*, decrevit Bonifacius VIII. in c. *eos qui* de senten. excom. in 6. *ne sic censura illudatur Ecclesiastica, hujusmodi Pœnitentem in eamdem excommunicationis sententiam ipso jure recidere.*

XXXVII. *Extra mortis articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Ex hac Patrum Tridentinorum Sententia satis colligitur, quod præter Superiores, qui jurisdictione ordinaria fruuntur in hoc Sacramentali judicio quoad reservata, alii quoque judices legitime sunt constituti, ad quos oportet accedere, ut valide, & licite quis ab hujusmodi peccatis absolvatur. Non videtur tamen sufficienter a Concilio Tridentino hanc facultatem negatam esse, cum ex pluribus Canonicis Sanctionibus constet excipi in jure reservationem factam in Canone *si quis suadente* supra citato, & ex similitudine rationis, excipi alios quoque casus, in quibus inferioribus etiam Ministris hæc jurisdictio absolvendi conceditur, iis videlicet, quibus delegata est facultas absolvendi a non reservatis, & hi casus sunt Pontificii, quoties Summus Pontifex, vel ejus Legatus, vel Delegatus, aut adiri non potest, aut non sine maximo incomodo, & diuturnissimo tempore, cum onere tamen, ut supra dicebamus comparendi coram Pontifice. Sed respondemus Decretum Concilii non comprehendere reservationem illorum casuum, qui non aliter reservati sunt, quam in jure explicatum sit, quorum exceptio in jure facta est propter excommunicationem, quæ regulariter loquendo illis annectitur, sed loqui

qui tantum de illis reservatis, in quibus neque a jure, neque per aliam declarationem reservantis jurisdictio conceditur, & hujusmodi sunt Casus, qui ab Episcopis reservantur, in quibus non militat illa specialissima ratio, quæ est in Casibus Pontificiis, ne absolutio Pœnitentiæ Sacramentalis nimium differatur, nam respectu inferiorum Prælatorum raro contingit aditum ad illos esse ita difficilem, ut ad Romanum Pontificem. Quod si in his quoque, vel eadem ratio posset occurrere, aut aliquid aliud minime accomodatum animarum saluti, jam ab ipsis Episcopis solet esse provisum in eorum Statutis, & declaratum quid expediat, & quomodo se gerere debeat Confessarius ne illorum, qui ad ipsum accedunt Pœnitentia differatur. Alterum igitur ex duobus Episcopus præstare solet, vel delegare uni, aut pluribus, prout opus fuerit suam jurisdictionem, ut absolvant a Reservatis, vel subdito concedere, ut sibi eligat Confessarium, cum facultatibus opportunis, quibus possit illum absolvere ab omnibus peccatis, sic enim subditi non exponuntur periculo pereundi, aut non integre confitendi, præsertim cum verentur aliquod grave damnum extrinsecum inferendum ab ipso met Confessario, puta qui Confessionem sit revelaturus, vel scientia illa usurus in grave illius nocumentum. Verum quia etiam periculum esse potest, quod subditus petita facultate nequiter utatur, ut facilius in suis peccatis persistat; hinc est, quod Episcoporum curæ, & prudentiæ relinquitur, ut id faciant prout illi judicaverint expedire. Satis est D. Thomæ, *quod Superiores sciant hanc jurisdictionem illis non esse datam propter suam auctoritatem, vel utilitatem, sed propter bonum Pœnitentium*, unde ait in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 4. ad 6. *illi, qui sunt nimis soliciti, ut conscientiam subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis*; & magis commendat faciles Superiores, quam illos, qui sunt difficiles in hac facultate concedenda, quia ut plurimum minus periculi est in concedenda, quam in illa neganda, & ut concedatur satis est, quod nulla urgeat contraria ratio, quæ semper attendenda est, ut in negatione ordo servetur convenientior. Hoc tamen poterit velle Superior, quod subditus, qui petit facultatem electionis Confessarii unum eligat, ex designatis ad hoc munus, quemadmodum potest inquirere, & scire cui velit subditus confiteri, ut tale munus committatur personæ proportionatæ tali caussæ, & fini reservationis, ut graviora delicta gravius corripiantur, & melius possint emendari. Superest animadvertere esse penes Superiorem delegantem alteri facultatem absolvendi a peccatis reservatis determinare, si voluerit, Pœnitentias pro eisdem peccatis reservatis injungendas. Colligitur hæc facultas ex Decreto Clementis VIII. de Casuum reservatione pro Regularibus, quod potest etiam intelligi de quacunque satisfactione condigna, si hoc valde conveniens judicetur, tamen in usu non est, ut fiat.

XXXVIII. Notari etiam potest, quod si quis a Papa obtinuit facultatem absolvendi a Casibus sibi reservatis, extenditur hæc facultas ad culpas, & ad Censuras, quia ut dictum est regulariter Casus Papales annexam habent Censuram. Sed hoc non est dicendum de facultate ad hunc effectum concessa ab Episcopis, quia casus inferiorum Prælatorum sæpius non habent excommunicationem annexam, & si aliquando habent, non statim aufertur reservatio, licet tollatur excommunicatio, quia hæc duo in his casibus non ita conjunguntur, ut sunt conjuncta in Pontificiis: cum itaque sint diversa peccata, si-

ve

ve casus, & a diversis non fiat illatio *L. Papinianus exuli* D. de Minoribus, non videntur Episcopi in generali facultate concedere facultatem absolvendi a Censuris: oportet igitur, ut utrumque concedant, & ubi utrumque concesserint, ne quis tamen putet ipsos concedere absolutionem, vel dispensationem votorum, aut irregularitatum eadem ratione, quia facultates istæ non possunt extendi, nisi quando ex circunstantiis, aut ex antecedentibus, & consequentibus aliud constiterit de intentione Episcopi. Idem dicendum de casibus a jure ipsi Episcopo reservatis, facultatem generalem super his non extendi, nisi etiam hos casus Episcopus expresserit. Quod etiam valet licet Episcopus in concedenda alicui Sacerdoti facultate dixisset, se illi concedere omnem suam potestatem, & auctoritatem ad audiendas Confessiones, scilicet in hac generalissima concessione non comprehendi facultatem pro reservatis, nisi saltem unum ex his exprimat, aut unum excipiat juxta regulam in cap. *qui ad agendum* versu *sed si aliquis* de Procurator. libro 6. & *L. nam quod liquido* §. ultimo D. de Penu legata.

XXXIX. Demum observatur Sacerdotes ab Episcopo delegatos, ut absolvant a reservatis Pœnitentes non posse alteri delegare prædictos casus, nam Delegatus non potest delegare *L. a Judice* C. de Judiciis; itaque necesse est, quod Ordinarius specialiter subdelegandi facultatem concedat. Unicus casus est in quo delegatus potest subdelegare, nimirum quando est delegatus ad universitatem, in hoc enim casu Glossa dicit, *qui delegatur ad universitatem, Ordinarius quasi est* verbo *delegatus* in cap. *cum caussam* de Appellat. Advertunt vero nonnulli Doctores, quod qui subdelegandi potestatem habet non potest subdelegare alicui facultatem, qui ipsum subdelegantem absolvat a reservatis.

§. IV. *Sola potestas Ordinis, & Jurisdictionis non sufficit in illo, qui Sacramenti Pœnitentiæ Minister est.*

XL. Quicumque vero sit a jure, vel ab homine Minister Sacramenti Pœnitentiæ, teneaturque ex charitate, obedientia, & officio, munus hoc, gerere quod proprie Parochorum est, qui tenentur suarum Ovium Confessiones audire, quando illæ tenentur suscipese, & aliis temporibus, si ipsæ petant, ut illarum necessitati, utilitati, & commodo consulant, & ut ea evitent quæ Ezechielis 3. 33. & 34. describuntur, quicumque inquam sit Confessarius, opus est maxima illum in primis prudentia, tum discretione præstare, ut Pœnitentium quorumcumque profectum procuret, vel saltem non impediat. Oportet etiam illum scire suæ jurisdictionis limites quoad locum ipsi designatum: quoad personas, num sæculares, num Moniales (approbatum etenim pro sæcularibus, non esse approbatum pro monialibus censuit Sacra Congregatio Cardinalium, & declaravit Clemens X. A. 1670. in sua Constitutione, quæ incipit *Superna*) quoad tempus, puta ad 6. menses, ad annum, ad beneplacitum nostrum, ad beneplacitum nostræ Sedis &c. & postremo, quoad casus. Oportet etiam, quod maxime caveat, ne verbis, gestibus, factis, aut quomodocumque contigere posset, ea detegat, quæ in Sacramentali Confessione audivit; callere enim debet Secretum hoc illi præcipi, tum a Jure Naturali, tum a Jure Divino, tum a Lege Ecclesiastica ad vitandam infamiam Pœnitentium, cui jus naturale vetat ne detur aliquis lo-

locus, & ut Christi gerens vices illum imitetur, qui nunquam se revelaturum pollicetur ea, quæ semel dimisit: *quoties ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non recordabor amplius*; & postremo, ut Ecclesiasticis obtemperet Constitutionibus, quarum plura exempla videri possunt apud Gratianum, præsertim vero in cap. *Sacerdos* de Pœnit. in 6. ubi sic legitur: *Sacerdos ante omnia caveat ne de his, qui ei confitentur peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiose peregrinando pergat*, & in can. 21. Concilii IV. Lateranensis, in quo tertius Innocentius sic loquitur. *Caveat autem omninò (Sacerdos Confessarius) ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indigueris, illud absque ulla expressione personæ caute requirat; quoniam qui peccatum in Pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam Pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*. Neque alium fuisse Ecclesiæ usum ab antiquissimis usque temporibus celandæ Confessionis auricularis, & delicti patefacti in ea, & reliqua omnia, quæ declarata sunt Sacerdoti per ordinem ad Confessionem Sacramentalem, videlicet socios criminum, tentationes, rusticos mores &c. patet ex Tertulliano, qui confiteri præ verecundia detrectantibus, in lib. de Pœnitentia cap. 10. ait: *Quid tuos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis*? ac si dicere voluisset: tuum occultum crimen vulgo non prodas, non detegas, nec Ministri, fratresque tui illud revelabunt. Et revera Sanctissimos Ecclesiarum Pastores semper plurimum incumbuisse in præficiendis huic operi, tum sanctioribus, tum secretioribus Ministris, narravit Sozomenus lib. 7. Histor. c. 16. scribens *Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maxime spectabilem, Secretorum etiam maxime tenacem, ac sapientem huic officio præfecerant, ad eum accedentes, qui peccarant acta vitæ suæ confitebantur*; & hanc fuisse Apostolicam regulam S. Leo ad Episcopos Campaniæ tradidit in cap. 3. suæ 80. Epistolæ. Unde quia in Confessione dicta patefacta tegenda sunt, ideo dicuntur sub sigillo tradita, & secretum ipsum Sigillum appellatur. *Videat Sacerdos* ita D. Bernardus ait in Sermone 3. de S. Andrea, *ne de his unquam, quæ sub signaculo Confessionis accepit aliquam faciat mentionem*. Est autem hæc obligatio in Confessario perpetua, etiam post mortem ipsius Pœnitentis, & arctiori vinculo Confessarium obstringit, quam votum, aut juramentum, & nulla est in Ecclesia potestas in hoc dispensandi, etiam si ab hac revelatione tota penderet, vel Ecclesiæ salus, aut suspensio Matrimonii contrahendi cum impedimento dirimente, vel salus fœtus defunctæ matris emortuæ, aut vita ejusdem Confessarii, qui ex Confessione didicit sibi parari insidias, aut venenum in vino Sacrificii fuisse immissum, ne reus præconcepti criminis inde colligat Pœnitentem nefandum consilium detexisse. Theologorum; & Canonistarum in omnibus his testimonia conveniunt, & alii addunt Sacerdotem non solum peccatum commissum, & confessum revelare non posse, sed neque committendum, sine licentia ipsius Pœnitentis expresse, & liberrime consentientis, aut nisi hic dolose ad Confessionem accedat, non animo recipiendi Sacramentum. Quare ne infametur occultus Peccator, illi dandam esse Communionem ab illo, qui secreto novit illum peccatorem, scripsit Ivo Carnotensis in sua Epistola 156. nec subditum a suo Prælato ab Officio posse am-

ammoveri, aut suffragium illi negari in electione ad dignitatem, vel Officium, neque eumdem teneri occasione petita ab illis litteris, quæ *monitoriæ* appellantur ea declarare, quæ in Confessione solum novit. Indeterminate tantum posse illum redarguere, & posse excommunicationem infligere adversus eum, qui simile peccatum perpetravit, Alexander III. Norvicensi Episcopo rescripsit, ut legitur in capite *Si Sacerdos* de Officio Judicis Ordinar. Nec urgent ea, quæ decernuntur in L. *de qua re* 74. D. de *Judiciis*; scilicet Judicem de re, de qua cognoscit posse judicare, nam in hac lege non agitur de cognitione, quæ habetur a Judice in foro Sacramentali, tantum, sed præcedente accusatione, aut denunciatione; nimirum Judicem posse de qua re cognovit in foro exteriori, in eodem foro judicare, & in hoc judicio nulla est revelatio Confessionis. Nec contrarium probari potest ex quocunque alio textu, qui in medium afferatur, hoc ipso, quod distinguamus Judicem fori interni a Judice fori exterioris, utriusque Judicii characteres, & utriusque fori sententias, & attente notemus nihil eorum nos exterius cognoscere, quæ non humanam, sed Divinam gerentes personam sub Pœnitentiæ clavibus referavimus. Unde D. Thomas in quæst. 11. supplementi 3. par. a. 1. ad 2. *Si præcipiatur*, inquit, *sub pœna excommunicationis jam latæ, quod quis dicat si aliquid scit de peccato, non debet dicere, quia debet existimare, quod intentio præcipientis est si sciat, ut homo: hoc autem non scit, ut homo. Et si etiam exprimeret de Confessione interrogatus, non deberet dicere. Nec excommuniationem incurreret, quia non est subjectus Superiori suo nisi ut homo. Hoc autem scit non ut homo, sed ut Deus.* Et in responsione ad 3. *homo*, inquit, *non adducitur in testimonium nisi ut homo, & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus*; Et ne aliquis arbitretur saltem licitum esse Prælato Confessionem subditi revelare ad evitandam illius Spiritualem ruinam certo futuram, puta si Prioratum illi dimittat subdit: *Similiter etiam potest Prælatus sine læsione Conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio. Quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum deferunt: Unde in his, quæ ad ipsum deferuntur in foro Pœnitentiæ, debet in eodem foro quantum potest adhibere remedium, ut Abbas in casu prædicto debet eum admonere, ut Prioratum resignet, vel si noluerit, potest ex aliqua alia occassione absolvere eum a cura Prioratus: ita tamen, quod omnis suspicio vitetur de Confessionis revelatione*. Improbabile etiam non est illos textus, ex quibus eruitur quod Prælatus usus sit cognitione, quam habuit in foro Pœnitentiæ, ut in Clericos delinquentes animadverteret revera non agere de Confessione Sacramentali, sed de Confessione secreta, & occulta facta Prælato, de Confessione Secreta, & extrajudiciali, ex qua non provenit strictissima Secreti obligatio, quare mirum esse non debet, si illorum Prælatus hujusmodi confessos Clericos, vel suspenderit, ut dicitur in cap. 1. de Clerico per saltum promoto, vel ab Ordinationibus suscipiendis repulerit in cap. *ad aures* de tempor. Ordin. Neque demum antiquus ritus Publicæ Pœnitentiæ contrarium probat: 1. quia graviora tantum scelera reserabantur, quæ vel erant publica, vel testibus probata. 2. quia Pœnas, quibus lapsi damnabantur, innoxios etiam, piosque viros devotionis caussa luebant, & tertio, quia eadem, aut non multum dissimili Pœna multa crimina plectebantur.

XLI. Necesse est etiam Confessarium esse peritum, ne sua inscitia, ne-

 gli-

gligentia, naturali compassione, timore mundano, & laxioribus opinionibus parum idoneus ad curandos animi morbos cognoscatur, foetentes solvendo, indignis veniam promittendo, sine discretionis examine nullos ligando, una tantum clave, neque integra quidem utendo. *Exigit medicinæ ratio*, inquit S. Ambrosius Sermone 4. in Psalmum 118. *ut aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinæ manus adhibentur ad vulnera, ideoque bonus medicus hujusmodi ægrum legitime dicit esse curandum, ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, juxta illud, & de lege tua miserere mei, qui cum justitia, sapientiaque miseretur, ut ea dimittat, quæ scit jure posse dimitti, ne cum alterius miseretur se ipsum legi faciat obnoxium. Consideret etiam ne ipsum faciat deteriorem, cujus miseretur injuste, plerumque enim non coercere delinquentes majoris austeritatis est, quam si ulciscatur.* Primo itaque sciat Absolutionem Sacramentalem nusquam fuisse datam absentibus, nam monumenta, quæ in contrarium proferuntur ex litteris Concilii Duziacensis A. 812. sub Joanne VIII. ad Episcopum Cænomanensium, ex Epistola Gregorii VII. ad Episcopum Lincolniensem in Anglia, ex litteris Alexandri III. ad S. Thomam Cantuariensem solum probant absolutionem a Pœnis Canonicis impertitam fuisse ex Apostolica indulgentia illis Episcopis, quas accepta Sacramentali absolutione post factam Sacerdoti præsenti Confessionem subire debuissent, & ratio est, quia iis, qui absentes per litteras confitebantur injungebatur, ut coram Sacerdote confiterentur: *Si igitur*, ita rescripsit Alexander III. laudato Episcopo Cantuarensi, *aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat Conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus, & providus habeatur, tibi consulimus per Pœnitentiam confiteri, quo facto misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit, quam ad actus, tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet*; & Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus Hildelboldo Episcopo Suessionensi ægroto, & absenti: *Bonam devotionem tuam*, inquit, *commoneo, ut præter istam generalem confessionem, quæ ab ineunte ætate usque ad horam, in qua nunc degis te commisisse cognoscis specialiter ac singulatim Deo, & Sacerdoti satagas confiteri*, quod certe supervacaneum fuisset, si per litteras ab his Episcopis accepta absolutio fuisset Sacramentalis. Sed neque poterat esse Sacramentalis, nam caruit verbis exterius prolatis, quæ essentialia sunt Sacramentis novæ legis, ut Eugenius IV. scripsit in suo Decreto Unionis, & Tridentinum in c. 3. Sess. XIV. Accedit quod hujusmodi absolutio dari etiam consuevit iis, qui neque per litteras fuissent confessi, ut patet ex formula absolutionis expressa in litteris ejusdem Gregorii VII. ad Alphonsum Hispaniarum Regem, ut illum, & Regni Proceres absolveret, quorum tamen Confessio, & nulla Peccatorum Contritio innotescebat, & quod magis est, sciunt omnes Clementem VIII. A. 1602. die 20. Junii declarasse irritam esse absolutionem absenti collatam, & non solum illicitam (quod olim visum est Ysamberto, qui postea sententiam mutavit); & Paulum V. A. 1605. die 14. Julii decrevisse non licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere.

Secundo sciat Minister Sacramenti Pœnitentiæ non esse absolvendum illum, qui remedia renuit, quæ a Confessario præscribuntur, ut se a peccatis temperet. Cum certum sit illum respuere finem, qui illum deserit, aut id non vult, quod ad illum conducit, scilicet illum velle in peccato manere, qui dum

dum exterius illud detestatur, in corde diligit, nam medicinam respuit salutarem. Cumque Contritio non ita facile excitetur in corde hominis, quem ligat inveterata peccandi consuetudo, ideo, quod SS. Patribus visum est opportunum, non raro ipse experiatur, lapsis absolutionem non impendere, nisi prius Pœnitentiæ stadium decurrerint, & præviis laboribus Contritionis donum a Deo obtinuerint. *Quisquis digne vult pœnitere*, scripsit Gregorius VII. lib. 7. Epist. 10. *necesse est, ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptismo promisit Diabolo scilicet, pompisque ejus abrenunciare, & in Deum credere, videlicet recte de Deo sentiendo, mandatis ipsius obedire, solicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit (quoniam aliter simulatio dici potest, non Pœnitentia) illi peccatorum suorum remissionem, Apostolica freti potestate largimur*. Nec Confessarium moveant Testimonia, aut Exempla Scripturarum, quæ ab aliquibus proferuntur, ut implicatos peccandi consuetudine probent esse absolvendos, cum hoc nos doceant Scripturæ, nonnisi conversis Deum peccata donare; quod si Christus Dominus aliquibus statim donavit, etiam omnipotentissima sua virtute perfectæ Contritionis donum illis largitus est, quod nec Sacerdotes dare possunt, nec a Deo repente datum cognoscere. Hinc Innocentius XI. non solum asseruit, & negandam, & differendam esse absolutionem Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, & Ecclesiæ, dum nulla apparet emendationis spes, etiam si proferat se dolere, & proponere emendationem, sed jussit præterea, ut de emendationis proposito Confessarii judicarent, non ex verbis, sed ex factis Pœnitentium antequam eis absolutionem impenderent. Extendendam esse hanc praxim etiam in Clericos, & in ipsos Sacerdotes intelligi potest ex eo, quod nulla proferri potest canonica regula, & nulla Ecclesiastica constitutio, quæ oppositum doceat. Ad nonum usque Ecclesiæ Sæculum contra Diaconos, & Sacerdotes, qui gravioribus flagitiis se inquinassent sic actum est, ut suspenderentur ab ordine, ne amplius in Sacro Ministerio manerent, & in Laicorum locum detruderentur, deinde vero, si veraciter pœnituissent, & se per Jejunia, & Eleemosinas, Vigilias, atque Sacras Orationes, cum lachrymis purgare certassent, gradu servato, Spes veniæ de misericordia Dei promittebatur. Hanc Ecclesiæ veteris disciplinam legimus in canone 30. & 62. qui Apostolis attribuitur, ejusdemque solidissimum Testimonium suppeditant Cyprianus ad Antonianum, Petrus martyr Patriarcha Antiochenus in cap. 10. Epistolæ Canonicæ, item Basilius in can. 3. 1. Epistolæ ad Amphilochium, Concilium Aurelianensfue A. 533. Joannes Papa in Epist. 1. ad Cæsarium Arelatensem, & Magnus Gregorius lib. 3. Epistola 26. & libro 4. Epistola 16. quibus accedit Hincmarus Rhemensis in fine 2. Capituli ad Decanos suæ Diœcesis, & Rabanus Maurus in Pœnitentiali.

Sciat præterea Occasionum discrimina cognoscere, in quibus Pœnitentes versantur, ne injuriam irroget Sacramento Occasionarios absolvendo, & absolutionem negando, indiscrete nimium cum ipsis agat. Primum contingeret, si eos absolveret, qui nollent occasionem deserere, quæ per se est caussa peccati mortalis, aut in ea actu versarentur quantumcumque se ab ea discessuros pollicerentur. Sequeretur alterum, si occasiones per accidens, ut ajunt, & remote, in peccatum influerent, in quo casu opus est illum plura ad trutinam revocare antequam judicet de absolutione, vel neganda,

 vel

vel procrastinanda, vel impertienda, ut notum est Theologis illis, qui vulgo Casistæ nuncupantur. Pleraque igitur Sacramenti Pœnitentiæ Ministrum non ignorare necesse est, ut in suo foro, ex ore ejus rectum judicium prodeat, suumque fugiat, quod maximum est, & Pœnitentium periculum, & caveat omninò ne in partem dexteram declinet, & inconsiderato zelo austeriorem, quam par sit Pœnitentibus se exhibeat, ne deflectat ad sinistram, & scientia destitutus ad libitum Pœnitentium judicet.

Casuum quoque Peritia, tum Summo Pontifici, tum suo Superiori reservarorum, Confessario necessaria est, ut cognoscat propriæ Jurisdictionis limites; præterea scientia Canonum Pœnitentialium, ut de criminum imanitate judicet, & intelligat pro circumstantiis occurrentibus Satisfactionis pro peccatis ipsi Confessis imponendæ mensuram, ne etiam in hac re gravissima inordinato commiserationis affectu ducatur, sed sit *Evangelicus ille Samaritanus custodiens* (ut S. Bernardus, ait in Sermone 2. de Resurrec.) *& observans, quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Debent Sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & convenientes Satisfactiones injungere*: quod dum dicunt Tridenti Patres in c. 8. Sess. XIV. mirum est, quod interpretentur aliqui Consilium non Præceptum stricte sumptum Confessoribus imponi adequatæ satisfactionis, quæ sit medicinalis, non autem in præteriti peccati vindictam injungatur. Primum cognoscitur, si conferantur hæc citata verba Concilii cum prioribus, quibus illa subjiciuntur. In his ergo legitur: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono scienter templum Dei violare Spiritum S. contristare non formidaverint*. nullius momenti esset illa comparatio, si Concilii sententia nihil aliud præter Consilium contineret, si aliunde constet accedentibus ad Baptismum adultis salutares semper consuevisse Ecclesiam Pœnitentias imponere. Ulterius id confirmatur ex subsequentibus Concilii verbis, in quibus si Confessarii, qui levissima opera pro gravissimis delictis injungunt, dicuntur *alienorum peccatorum participes effici*, quid esset illorum, si nulla imponerent? Igitur clarissime evincitur ex contextu verborum Concilii, quod verbum illud *debent* Præceptum imponit. Nec novum in jure est, quod hoc modo explicetur, ut notatur in L. *Sæpe* D. *de Offic. Præsid.* & dicit Glossa in Clementina *Attendentes* in verbo *Debeant* de Statu Monach. Eo vel maxime quia mens Concilii est veram Judicii formam in suo Decreto præscribere; unde si præcipit cum dicit omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, ut Sacerdotes æquitatem in pœnis injungendis servare possint; ita etiam necessitatem imponit cum eosdem Sacerdotes dicit debere salutares, & convenientes satisfactiones imponere, ut a peccatis revocent, & quasi frœno quodam cerceant, cautioresque, & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiant, ut peccatorum reliquiis medeantur, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollant, ut demum dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit conformes efficiamur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur; quæ omnia es-

se

se legitimæ satisfactionis optimos fructus iisdem Tridentini Patres agnoverunt, sed iis destituuntur quicumque, vel satisfacere omninò negligunt, vel levissima quædam opera subeunt eisdem pro gravissimis delictis injuncta, & præter hoc a Divino ordine avvertuntur, qui ordo satisfactionem imponit, ut non sit tantum *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*, ut expresse Concilium ait, nam Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.

XLII. Ex his tamen non sequitur, aut infinitas, aut saltem Canonicas injungendas esse satisfactiones, quia peccati gravitas infinita est, vel quia Cœlestinus Papa I. in sua 3. Epistola c. 1. scribit. *Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis possit obviare*. Utrumque enim a mente Concilii alienum esset, ut patet ex Superioribus verbis. Hinc D. Thomas ut legitur in a. 4. q. 18. Supplementi sic ait: *Pœnæ satisfactoriæ infligendæ medicinæ sunt; sicut autem medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium Medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ; ita pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum; sicut ergo Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ magis periculum oriatur; ita Sacerdos Divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur injunget, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a Pœnitentia totaliter recedat*. In imponendis itaque Pœnitentiis prudens Minister quærat ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, & inter hæc discretionis Spiritum non ammittat, medicinales aliquando Pœnitentias præscribens, vindicativas aliquando, & pœnales satisfactiones, vel utrasque temperans, cum vindicativæ sint necessariæ necessitate præcepti tantum, quod relaxari potest, medicinales vero necessariæ etiam sint necessitate medii ad finem consequendum: propterea opportunum est Confessarium scire, quod virtute Jubilæi de pœnis injunctis, & injungendis potest remittere, non vero de satisfactionibus medicinalibus, & licet condigna satisfactio sit juris Divini, potest tamen relaxari per Ecclesiæ potestatem, quam accepit a Christo interpretandi legem Divinam, commutandi vota, & Pœnitentiam; quare ita scribit laudatus S. Doctor in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. ad 3. *Sacerdos minorem condigno Pœnitentiam injungens non semper peccat... quia quandoque etiam ex industria minorem Pœnitentiam imponens plus prodest Pœnitenti, quam noceat, qui forte magnitudine pœnæ posset a Pœnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ, & ideo negligit minus damnum, ut majus evitet, & iterum paulatim confortatus, in eo Divinus amor ad plura Pœnitentiæ opera peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam Sacerdos eidem secundum quantitatem peccatorum injungere potuisset*.

Hoc quoque in modo imponendi Pœnitentias animadvertere Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ necesse est ne propter occulta peccata publicas Pœnitentias imponat, quæ ita fiunt coram aliis, ut ex illis colligi possit Confessorem propter grave crimen illas imposuisse, secus vero si peccatum fuerit publicum. Primum Doctores repetunt ex cap. *Sacerdos* de Pœnitentia

tia dist. 6. Alterum clarum est ex verbis Concilii Tridentini loco supra citato. Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos; quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publice injungere oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio, ad rectam revocet vitam, Episcopus tamen hoc publicæ Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Potest itaque Confessarius imponere Orationes, Eleemosinas, Jejunia, Peregrinationes ad loca Sancta, & alia hujusmodi externa opera Supererogationis, imò ex alias præceptis, cum non repugnet, quod in idem opus duplex cadat obligatio, si id præsertim ad Pœnitentis fragilitatem expediat, dummodo tamen præcepti executio ipsam non præcesserit Confessionem, potest onera Missarum injungere, iis tamen, qui fuerint Sacerdotes ex decreto Londinensis Concilii A. 1200. non vero aliis, obtentu cupiditatis, ex can. 3. Eboracensis Concilii A. 1195. Quod si Confessor permiserit, quod Pœnitens per alium satisfaciat, sic ipsum posse satisfacere de Ecclesiæ largitate illi conceditur. *Pæna satisfactoria*, inquit D. Thomas in supplemento q. 13. a. 2. *est ad duo ordinata, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. In quantum ergo est medicina sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri. Quia ex jejuniis unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alter bene agere consuevit nisi secundum accidens, inquantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficatissimum remedium est ad vitandum peccatum, sed hoc est per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad solutionem debiti unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint. Nec oportet, quod major pœna imponatur ei, qui pro altero satisfacit, quam principali imponeretur, ut quidam dicunt hac ratione moti, quod pœna propria magis satisfaciat, quam aliena. Quia pœna maxime habet vim satisfaciendi ratione charitatis, qua homo ipsam sustinet: & quia major charitas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit, quam si ipse satisfaceret, ideo minor pæna requiritur in eo, qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur*... Nec etiam exigitur quantum ad solutionem debiti, quod illi pro quo fit satisfactio sit impotens ad satisfaciendum, quia etiam si esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset, sed hoc requiritur in quantum pœna satisfactoria, est in remedium. Verum tamen est non esse ita facile permittendum, ut unus satisfaciat pro alio nisi prius constet legitima caussa, aut corporalis, aut spiritualis per quam pœnitens sit impotens ad sustinendum, vel non sit promptus ad portandam pœnam. Neque imperandum est, aut exigendum, quod Pœnitens satisfaciat antequam absolutionis beneficium illi impendatur, cum Alexander VIII. hunc abusum damnaverit has Propositiones proscribendo 1. *Per praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus* 2. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio natura rei id ipsum quodammodo dictante* 3. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

XLIII. Con-

XLIII. Contingere etiam poteſt, quod aliquis ex Pœnitentibus petat a Miniſtro mutationem ſatisfactionis, quare plurimum expedit illum ſcire quomodo in hoc caſu ſe gerere debeat. Dicimus ergo Confeſſione eorumdem peccatorum audita poſſe Confeſſarium impoſitam ab alio Pœnitentiam relaxare, & in novam commutare, ſi Pœnitens accedat multo melius diſpoſitus, magiſque contritus, & aliis viis jam ſatisfecerit, & ratio eſt. Non repugnat Pœnitentem eadem peccata iterum confiteri, igitur neque repugnat Sacerdotem novam proferre ſententiam, & novam pœnam imponere. Poteſtas clavium non eſt propter Confeſſores, ſed propter Pœnitentes, ſi id ergo expediat ad bonum Pœnitentis, non eſt huic poteſtati contrarium, ſed maxime conſentaneum, ut unus immutet Pœnitentiam, quam alter impoſuit ſervata tamen æqualitate hujus judicii. Aliter dicendum eſſet ſi Pœnitentia fuiſſet injuncta pro peccatis Reſervatis, & Confeſſarius requiſitus de hac mutatione ſuper his juriſdictione careret, cum certum ſit illum tantum poſſe Sacramentalem Pœnitentiam imponere, qui poteſt abſolvere Sacramentaliter, quod in caſu non contingit, quia ſunt peccata reſervata. Et certe ut Epiſcopus Pœnitentias immutet latas a ſummo Pontifice indiget hac facultate, quæ tamen ex diverſis juribus illi advenit, ſcilicet ex cap. *Accedens* diſt. 50. c. *Latorem præſentium* 33. q. 3. & cap. *tempora pænitudinis* 26. q. 7. Colligitur itaque hanc mutationem non poſſe facere inferiorem Miniſtrum, niſi quatenus a Superiore illi intelligatur eſſe conceſſum; niſi tamen, vel neceſſitas, vel utilitas id poſtularet, in quibus caſibus Superioris intentio præſumitur, quia recurſus ad ipſum difficilis judicatur. Obſervetur tamen hanc mutationem Pœnitentiæ locum habere, niſi ſit ſalutaris, quia hujuſmodi Pœnitentia mutationi non ſubjicitur ſi, ut ajunt *clave non errante*, fuerit impoſita, hoc enim innuunt verba Chriſti Domini Matth. 18. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata, & in Cœlo*. Cum diximus *audita Confeſſione eorumdem peccatorum*, non intelleximus neceſſe eſſe, quod integre iteretur Confeſſio omnium peccatorum quoad ſpecies, & numerum, ſed oportere declarari graviora, & illa quibus annexa eſt peccandi conſuetudo, aut proxima occaſio, quæ Pœnitentiæ locum præbuit acriori. Scrupulum movet tritum axioma *par in parem non habet poteſtatem*, quaſi ex illo inferri poſſit, quod cum ſint Sacerdotes omnes æquales a judicio unius ad judicium alterius provocare non liceat, eo magis quod ſcriptum ſit, *quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata, & in Cœlis*. Verum axioma nihil urget, quia hic agitur de novo judicio ex electione partium, quæ judicii ſpecies inuſitata non eſt, nec repugnat naturæ rei, de qua agitur propter momenta expoſita; nec auget difficultatem allata auctoritas, quæ interpretationem non reſpuit, quod patet in materia de voto, quod votum, quamquam liget in terris, & in Cœlo, cauſſa exigente, per interpretationem diſpenſatur, aut commutatur per Summum Pontificem in aliam materiam (ſi ſit votum Caſtitatis) & deinde Epiſcopus eamdem materiam, ſi difficilior evaſerit in aliam commutat; & in his caſibus Eccleſia utitur illa poteſtate, quam Chriſtus in ipſa conſtituit relaxandi leges in utroque foro exteriori, & interiori, quando ex occurrentibus circumſtantiis res periculoſior evaſit. Et hæc ſatis in præſentiarum ſint dicta de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, ut rectà ad ea pergamus, quæ requiruntur ex parte Pœnitentis, tamquam partes materiales Sacramenti, & hujuſmodi ſunt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

CAPUT

CAPUT IV.

DE CONTRITIONE.

§. I. *Contritio, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

I. TRidentini Patres in cap. 4. Sess. XIV. ita Contritionem definiverunt. Eruitur ergo Contritionem bonum opus esse, hominem omni bono ornare, justitia, & sanctitate replere, peccatis, & maledictionibus spoliare, & ad meliorem, sanctioremque vitam revocare; & e contra Lutherum, ejusque Discipulos erroneam Contritionis exhibere indolem, & id quod eidem est contumeliosum asserere, dum illam actionem *coactam, & extortam* vocant, dum *esse afflictionem, ac passionem* dicunt, quam conscientia licet nolens pati cogitur: esse *terrorem ex minis legis conceptum: ad Evangelium minime pertinere*: & *hominem bonis operibus spoliare*. Si velit Lutherus ista significari per ipsum nomen Contritionis, hic certe sensu metaphoræ abutitur, a quo hæc vox *contritio* apud Ecclesiasticos Scriptores derivavit, ut exprimeretur effectus omninò illi contrarius, qui sequitur, cum Divinæ gratiæ motibus peccator resistit, & illius cor obduratur; quando videlicet e converso conteritur cum dolens eosdem motus admittit, scinditur, & compungitur, ut ex ulcere virus exeat, hoc est ut foras pellatur peccatum. Si vero velit Scripturam illi patrocinari, quia Jerem. 23. legitur: *Quid paleis ad triticum dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* D. Hieronymus in Commentariis in hunc locum illum monebit ibi Dominum comparare verba sua cum verbis falsorum Prophetarum, qui dum prædicant falsa, *consuunt pulvillos sub omni cubito manus, faciunt cervicalia ad capiendas animas, paleas porigunt, quæ neque alunt, neque satiant, quia medullam non habent*; ipse vero dum in Prophetis suis flagella, & supplicia imminentia vaticinatur, ad Pœnitentiam audientes inducit; & propterea sua verba *malleum, triticum, ignem* appellat, quæ res corda humiliant, & conterunt, quia frumenti adipe satiant, & dum acriter pungunt, efficaciam propheticæ prædicationis eliciunt, atque a somniis, & falsis Pseudo-prophetarum pollicitationibus retrahunt animum hominis, qui Deum non despicere didicit *cor contritum, & humiliatum, & prope esse iis, qui tribulato sunt corde*, & projicere *in profundum maris omnia peccata nostra*, ut Micheæ 7. legimus. Non videtur igitur ratio cur Contritio coacta, & extorta passio haberi debeat. Non propter supplicia, quæ Deus comminatur peccatoribus, cum illa absentia sint, invisibilia, & futura, quæ meditari non certe cogimur, sed id a nostro dependet arbitrio, & propter hoc instat sæpe, & nos urget Scriptura, ut Deum timeamus, ut mandata ejus observemus, ut in tota anima nostra illum timeamus, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in Geennam. Non propter ea quæ nos patimur cum toto corde dolemus, quia nihil huic nostræ passioni præmii promitteretur, si voluntaria, ac libera res non esset, cum tamen multum habeat tum misericordiæ, tum gratiæ, ut eædem Scripturæ testantur. Neque ratio suppetit cur Contritio vocari debeat terror ex minis Legis conceptus, cum Contritio charitatem Dei in-

includat, a qua sola excitatur; unde tantum abest, quod homo contritus metu imminentium pœnarum terreatur, quin potius se tamquam villicum utilem gloriam a Domino esse consequuturum sperabit, quia nihil ultra a lege illi promittitur, quod melius sit. Sic Ezechiel. 18. *si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor:* Rursus *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruvinam iniquitas.* Quidquid igitur in Contritione Terroris, & metus esse potest, qui sit incussus a Lege, oritur a cognitione malitiæ, & turpitudinis peccatorum, & ex incertitudine legitimæ Pœnitentiæ. Omni quoque fundamento caret id, quod tertio loco additur a Lutheranis *Contritionem ad Evangelium non pertinere*, nisi quantum ad secundam partem conversionis (Lutherani duas in Conversione, seu Pœnitentia partes distinguunt, Contritionem, & Fidem) nempe ad fidem, qua quis certo credit sibi per Christum peccata esse remissa. Adversatur enim hæc distinctio auctoritati, & rationi. Auctoritates nonnullas supra retulimus in Capite 11. easdem iterum notamus, & inter ceteras animadvertimus Christum Dominum Lucæ ultimo præcepisse Evangelii prædicationem in nomine suo: *Oportet*, inquit, *prædicari Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*, & rursus Matth. 4. *Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum Cælorum*, & denuo Marci 6. Petrus etiam in cap. 5. Act. Pœnitentiæ utilitatem, & effectum commendavit. Idem effectus confirmatur in cap. 11. Alia occurrunt testimonia in cap. 17. 20. & 26. quæ cohærent cum Ezechielis Vaticinio cap. 11. & 36. in quibus legitur Divina promissio filiis Novi Testamenti Spiritus, qui novus sit, & Cordis carnei pro Corde lapideo. Hoc Cor carneum interpretatur Hieronymus *Cor contritum*. Plena ergo est Scriptura Sacra testimoniis, quæ probant contra Lutheranos Contritionem pertinere ad Evangelium. Ratio etiam in promptu est. *Ex Lege non est justitia. Lex vitam non affert, alioquin Christus gratis mortuus esset*, ut inquit Apostolus ad Galatas 2. *& nos idonei essemus Ministri Novi Testamenti non Spiritu, sed littera*, cujus rei contrarium docet idem Apostolus 2. ad Cor. 3. inquiens, *non littera, sed Spiritu, littera enim occidit, Spiritus vivificat*. Quomodo ergo ad Legem pertinere poterit Contritio, quæ gratiæ caussa est, & remissionis peccatorum? *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit*. Sic Exech. 18. & Jonæ 3. dicitur. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit*. Et confirmatur ex alio effectu Legis qui est homines terrere, e contrario verus effectus Evangelii est consolari, obedientes tamen, & fideles, quia quandoque etiam Evangelium terret, inobedientes scilicet, & infideles, sed ad Pœnitentiam, quare si Contritio appellanda esset terror a Lege incussus, eodem jure pertinere deberet ad Evangelium, quo jure secundum Lutheranos dicitur ad Legem spectare, cum certe terrorem incutiant ea, quæ in Epistola ad Romanos leguntur. *Revelatur ira Dei de Cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent*, & ea, quæ Joannes de Christo ait, *ventilabrum esse in manu ejus, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, tum demum ea, quæ variis in locis Matthæus, Marcus, & Lucas repetunt, cum de Damnatorum pœnis loquuntur cumulatissime.

Neque minus a veritate abest id, quod ultimo loco Lutherani pronunciant: Proprietates Contritionis esse hominem, vel pertinacem, vel hypocritam exuere, & expoliare omnibus suis bonis operibus, eumque replere innumerabilibus peccatis, hoc est cognitione peccatorum concutere, cum timore, tremore, horrore. Profecto nihil unquam absurdius audiri potuit, quam Contritionem exuere, & spoliate hominem bonis operibus, cum potius cor hominis conteratur, quia in se nihil boni inveuit, & mali multum esse cognoscit, qui enim se peccatis plenum esse videt, conteritur, dolet, & dicit cum Propheta. *Ecce laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Defecerunt oculi mei*. Tantum verum abest Contritionem esse fugam a Deo, esse fremitum contra Deum, esse viam ad desperationem, quin potius per cordis compunctionem Spiritus in Deum suum sperat, clamat ad Deum altissimum, Deum qui benefecit illi, qui illum de morte eripuit, & pedes ejus de lapsu. Quare ipse Kemnitius non potuit non cognoscere, & fateri Contritionem esse opus Spiritus S. qui illud in nobis excitat, inchoat, operatur, & perficit, & ipsi Electorales Theologi ad quartum Scriptum Saxonicorum, & Calvinus cum ipsis in lib 3. Instit. cap. 3. §. 20. scribere non dubitarunt *Contritionem esse bonum opus Dei. Si ergo opus est Dei, profecto malum opus non erit, sed bonum, quod sanitatem animæ, illuminationem mentis, remissionem delictorum nobis comparabit; & Jesum unigenitum*, ut S. Ephrem ait in cap. 5. libri de Judicio, *faciet in nobis habitare*: & certe opus bonum esse illud etiam convincit, quod nascitur ex inchoato amore justitiæ, & occupatur in vitæ veteris detestatione, & in proposito novæ, quæ singula notarunt Patres Tridentini in can. 5. quo Hæreticorum sententiam condemnarunt. *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam. sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorum: Demum illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium. Anathema sit*. Ex his Concilii verbis tria cognoscuntur 1. Verus Contritionis Character. 2. Hujus Characteris proprietates 3. quinam sint præcipui ejusdem effectus. Sit igitur.

§. II. *Datur vera natura, & verus Contritionis character Vitæ veteris odium, & nova Vitæ propositum*.

II. Ex mente Concilii duo in Contritione observantur, Vitæ veteris odium, & novæ Vitæ propositum. Utrumque declaravit expressius in citato c. 4. his verbis: *Declarat igitur S. Synodus hanc Contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & incboationem, ed veteris etiam odium continere*. Non displicuit omnibus Heterodoxis hæc Conciliaris Decisio, cum Kemnitius in 2. parte Examinis, & Calvinus in §. 2. cap. 4. lib. 3. Institut. sedulo, & acriter instaudum esse fateantur, ut quisque amarè deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam, & odium magis acuat. Lutherus unicus est, qui in Sermone de Pœnitentia damnavit peccati detestationem, jussitque *plus discutiendum esse illi, qui confitetur quantum diligat justitiam, quam quantum odiat peccatum, multoque majore, imò solo hoc la-*

ba-

bore illi cogitandum esse, quomodo futuram vitam agat bonam, quam quomodo odiat, aut deserat praterita mala, & verissimum esse proverbium ait, & omni doctrina de Contrinibus huc usque data præstantius: *Optima Pœnitentia nova vita*. Nullo vero testimonio Scripturarum hic ratiocinaudi modus innititur, quæ dum scelerum gravitatem annunciant, ad illa detestanda nos excitant: hinc est, quod per Prophetas primum, novissime per filium suum, demum per Apostolos jussit Deus, ut Contritio peccati odium includeret; unde facile ille intelliget, qui Sanctorum clamores consideraverit, eosdem ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Hinc Gregorius homil. 34. in Evangel. *Pœnitentia*, inquit, *est perpetrata mala plangere*, & Hieronymus in Commentar. ad cap. 31. Jerem. explicans illud: *Postquam cognovi percussi femur meum*. *Dolentis*, dixerat, & *plangentis*, & *super errore pristino plorantis indicium est*, *ut femur manu percutiat*, & Chrysost. in lib. 1. de compunctione cordis. *Quid corporis*, ajebat, *viribus opus est cum cor conterere debeamus? hoc solum est, quod a nobis exposcitur, ut semper recordemur mala nostra, & ad animum revocemus, & conscientiam gestorum nostrorum babeamus ante oculos, ut per hac supplicemus Domino, & geennam ponamus in conspectibus*, nam ut bene Augustinus advertit homilia 27. in libro 50. homiliarum. *Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet*, & hic est verus sensus illius Proverbij, quo Lutherus abutitur. *Optima Pœnitentia vita nova*, Vitæ scilicet novitatem esse certissimum optimæ Pœnitentiæ argumentum, nam hunc eumdem sensum auctor Commentariorum in c. 2. posterioris ad Cor. alter fortasse ab Ambrosio, tenuit. *Hæc*, inquiens, *vera Pœnitentia est jam cessare a peccato: Sic enim probat dolere se sibi, si de cetero desinat, e contra vero, qui sic alia peccata deplorat, ut tamen alia committat, Pœnitentiam agere, aut dissimulat, aut ignorat*. Nova itaque vita necessaria est, ut infra dicemus, sed hæc tota Pœnitentia non est. Pœnitentiam certam facit odium Peccati, & amor Dei, quando quem sic pœnitet, ut sibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod prius illum delectabat in corpore, ipsum nunc cruciat in mente. Jam tunc bene ingemiscat apud Deum, & dicat. *Tibi soli peccavi*.

III. Sequitur ex his hoc odium peccati esse oportere summum extensive, ut adæquet cum mensura amoris Dei, ex quo, veluti ex alia parte constat vera Pœnitentia. Talem dilectionem Deus exigit, ut sit major illa, qua quis, vel Patrem, vel Matrem diligit, vel etiam seipsum. Extendi ergo odium hoc necesse est, non solum super omnia peccata, sed super omnia illa bona, quibus illectus, & abstractus homo peccare posset. Imò quo graviora sunt crimina jam commissa, eo intensius debet esse odium peccati, ut criminum gravitati respondeat. Non requiritur tamen, quod qui sic peccavit ita doleat, ut hoc dolore exanimetur, aut abundantiori tristitia absorbeatur. Satis igitur est, ut ait Cyprianus in lib. de lapsis prope finem, *ut Pœnitentia crimine minor non sit*, & quia hujus vitæ sunt, quædam gravia, & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis Spiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur, hæc ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum, atque per lachrymas clamandum est cum Propheta. *Rugiebam a gemitu cordis mei*, & ut ait S. Cæsarius Arelatensis homil. 1. *quomodo solet Mater orbata super amissionem unici filii sui fracto pectore lamentari*; ita convenit super unicam suam, sed cum spe reparationis affligi.

 IV. Hanc

IV. Hanc, quam probavimus auctoritatibus Scripturarum, & Patrum necessariam detestationem peccati præteriti in Contritione inclusam hoc ratiocinio probat D. Thomas 3. parte q. 86. a. 2. *Cum peccatum sit Dei offensa eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiæ. Hoc interest inter gratiam Dei & gratiam hominis, quod gratia hominis non caussat, sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei caussat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur est caussa omnis boni creati. Unde potest contingere, quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui absque aliqua immutatione voluntatis ejus, non autem contingere potest, quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione prædictæ conversionis, & proposito emendæ*, quod est alterum eorum, quod docet Concilium esse essentiale Contritioni, licet in modo explicandi plurimum inter se Theologi diffideant; cum alii velint hoc propositum sufficere si sit virtuale, ac implicitum, & alii contra illud velint expressum.

V. Utramque sententiam videntur innuere Sacræ Scripturæ auctoritates. Cum dicitur Ezechiel. 1. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*, videtur sufficere implicitum propositum, quod continetur in detestatione peccatorum, idque celebratissima Prophetæ contritione confirmatur, qui tribus Sillabis, quot in hoc verbo *peccavi* numerantur, a Deo justificationem impetravit. Si considerentur verba, quæ leguntur, tum in cap. 5. Amos *odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium, si forte misereatur Dominus Exercituum*, tum in cap. 1. Isaiæ *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse, discite bene facere*; tum ea, quæ habentur apud eumdem Exechielem cap. 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor &c.* certe novæ vitæ propositum explicitum, & formale requiri, ex his auctoritatibus demonstratur.

VI. Nihilominus hæc posterior opinio censenda est verisimilior, eo præsertim, quia expresse continetur in verbis Tridentini Concilii. Cum enim dixissent Tridentini Patres. *Contritionem esse dolorem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*, ne hæc postrema verba supervacanea crederentur, cum detestatio peccati nunquam reperiatur sine proposito illo implicito, paullo post hæc alia verba addiderunt: *Declarat igitur S. Synodus Contritionem non solum cessationem a peccatis, & vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium continere*. Sicut ergo oportet odium esse explicitum, ita explicitum esse debet propositum; & sicuti solum propositum non peccandi sine reali, vera, & formali detestatione peccati non justificat impium, ita sola detestatione peccati commissi absque vero, reali, & formali expresso proposito non peccandi, impossibile erit Peccatorem justificari. Constat igitur ex modo loquendi Concilii veritas nostræ responsionis, quam ipse Apostolus docuit, cum ad Ephes. 4. scripsit: *Deponite vos veterem hominem, qui corrum-*

rumpitur secundum desideria erroris; *renovamini autem spiritu mentis vestræ*, *& induite novum hominem*.

VII. Auctoritati ergo, quæ favet oppositæ sententiæ responderi poterit, non esse hanc integram Prophetæ sententiam; postquam enim dixit Propheta *convertimini, & agite Pœnitentiam &c.* statim addidit: *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum*. Ubi videtur illa sententia explicari, tum de odio vitæ veteris, tum de proposito vitæ novæ. Ad id vero, quod addebatur de Contritione Davidis, quod potuisset etiam addi de Pœnitentia Manassis 2. Paralip. 33. Ninivitarum, Jonæ 3. Filii Prodigi Lucæ 15. & Publicani Lucæ 18. dicimus inferri non posse hos singulos fuisse justificatos sine proposito novæ vitæ, quod abunde patet ex iis, quæ eorum singuli postea egerunt. Neque semper requiritur, quod animus Pœnitentis cognoscatur ex verbis illis, quæ profert. Homines audiunt verba, sed Deus Hominis corda intuetur, & cognoscit cum detestatione peccati conjunctum esse propositum novæ vitæ, vel e contrario, quod clarissime patuit in Apostoli Conversione, qui solum dixit: *Domine quid me vis facere*, & tamen conversus est, & justificatus est, licet se neque peccasse dixisset, neque se sua peccata detestari, sed expressisset solum propositum Deo serviendi. Semper itaque cum vera conversione hæc duo concurrunt, licet quandoque exterius non manifestentur in instanti, quo quis convertitur, ut patuit in Petri, & Magdalenæ repentina conversione, quam solæ lachrymæ demonstrarunt. Innane est aliquorum effugium, qui Contritionem volunt non includere proprie nisi actum, quo nolumus Deum offendisse, vel quia Pœnitentiæ nomen ipsum hoc infert, quæ præteritum respicit non futurum, vel quia vitare in futurum peccata actus sit non Pœnitentiæ, sed Charitatis. Innane est inquam, primo quidem, quia hoc non cohæret, imò omninò adversatur auctoritati, tum Concilii Florentini in instructione Armenorum, tum Tridentini loco supra citato; quibus auctoritatibus vanum est reponere Concilia hæc verba *propositum vitæ novæ* addidisse his verbis, *vitæ veteris odio* non necessitate, sed caussa majoris explicationis, nam reciproca posset esse caussa hujus additamenti, & ita neutrum ex his esset necessarium, quod Joannes Major, Jacobus Almaynus, & Vega in lib. 13. Concilii Tridentini cap. 21. non admittunt. Secundo innane est hoc effugium, quia ut ostendimus supra in Capite 1. Virtus Pœnitentiæ includit propositum emendationis, tum ut virtus Pœnitentiæ distinguatur a tristitia Sæculi, *quæ mortem operatur*, ut Apostolus scripsit in 2. ad Cor. 7. tum a Pœnitentia reproborum, qui Sapientiæ 5. exhibentur *Pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes*, quæ tristitia ad frugem meliorem non convertit; e contra vero Pœnitentia Virtus bonum operatur; de hac enim tristitia sic idem Apostolus loco citato loquitur, *quæ enim secundum Deum tristitia est Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, & infra: *ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur solicitudinem, desiderium, æmulationem, vindictam*. Huc facit, quod Propheta ait in Psalmo 37. *cogitabo pro peccato meo*, sive ut legit Augustinus *curam geram pro paccato meo*. *Quid est curam gerere pro peccato suo? Si diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper intendere, semper studiose, & sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum*

catum tuum sed forte lachrymæ, currunt, manus cessant &c. hoc est curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcunque facienda sunt ad abolendum, & sanandum peccatum meum, adeo igitur hoc emendationis propositum necessarium est in vera Pœnitentia, ut S. Pacianus Epist. 3. neget esse Pœnitentes illos, qui de viis ineundis ad emendandos mores necessariis, nec cogitant, nec deliberant. Tertio idem effugium innane est, nam ut etiam supra diximus in eodem 1. Cap. cum auctoritate D. Thomæ, etiam virtutis Charitatis est detestari mala, & nihilominus Charitas, & Pœnitentia distinguuntur; ita licet propositum cavendi peccata ad Charitatem pertinere possit, respectus tamen est alter a Pœnitentia, in quantum assumitur ab eo, qui peccavit ad compensandam injuriam Deo factam, & amicitiam redintegrandam. *Pœnitentia*, inquit D. Thomas loco citato q. 85. a. 3. *non habet, quod sit virtus specialis, ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato* (ad hoc enim sufficeret Charitas) *sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ, contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio. Compensatur vero injuria, & per detestationem peccati, & per propositum servandi mandata. In fructu*, inquit Auctor Commentar. in 1. lib. Regum, sive sit M. Gregorius, sive quivis alter, *non in foliis, aut ramis Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter se ipsa, sed propter fructum expetenda sunt, quia idcirco omnis Confessio peccatorum expetitur, ut fructus Pœnitentiæ subsequatur, juxta illud ex fructibus eorum cognoscetis eos, qui enim peccare desiit, a bonis operibus non desistit, & dum a malo declinat, illud quod bonum est, facere non omittit.*

§. III. *De Proprietatibus Contritionis differitur.*

VIII. Plures recensentur Proprietates Contritionis, præter illas, de quibus in superiori §. 1. egimus, ut Lutheranorum errores refelleremus, & earum singulæ requiruntur, ut effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequamur. Primo itaque Contritio *Vera* esse debet; & hujusmodi conditione non caruisse Ninivitarum Contritionem eruitur ex remissione Peccatorum, quam obtinuerunt: *Vidit Deus opera eorum* (Jonæ 3.) *quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit*. Si fictitia Contritio sufficeret, ut aliqui ex Theologis videntur credere, profecto Deus per Joelem 20. non diceret *Convertimini ad me ex toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite Corda vestra & non vestimenta vestra*; e contra vero Deus apud Ezech. 18. veræ Pœnitentiæ, & veræ conversioni vitam promittit. *Cum averterit se impius ab, impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam ipse animam suam vivificabit*. Mirum itaque non est, quod Tridentini Patres in loco laudato dixerint, *fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hunc Contritionis motum necessarium, ut impius cum Sacramenti voto gratiam justificationis adipiscatur*, nulli enim Deus veniam pollicitus est nisi vere conversis, vere autem conversi carere non possunt interiore Pœniten-

tentia, & Contritione. Secunda Contritionis proprietas est, quod sit *Supernaturalis*, ut effectui ad quem præparat, aut quem producit proportionetur nullus enim actus ordinis naturalis potest ad gratiam disponere, unde non solum Concilium Tridentinum in cap. 6, Sess. VI. declaravit ipsius justificationis exordium in adultis a Dei, per Christum Jesum, præveniente gratia sumendum esse, sed insuper in can. 3. ejusdem Sessionis voluit Anathema esse, *qui dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, atque pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*. Nec boni quidquam consequeretur ille, qui suam Contritionem invincibiliter crederet esse supernaturalem, si revera naturalis esset, quia quod ex Divina institutione necessarium est ad Sacramentum cum fructu recipiendum, non potest aliter poni, quam a Deo institutum est, ut Sacramentum suscipiens gratiam Sacramenti consequatur. Hujus vero supernaturalis Contritionis indicium esse potest, si eliciens hunc actum non doleat, quia Deus in sui peccati vindictam temporali quadam calamitate illum punit, siquidem ut dicitur in regulis juris in 6. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debet facit, & ideo jam non facit*. Tertia proprietas est, quod Contritio *ad omnia omninò peccata extendatur*, ut etiam diximus supra testimonio petito ex cap. 18. Ezechielis. Et revera quemadmodum unum peccatum mortale non remittitur sine alio, ita neque unum sine alio possumus detestari, cum detestatio respiciat suam caussam, quæ est Divina offensa, & hoc verum est, etiam si peccata sint occultissima, & quæ memoriæ non occurrant post diligentissimam Conscientiæ discussionem. Non requiritur tamen, quod juxta numerum peccatorum multiplicentur actus Contritionis, vel quia intellectus cui correspondent actus voluntatis non tenetur semper de omnibus sigillatim cogitare, vel quia aliquando tempus non suppetit ob imminens vitæ periculum, tum demum quia unicus Contritionis actus ad singula peccata sese potest extendere; quare nullum hujus rei præceptum habemus Ecclesiasticum, sed tantummodo consilium, ut constat ex verbis Cantechismi Romani Parte 2. n. 39. *Hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere studeant*, quod consilium elicitur etiam ex verbis Ezechiæ apud Isajam: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* quatenus ex verbis his excitantur fideles ad tot actus Contritionis eliciendos quot peccata commiserunt; quamquam proprie loquendo laudata verba, pro ut etiam usurpantur a Tridentinis Patribus, detestationis potius peccatorum omnium necessitatem ostendunt ad impii justificationem. Advertimus tamen utilissimum esse peccata singula amarissime, & longo tempore ita deflere, ut contritio non solum appretiative, ut ajunt Scholæ, sed etiam intensive, & extensivæ, quod supra diximus, summa dici possit; & hoc est, quod persuadent exempla, & cohortationes Sanctorum. Egregia sunt Augustini verba in lib. 8. Confes. cap. 12. nec contemnenda ea, quæ Ambrosius scripsit in lib. ad Virginem corruptam cap. 8. & diu, noctuque versandum id, quod Cyprianus, ait in sermone de lapsis. *Orare oportet impensius, & rogare: diem luctu transigere: Vigiliis noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lamentationibus occupare*. Absit vero, quod quis requirat Contritionem, quæ sit æqualis magnitudini iræ Divinæ, quam calumniam affinxit Catholicis Calvinus in lib. 3. Instit. cap. 4. §. 2. cum Catholici semper docuerint Contri-

tio-

tionem non mereri justificationem ex condigno. Præterea ut legitur in Psal. 89. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* ut tantum se excruciet quantum Deum offendit, ut tantum pœniteat, quantum se crimini addixit; quod si Ambrosius addit loco supra citato, *aut certe excedat*, non accipiendum est Ambrosii dictum, ut Pœnitentia æquare, aut excedere, peccatum possit, sed ut æquet, aut excedat voluptates, quas quis peccando accepit, ad quod pertinet illud etiam, quod Hugo Victorinus scripsit in lib. 2. de Sacramentis parte 14. cap. 2. *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus Pœnitentiæ tuæ fructus.* Dignus ergo erit si voluntas summo conatu peccatum detestabitur, vel si pluris æstimabit Divinæ offensæ detestationem, quam cujuscumque boni consequutionem, aut alterius mali evitationem, qui duo modi sunt, quibus dolere de peccatis possumus, tum intensive, tum appretiativè contra Kemnitii, & Calvini positiones, in quibus cognoscunt necessariam esse Seriam, & vehementem Contritionem, sed impossibilem esse contendunt. *Ardna*, inquit Kemnitius in 2. p. Examin. p. 942. *Ardua quæstio est, quomodo Pœnitentia ita agi possit, ut certi simus nos consequi reconciliationem, & remissionem peccatorum; si enim Pœnitentia non recte agitur, peccator licet quærat, non tamen assequitur remissionem peccatorum*. Calvinus vero lib. 3. Instit. cap. 4. §. 2. *Æquidem sedulo, & acriter instandum esse fateor, ut quisque amare deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam, & odium magis acuat. Sed ubi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini respondeat, & quæ in trutina appendatur, cum fiducia veniæ, hic vero miseræ conscientiæ miris modis torquentur, & exagitantur, dum sibi debitam peccatorum Contritionem imponi vident, nec assequuntur debiti mensuram, ut secum decernere possint se persolvisse, quod debebant.* Nihil aliud itaque Pœnitentibus superest, ex sententia Kemnitii, & Calvini, nisi desperatio, cum ex illorum dictis remissio peccatorum reddatur impossibilis, quia est impossibilis talis Contritio, quod apertissime adversatur Scripturæ, quæ Deuteron. 4. ait. *Cum quæsieris Dominum invenies eum, si toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*, & Jerem. 29. *quæretis*, inquit, *& invenietis me, cum quæsieritis me in toto corde vestro*, & rursum 3. Reg. 8. *Si peccaverint tibi, & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, propitiaberis populo tuo*; & pluribus aliis in locis, in quibus converti ex corde, nihil est aliud, nisi serio, ac sincere converti; converti ex toto corde, est integre, & perfecte converti, ut nihil magis delectet, quam detestari peccatum, virtutibus omnibus exornari, & perfecte Contritionis effectibus lætari.

§. IV. *Contritio habet suos effectus, & inter ceteros justificationem, si conjungatur, cum actibus reliquis, qui justificationem præcedunt.*

IX. Hæretici illi, qui docent solam fidem justificare, inter effectus Contritionis justificationem non recensent. Catholici e contra unanimi consensu docent Contritionem esse Caussam justificationis. Alterutra tamen opinio a suis Auctoribus quibusdam præmissis exceptionibus explicatur. Nam Heterodoxi Contritionem a fide non separant, sed cum doceant Contritionem esse terrorem illum, quo mens ad pœnarum apprehensionem concutitur, volunt quod sine hujusmodi terrore, peccator possit justitiam consequi, imò illorum

rum aliqui, ut Calvinistæ, quamquam velint hos terrores esse aliquid aliud a Contritione, nihilominus tuentur per Contritionem non remitti peccata, primo quia omnia opera, quæ justificationem præcedunt volunt esse peccata, secundo quia sola fides specialis misericordiæ est unica, & potissima conditio, quæ necessaria est, ut impius justificetur. Verba Lutheri leguntur in Assertione 12. articuli. Verba Calvini habentur in lib. 3. Instir. cap. 4. §. 3. quibus dum se subscribit Martinus Kemnitius in 2. parte Exam. hæc addit pag. 960. *Impetrationem veniæ, & reconciliationem cum Deo manifeste tribuunt Catholici actui, seu Operi Contritionis nostræ, & quidem ante Absolutionem, quæ est vox Evangelii, gratis propter meritum Christi annuntians, & impertiens fidei reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum.* Quid vero aliud est hoc, quam reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum adimere Evangelio, & fidei gratuitæ misericordiæ Dei, & merito Christi, & transferre illam in merita nostrorum operum?

Catholici suam propositionem sic limitant, ut illorum aliqui velint actum Pœnitentiæ esse dispositionem ad remissionem Peccatorum, illam vero remissionem non mereri, neque de congruo, neque de condigno. Alii vero, & disponere dicunt, & mereri de congruo justificationem impii.

Heterodoxorum sententia, & qualibet eorumdem explicatio est contra communem Scripturarum, & Patrum sensum, & contra Ecclesiæ explicationem. Catholicorum vero sententia illa tutior, & communior est, quæ meritum remissionis peccatorum repetit a Contritione, & actibus ceteris, qui justificationem præcedunt.

Clarissimum Scripturæ testimonium supra notavimus in §. 1. hujus capitis petitum ex cap 18. Exechielis: *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit*, in quo notari debent hæc duo verba *ipse vivificabit:* rursum in eodem capite dicitur *facite vobis cor novum, & spiritum novum*, quæ singula verba quemadmodum superiora fortasse non notavit Kemnitius, & non notarunt Lutherus, & Calvinus, alioquin non dixissent Contritionem, & Pœnitentiam non esse caussam justificationis. Sic Danielis 4. legitur: *Peccata tua eleemosinis redime*. Lucæ 7. legitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; & Jonæ 3. *Vidit Deus opera eorum, & misertus est super malitia &c.* Satis ergo ex his locis, vel imperitia Hæreticorum, vel calumnia convincitur. Inter Patres habemus Tertullianum, qui in libro de Pœnitentia: *Dominus*, inquit, *Pœnitentia mitigatur*. Habemus Origenem, qui homil. 11. in c. 20. Levit. ait: *Purgatio peccati per Pœnitentiam constat*. Habemus Cyprianum, qui in Sermone 5. de Lapsis scribit: *qui Pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, & adjutus a Domino, quem contristaverat lætam faciet Ecclesiam, nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam*. Omitto Athanasium, Basilium, Ambrosium, & Hjeronymum, Chrysostomum, & Gregorium hujus opinionis assertores constantissimos, & solum adverto priscum Ecclesiæ usum negandæ absolutionis iis, qui illam in exitu positi petiissent, quod censeret Pœnitentiam ad Peccatorum remissionem concurrere, & hujusmodi infirmos Pœnitere non posse, & licet postea usus hic fuerit immutatus; ita ut etiam sic Infirmi reconciliarentur, tamen de veritate hujus Pœnitentiæ plurimum dubitatum est. *Pœnitentia*, inquit Augustinus, quæ *ab infirmo petitur infirma est. Pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo*

 ne

ne & ipsa moriatur, hæc scribebat Augustinus in Sermone 57. de Tempore, & iterum idem asseruit in homil 41. inter 50. Adeo tandem Ecclesiæ Patribus persuasum fuit Contritionem vim habere remittendi peccata, ut illam igni comparaverint, quod præsertim fecit Hjeronymus in 2. lib. de Compunctione cordis ubi scripsit: *Sola est Cordis Compunctio, quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit, & adimit, & quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, & penitus delet*. Quid in hac re senserint Tridentini Patres legitur in cap. 6. Sess. VI. ubi Pœnitentia recensetur inter dispositiones justificationis, & legitur in cap. 4. Sess. XIV. in quo dicunt: *Contritionem omni tempore necessariam fuisse ad veniam impetrandam*, & hoc satis est, ut certiores simus de legitima Ecclesiæ intentione in parte hujus controversiæ.

Alteram partem probat non solum superior relata Cypriani auctoritas, sed exemplum quoque illud, quo Ambrosius utitur in lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. agens de Venia, quam filius Prodigus obtinuit; *Tam cito*, ait; *veniam meretur, ut venienti, & adhuc longe posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis*, & rursus illud, quod idem scripsit lib. 10. in Lucam de lachrymis Petri: *Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur... & tu si veniam vis mereri dilue culpam lachrymis tuam*. Nec obest, quod Apostolus dicat: *nos gratis justificari*. Ad hoc enim Augustinus respondet, quia *ipsa Contritio donum Dei est*, sed præter hanc responsionem dici etiam potest, quia meritum istud, quod a Patribns cognoscitur antequam habeatur remissio peccatorum est meritum ex congruo, cui propterea non ex justitia, sed ex divina benignitate merces respondet, ad differentiam meriti ex condigno, quod sequitur justificatum, ut variis in locis scribit Augustinus, præsertim vero in cap. 2. lib. 1. ad Bonifacium, & in cap. 29. & 30. libri de Spiritu, & littera, & in quæst. 2. lib. 1. ad Simplicianum, & ut docetur in cap. 8. Sess. VI. Concilii Tridentini; unde quo ad hoc Contritio est pura dispositio ad justificationem, & homo gratis justificatur: Gratis inquam, quia ut loco cit. Tridentini Patres loquuntur, *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur*, idest de condigno. Ceterum non repugnat, ut advertit D. Thomas in Supplemento q. 5. a. 2. ad 2. quod *actus a Virtute elicitus, in quantum peccati remissio sequitur Virtutem, & gratiæ infusionem, possit esse causa aliqua remissionis peccati*.

X. Dubitatur utrum peccatorum remissio obtineri possit per Contritionem, etiam ante Sacerdotis absolutionem, cum voto tamen Sacramenti suscipiendi. Hujus dubitationis fundamentum suppeditant nonnulli textus Scripturarum, ex quibus paratur ratio Theologis illis, qui negativam Sententiam tuentur; nam Lucæ 7. dicitur *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Paulo perfecte converso dicitur ab Anania actorum 22. *exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine illius*. Augent difficultatem auctoritates Concilii Milevitani in c. 4. ubi dicitur *esse Anathema, qui gratiam dilectionis non agnoscit necessariam ad non peccandum*. Concilii Arausicani in can. ultimo, quo statuitur, *quod Deus nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem sui prius inspirat, ut Baptismi Sacramentum fideliter requiramus*. Concilii demum Tridentini, dum in can. 6. Sess. VI. docet, quod *dum peccatores se ad justitiam præparant, Deum tamquam fontem justitiæ*

stitiæ diligere incipiunt. Plurimum etiam faciunt SS. PP. auctoritates, illæ præsertim, in quibus agitur de Catechumenis, qui flagrare charitate dicuntur, & tamen nondum habere obtentam peccatorum remissionem. Hanc propositionem habet Augustinus in Tract. 13. in Jo. in l. 4. de Baptismo contra Donat. c. 21. & alibi. Habet S. Leo in Epist. 91. ad Theodorum, item Richardus de S. Victore in lib. de Potestate ligandi, & solvendi c. 19. & Thomas Waldensis in Tom. 2. de Sacramentis c. 97. Etiam charitatem non fuisse extinctam in Petro quando Christum negavit, S. Bernardus tradidit in libro de diligendo Deo, & pluribus aliis in locis idem Augustinus agnovit hominem habere bonam voluntatem, scilicet charitatem, ut ipse explicat in lib. de Gratia Christi c. 21. ante remissionem peccatorum, & per charitatem adimpleri in nobis, si quid Divinæ legis, & admonitionis implemus.

Nihilominus Sententia communis in Schola Theologorum est affirmativa, quæ defenditur, tum contra Lutheranos, præsertim vero contra Kemnitium, tum contra illos Scholasticos, qui vel aliquando, vel fortasse in articulo mortis asseruerunt Contritionem reconciliare hominem Deo priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

In Lutheranorum assertione duo sunt, quæ licet falsissima, ab illis tamen supponuntur tamquam vera. I. Solum hominem justificatum posse actum Contritionis elicere. II. Contritionem esse effectum justificationis impetratæ per fidem specialis misericordiæ. III. Impossibilitatem hujus reconciliationis arguit Kemnitius ex hoc principio, quod verba absolutionis annuntiant verbum Dei, quo homo peccator intelligit per fidem specialis misericordiæ sibi dari gratiam justificationis.

Catholicos inter, & Heterodoxos litem diremit Concilium Tridentinum in sæpe cit. c. 4. Sess. XIV. *Docet præterea S. Synodus, etsi Contritionem hanc aliquando Charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c.* Igitur ex mente Concilii clarum est Lutheranis caussa excidisse, & solum oppositam opinionem posse sustineri. Id confirmatur ex principiis ipsis Lutheranorum. Lutherani defendunt impium justificari per fidem specialis misericordiæ, nullamque connexionem ponunt inter hanc fidem, & Sacramentum Pœnitentiæ, ut nullam ponunt inter eamdem, & Sacramentum Baptismi: Imò in lib. de Captiv. Babil. cap. de Baptismo a nobis alibi citato expresse docuit Lutherus *hominem justificari modo credat, etiamsi non verum, & legitimum Baptismum accipiat*; & in Assertione XII. articuli scripsit: *fidem concipi posse undecumque verbum audiatur, & hominem inde justificari etiamsi, non per modum absolutionis, sed per jocum, vel ad illud oppugnandum verbum Dei pronuncietur*. Rursum Lutherus præsupponit statum gratiæ in illo, qui elicere debet actum Contritionis. Demum teneretur Kemnitius probare fidem aliter excitari non posse, quam per Sacerdotis absolutionem, ut suum explicandi modum posset tueri, quod non præstabit omninò. Faciunt etiam plurimum contra Lutheranos Scripturarum testimonia superius exposita, & faciunt illorum Patrum auctoritates, quas supra addidimus, & inter ceteros S. Magnus Leo facit plurimum eum in sua nuper citata Epistola scribat: *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera, & perfecta Conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*.

XI. Ex hoc vero, quod Tridentini Patres in supra laudatis verbis dixerint *aliquando*, non debet aliquis Theologus inferre Contritionem non semper actu reconciliare. Concilium nomine Contritionis, ut ce ↄat ex illius verbis, tum perfectam, tum inperfectam intelligit; ideo dicit contingere aliquando Contritionem esse perfectam, & reconciliare, non quia non omnis Contritio perfecta non reconciliet, sed quia non omnis Contritio est perfecta: Quare ex optima hujus loci intelligentia infertur universaliter, quod Contritio perfecta, quæ ex vera Dei dilectione oritur, semper affert remissionem præsentem peccatorum. Concilium enim pro eodem reputat Contritionem esse charitate perfectam (hoc est ex dilectione Dei) & reconciliare, licet neutrum sit de ratione omnis Contritionis, prout abstrahit a perfecta, & imperfecta. Apparet igitur non sine Clarissimi Viri injuria Navarri Sententiam Estium confutasse in IV. Senten. Dist. 17. §. 2. his verbis: *Quæri potest utrum id, quod aliquando contingere supponit, ac fatetur Synodus Tridentina, contingat semper, an ordinarie, an frequenter, an raro? Nihil enim horum Synodus expresse determinat. Unde quod Navarrus cap. 1. sui Manualis n. 24. dicit post Concilii declarationem non esse dubitandum quin frequenter fiat, parum circumspecte dictum est ab illo. Non enim Concilium agnoscit frequenter id fieri, sed aliquando, quæ duo sunt maxime diversa*. Pudet certe hominem doctissimum in hujus vocis interpretatione tam graviter dormitasse, cum non animadverterit adverbium *aliquando* non appellare ad reconciliationem impii, sed ad verba immediate sequentia *Charitatem perfectam*, quod satis fuisset illi, quia & Navarrum non castigasset, & rejiciendam opinionem non adamasset. Dixi *rejiciendam*, quia coincidit cum Propositione 31. Michaelis Baji damnata a S. Pio V. in qua sic legitur: *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta in Catechumenis, & Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*. Coincidit etiam cum propositionibus 32. & 33. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis non semper est conjuncta cum remissione peccatorum = Catechumenus juste, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam peccatorum remissionem, quæ in Baptismi Sacramento demum recipitur*. Nullus ignorat charitatem in Contritione perfecta semper includi. Facile ergo est cognoscere, quam amice conjurent Baji, & Estii propositiones, ut de illius falsitate judicemus, non secus ac ipse Bajus duas postremas opiniones falsas agnovit, & erroneas, & suas esse negavit, & contendit ostendere etiam in priori propositione se fuisse locutum adversus eos, qui in Catechumenis, & Pœnitentibus ante remissionem peccatorum contra Concilium Tridentinum nullum omninò Charitatis initium agnoscunt; de cetero se nunquam somniavisse perfectam charitatem ex Corde puro, & conscientia bona in iis reperiri, qui peccatorum remissionem nondum sunt consecuti. Illud hac in re ingenue affirmari poterit, perrarò contingere, quod in recipientibus, vel Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramentum reperiatur hæc perfecta Contritio, & propterea illorum Sacramentorum effectus ante illorum susceptionem non obtinuisse, vel Catechumenos, vel Pœnitentes plurimos, & apposite a Patribus Ecclesiæ dictum esse, quod Petri Sententia præcedit Sententiam Cœli. Hoc idem observari debet, ut innotescat quanti facienda sint contrariæ sententiæ nonnulla argumenta, quæ petuntur ex quibusdam auctoritatibus Patrum, quæ aliam supponunt, non perfectam Contritionem in illo sensu, & secundum

dum illas circumstantias, quæ a nobis requiruntur, & supponuntur, ut scilicet ex fide, spe, & charitate procedat, cui soli competit hominem reconciliare Deo antequam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiat, dummodo tamen in illo hujus Sacramenti suscipiendi votum reperiatur.

XII. Nec caret nostra assertio illis quoque fundamentis, quæ solent repeti a verbo Dei Scripto, quibus ipsi Ecclesiæ Patres utuntur data temporis opportunitate. Inter cetera, illud observatione dignissimum existimarunt Ambrosius, Augustinus, & Gregorius, quod in Psalmo 31. narrat S. David sibi contigisse post suum peccatum. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam*, & protestatur hoc illi fuisse satis; sic enim Deum ipsum alloquitur: *& tu remisisti impietatem peccati mei*. Super quæ verba laudatus Ambrosius in Apologia David. cap. 7. ita scripsit. *Si dixit, pronunciabo, & veniam meruit antequam pronunciaret, quanto magis ubi de se pronunciavit dicens: iniquitatem meam ego cognosco, remissum est ei omne peccatum?* Ergo remissionem meruit iniquitatis, & texit charitate, atque operuit peccata sua. *Promittit se pronunciaturum*, repetit Augustinus Concione 2. in eumdem Psalmum, *& ille jam dimittit*, & Gregorius in Commentar. ejusdem Psalmi: *Ante remissio ad Cor pervenit, quam Confessio in vocem erumpat. Attende quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad Cruciatum perveniat Pœnitentia.* Huc etiam pertinent omnia illa loca, quæ ostendunt peccatum, & charitatem simul stare non posse. *Ego diligentes me diligo. Universa delicta operit Charitas. Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus Fratres*, & multa alia, quæ Proverb. 8. & 10. in 1. Petri c. 4. in 1. Joan. c. 3. leguntur: & ratio facile reddi potest, quia cum *dilectio* ab Apostolo in cap. 13. Epist. ad Romanos appelletur, *Plenitudo legis*, nemo potest legem implere nisi ille, qui regeneratus, justificatus, & Filius Dei effectus est. *Factores Legis justificatio præcedit* scripsit Augustinus in cap. 26. libri de Spiritu, & littera. Igitur oportet, quod qui charitatem habent liberi fiut a peccato, quod non posset esse, nisi Contritio, cum proposito Sacramenti suscipiendi hanc justificationem operaretur quocumque tempore, non solum aliquando, scilicet ut explicat Estius, *urgente articulo mortis: quando Sacerdos haberi non potest: quando occurrit casus scandali, aut alterius peccati incurrendi, & quando quis omninò non potest, aut certe difficilime potest opportuno tempore adire Sacerdotem, a quo absolvatur*, cum nullus ex his casibus habeat hanc vim peccatorem justificandi, sed vera Conversio, & cordis Contritio; siquidem recensiti casus solum possunt excusare a prævaricatione præcepti illum, qui Sacramentum non percepit, non quia noluit, sed quia non potuit.

XIII. Ut vero præcipua Adversariorum argumenta refellamus Dicimus 1. quod Auctoritates ex Sacra Scriptura deprompt non loquuntur de inferiori effectu Contritionis, sed singula illa exteriora præseferunt, quæ necessaria erant, ut coram hominibus ea manifestarentur, quæ interius Divina potentia operata erat in corde Magdalenæ, & in perfecta Pauli conversione, quod Pharisæus penitus ignorabat, & Ananias non perfecte, & certo sciebat. Dicimus 2. Citata Concilia Contritionem, seu charitatem dupliciter considerare 1. quatenus per ipsam servantur omnia mandata, & consequenter animam reddit a peccatis immunem. 2. quatenus est primus illius gradus amoris, qui excitatur in homine ante remissionem peccatorum. Ex prima di-

dilectione critur illa gratia, quæ a Milevitanis Patribus dicitur necessaria ad non peccandum, cum peccare sit agere, dicere, & concupiscere aliquid contra Divina mandata: sed ex hoc non sequitur, quod si alicui ante remissionem peccatorum conveniat non peccare, necesse sit, quod ab omnibus simul peccatis abstineat, quia hoc non continget nisi in statu actualis justificationis. Propter hoc tamen non negant Milevitani Patres dilectionem hanc si vera sit, non remittere peccata, si aliqua invenerit, & producere justificationem impii; ita ut, & ad non peccandum sit necessaria, & ad delendum peccatum, si quod invenerit, sit optima. Clarius in suo canone locuti sunt Arausicani Patres, qui post verba in argumento citata hæc addunt: *& post Baptismum, quæ ipsi sunt placita implere possimus*, & apparet illos distinxisse alterutram dilectionis speciem, quam postea distinxerunt etiam Patres Tridentini in sæpe laudato cap. 6. Sess. vi. Dicimus 3. in illo argumento variari suppositionem, cum auctoritates, quæ indicantur non præseferant singulæ argumentum ardentissimæ charitatis, sed charitatis inchoatæ exemplum. Hoc secundum legitur in auctoritate Augustini petita ex Trac. 13. in Joan. in qua nulla fit mentio ardentissimæ charitatis. Sic enim de Catechumenis scribit: *quantacumque Catechumenus proficiat, adhuc Sarcinam suam iniquitatis portat, nec illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum*. Mentio illius charitatis legitur in 2. loco citato, adhuc tamen dicit se non dubitare Catechumenum Catholicum Divina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere, non quia credat illum caruisse remissione peccatorum, sed Baptismi Sacramento, quod tenebatur suscipere, & contempsit aut neglexit recipere, & propterea non secus ac hæreticus baptizatus damnabitur. In auctoritate S. Leonis nihil dicitur de hac charitate, sed *Divinæ bonitatis*, ait, *præsidiis ordinatum est, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri*; dissimulandum tamen non est S. Leonem nostræ sententiæ favere, cum in eadem Epistola scribat: *veram conversionem nullam veniæ moram pati*. Eamdem opinionem tenuit Richardus, licet pro illorum Sententia ab Adversariis citetur, ut constat ex cap. 4. ejusdem laudati Operis, & ex c. 8. ubi solum dicit, quod *licet æterna pœna per Contritionis actum sit remissa, tamen etiam remittitur per absolutionem Sacerdotis, quia in voto, & facto hujus absolutionis fuerat remissa*. Illa ergo, quæ scribit in cit. c. 19. Charitatem, reatumque æternæ damnationis posse simul stare, significant debitum æternæ damnationis superesse in homine quo ad usque non impleverit votum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod verissimum est; quem sensum intellexit etiam Waldensis in eadem suppositione, scilicet si per hunc hominem steterit, quod suo voto non satisfecerit; quare sic scripsit contra Wiclephum: *Quamvis bonus fuerit bona fide, dico tamen sine visibili Sacramento, vel reipsa, vel effectu gravido consecuto sine aqua salvus esse non poteterat*. Dicimus 4. cum D. Thoma 2. 2. q. 24. a. 12. ad 2. quod *Charitas amittitur dupliciter uno modo directe per actualem contemptum, & hoc modo Petrus Charitatem non amisit. Alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiæ, vel timoris; & hoc modo Petrus contra Charitatem faciens, Charitatem amisit; sed quia eam cito recuperavit, propterea S. Bernardus ait, in Petro Charitatem non fuisse extinctam, sed sopitam, & S. Leo ait: Dominum in Petro vidisse non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turba-*

ba-

batam. Verum quidem est Augustinum in loco citato bonam voluntatem accepisse pro eo, quod in Scripturis Charitas appellatur, sed etiam verum est, non cuicumque bonæ voluntati hoc nomen accomodari, sed illi, qua efficimur filii Dei, & per quam solam homo potest ad æternam vitam, Regnumque perduci. Hanc explicationem Augustini legimus in libro de Gratia Christi cap. 21. & in lib. 4. in Julianum cap. 3. & ex illa sequitur neminem posse recte vivere, nisi per regenerationem effectus sit filius Dei. Consequentia itaque illa, quæ habetur in argumento, quod sit in homine hæc bona voluntas ante remissionem peccatorum, vera non est, nam statim ac aliquis est filius Dei, hoc ipso est hæres Regni juxta Apostolum ad Galatas 4. unde non potest reus esse mortis æternæ, ut constituitur qui peccator est, cum status culpæ exhæredationem a Regno Cœlorum includat. Quod si Lucæ 2. annunciatur pax hominibus bonæ voluntatis, notetur quod ibi annunciatur hominibus illa pax, quæ est ipsa Dei bona voluntas erga ipsos, non vero ibi significatur amor hominis erga Deum, ut eruitur ex varia lectione hujus textus, qualem præseferunt Codices Græci, qui non habent: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, sed *in terra pax hominibus bona voluntas*, hoc est pax bonæ voluntatis Dei ergo homines. Ex his omnibus igitur satis confirmata cognoscitur nostra Sententia de efficacia veræ Contritionis ante susceptum Pœnitentiæ Sacramentum in re. Dixi *veræ Contritionis*, quia si Contritio talis non esset, eadem virtute donari non arbitramur, ut infra patebit.

§. V. *Nova non est inter Theologos Contritionis divisio in veram, sive perfectam, & in imperfectam.*

XVI. Agunt de utraque hac Contritione Tridentini PP. in cap. 4. Sess. xiv. & utriusque tradunt discrimina. De prima illius specie quantum instituti nostri patitur ratio actum est satis; reliquum est, ut de altera modo agamus. Et ut a nominis explicatione exordiamur advertimus, quod cum Contritio perficiatur per charitatem actualem, quæ Deum respicit ut diligendum super omnia in gradu intenso, vel diligendum super omnia in gradu remisso, hic Contritionis actus vocatur perfectus; e contra si careat his conditionibus dicitur imperfectus, sive Contritio imperfecta, quæ etiam nominatur Attritio. Hæc porro Attritio concipitur, ut ait Concilium: *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Geenne, & pœnarum metu:* quocumque autem modo concipiatur, docet idem Concilium *esse donum Dei, Spiritus S. moventis impulsum, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, & rursum docet, quod *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. Hæc erunt præcipua illa capita, quæ huic examini subjiciemus, ut Theologorum, & Concilii Doctrinam adæquate explicemus. His itaque prænotatis

Dicimus *Attritionem, quatenus concipitur ex turpitudine peccati, nihil prodesse etiam cum Sacramento Pœnitentiæ, hoc est non reconciliare hominem Deo, secus vero si turpitudo spectetur prout est contraria pulchritudini justitiæ*, & est communis apud omnes.

Primam partem ostendit Augustinus in lib. 5. de Civit. ubi ait, *quod sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit*, idem repetit in cap. 14.

cap. 14. & 20. ratio vero est, quia ille, qui ita dolet, quantum est ex se non avertit voluntatem ab affectu culpæ, sed continet se ab actu externo, unde accedit indispositus ad suscipiendum effectum Sacramenti, quia de ratione, & essentia hujus Sacramenti est, ut pœnitens accedat detestando efficaciter omne peccatum mortale, atque adeo sine actuali interna complacentia alicujus peccati mortalis, ratione cujus, quia accedit impœnitens coram Deo, & incapax remissionis peccati; ita accedit impœnitens in hoc foro, & est incapax Absolutionis.

Ostenditur Secunda pars ex hoc, quod odisse peccatum, quia justitiæ opponitur idem est ac odisse peccatum propter Deum, & quia offensa Dei est, aut quia justum est Divina præcepta non violare, & hoc ipso, quod aliquis ita peccatum odit, Deum diligit, ut eruitur ex D. Thoma in 1. 2. q. 113. a. 1. ad 1. *Ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositum, & refugere aliud, & ideo sicut ad Charitatem pertinet diligere Deum; ita & detestari peccata, per quæ anima separatur a Deo.*

XV. Major Controversia est utrum Attritio, quæ ex solo geennæ metu concipitur satis sit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. In antiquis Ecclesiæ Patribus nihil reperitur, quod proferri possit pro parte affirmativa, cum ante Sæculum XIII. hoc vocabulum *Attritio* fuerit inauditum, non solum apud Patres, verum etiam apud Scriptores Theologos, apud quos Attritio, & Contritio non differebant, nisi ut fides informis, & formata, idest ratione subjecti, scilicet hominis injusti ad gratiam dispositi, & hominis justi, ut patet ex D. Thoma in Supplem. q. 1. a. 3. cui tamen hæc comparatio non congruit. Quia *quamvis habitus fidei informis fiat formatus, numquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ, quia actus ille informit transit, & non manet veniente charitate. Attritio autem, & Contritio non dicunt habitum, sed actum tantum. Habitus autem virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt non possunt esse informes, cum charitatem consequantur; unde antequam gratia infundatur non est habitus, a quo actus Contritionis postea elicitur, & sic nullo modo Attritio potest esse Contritio.*

Nonnulli Theologi Sæculi decimisexti primi audiuntur, qui affirmaverint Attritionem ex solo metu geennæ conceptam satis esse, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, dummodo tamen Pœnitens bona fide reputet se esse contritum. Ita docuerunt Franciscus a Victoria, Dominicus Soto, & Andreas Vega in lib. 13. in Concilium Tridentinum c. 33. argumento 5. ubi ait: *Attritio sufficit ad digne Sacramenta ista Baptismum, & Pœnitentiam recipiendum, & consequendum per ea gratiam. Si quidem invincibiliter existimetur Contritio, & non alias*. Efficaciam hujus Attritionis Melchior Canus extendit ad casum etiam, in quo pœnitens neque bona fide reputet se esse contritum; ita ut Attritio mere Servilis, etiamsi non existimetur Contritio, sufficiat ut per Sacramentum Pœnitentiæ conferatur gratia. Subcripsit huic Sententiæ, quam Canus tenuit in Parte 5. Relect. de Pœnitentia Ludovicus Lopez in Instructorio Conscientiæ Parte 1. c. 9. Eamdemque probabilem esse ait, & non parum Veritati, & Concilio Tridentino consonam opinionem, pro qua citat quemdam Henricum Salmaticensem Theologum, nullumque alium, qui sic doceret ante eos, se legisse testatur Morinus in libro 8. de Pœnitentia cap. 4.

XVI. Se-

XVI. Saeculo XVII. magis late patuit hæc opinio, & Alexandri VII. ætate fere communior videbatur: ingenue tamen illius Patroni fatebantur se *opinionem tueri, licet veram* (ita Soto in 4. Sent. Dist. 18. q. 3. a. 2.) *non tamen ita multum veterem* (Canus l. c.) *non tamen adeo certam, & indubitatam* (Suarez Tom. IV. in 3. Par. q. 90. a. 4. Disp. 15. Sect. 4. n. 17.) *quæ potest esse falsa* (Gammachæus Tom. III. Sum. Theologicæ c. 8. de Pœniten.) *quæ non est omninò indubitata, neque ex professo ab Ecclesia definita tamquam de fide, & quæ ab aliis aliter explicatur*. Fatebantur etiam pro praxi oportere *Pœnitentes cohortari, & urgere*, ita consulit Soto loco laudato, *ut propter Deum peccata admissa execrentur omnia*. *Eosdem monere*, inquit Suarez, *Charitatem illos obligare ad faciendum quod in ipsis est, & conandum ad habendam Contritionem*; idque cohæret cum praxi, quæ præscribitur a Rituali R. ex qua certe nullum sequitur damnum confitenti, nulla injuria Sacramento, & nihil a Sacerdote detrahitur auctoritati sui Sacerdotii, & demum nihil eorum timendum est, quæ Gregorius de Valentia veretur, & exponit in Tom. 4. Disp. 7. q. 8. de Contritione Puncto 4. §. *secundo potest*. Fatebantur insuper in casu periculi mortis *opinionem esse corrigendam, & docendum* (ita Suarez loco cit. n. 10.) *tam ex charitate Dei, quam propria teneri Pœnitentem majorem dispositionem procurare ad æternam salutem consequendam, graviterque peccare, si cum tali sola Attritione se mori sinat; nam tenetur homo diligere Deum super omnia priusquam moriatur*. Quæ singula dissentionum inter Theologos Seminarium excitarunt, aliarumque opinionum, & locus patuit gravibus notis, & censuris, quibus sese invicem Scholastici perstringebant. Statim igitur auditum est Novitatis insimulari hoc Dogma Attritionis mere servilis, & difficile esse illud cum Sanctis Patribus conciliare: & virtutem Sacramenti Pœnitentiæ reducere ad meram peccati remissi declarationem. E contrario audiebantur alii, qui in errorem Lutheri eos incidere asserebant, qui Attritionem mere servilem ajebant non sufficere ad recipiendam gratiam in Sacramento, quam propositionem contendebant esse damnatam a Concilio Tridentino in cap. 4. Sess. XIV. & tamdiu certatum est inter ipsos Theologos, quo ad usque per Alexandrum VII. emanavit Decretum, quod sequitur, idque contigit die 5. Maij 1667. *SS. Dominus noster Alexander Papa VII. cum acceperit non sine gravi animi sui mærore Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat in super aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam Sententiam censurantibus: Sanctitas sua ennixe cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extingui, auditis votis EE. & RR. D. D. Cardinalium adversus Hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum; nec non DD. Consultorum, & Qualificatorum Sacræ Congregationis ejusdem generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ huic Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus, quocumque gradu, ac dignitate etiam Episcopali, & majori imò, & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut Scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cæterosque erudient, non audeant*

alicujus Theologicæ Censuræ alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum &c. Omnis itaque absit verbo invidia, illudque tantum spectetur, quod in hac Controversia sartum, & tectum servandum est Dogma Catholicum; quidquid superest Scholasticis damus, ut liceat singulis quemadmodum ipsis placuerit de re sua judicare.

XVII. Propositio 1. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, est bonus motus, ac supernaturalis, etiam in individuo.*

Eruitur hæc Propositio ex XII. quam Alexander VIII. condemnavit ut certo constaret *Fidei etiam actum laudabilem esse, honestum, bonum, & supernaturalem.* Sed quorsum hæc? Scilicet ut ex hac paritate observetur non satis esse ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, quod habeat hujusmodi Attritionem; quemadmodum impio satis non est actus fidei ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, Anathema sit.* Ita Tridentini Patres contra Lutheranorum errorem definiverunt in can. 9. Sess. VI. Et hoc verum est, etiamsi videantur nonnulli PP. inter quos Augustinus in homil. 50. inter qninquaginta, & in Psal. 117. Peccatores hortari ut si non amore justitiæ, saltem timore pœnæ a peccatis se temperent, nam ipsi Patres eosdem peccatores hortantur ad actus fidei, & spei, qui tamen actus satis non sunt ad remissionem peccatorum. Utilis quidem est timor gehennæ, utilis pœnarum timor, quia *si nullus timor*, testatur Augustinus in Tract. 9. in Joan. *non est qua intret charitas*, & ait in Epist. 144. *Pœna corporis, etsi non a voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati, quod est inter maxima bona.*

XVIII. Propositio 2. *Nullus dubitare potest Pænitentiam esse Sacramentum mortuorum, cui nihil officit illa quæ perfecta, vocatur Contritio, quia etsi hanc aliquando contingat hominem Deo reconciliare prius quam hoc Sacramentum suscipiat, ipsa nihilominus reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda; multo minus ergo Sacramento Pænitentiæ officiet imperfecta Contritio, sive Attritio quolibet Dei amore etiam inchoato non vacua.*

Ratio vero est, quia hujusmodi amor valde debilis est, ita ut voluntatem ab illicitis affectibus avellere prorsus non valeat; tum quia non statim ac a Deo Dona expetuntur, ille statim hæc confert. *Nostrum opus est*, inquit Chrysostomus in Genesim hom. 30. *continuis insistere precibus, & non ægre ferre si differatur, quod poscimus, sed longanimes esse. Neque enim renuens, nostras preces differt, sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.* Cur igitur credendum erit donorum omnium præstantissimum, videlicet gratiam sanctificantem nobis infundi propter initialem, & inchoatam charitatem extra Pœnitentiæ Sacramentum? Primus effectus cujusque finis est ille voluntatis actus, quo voluntas ipsa amore, vel complacentia quadam bonum sibi ab intellectu propositum respicit, qui amor dum vividior est, in finem ipsum per certa media tendit. Est igitur inchoatæ charitatis effectus initialis

Dei,

Dei, ac mandatorum ejus dilectio, non vero hominis cum Deo reconciliatio extra Sacramentum, ad quod tamen satis est, ut per se justificet, si aut in voto, aut in re suscipiatur.

XIX. Propositio 3. *Qui a peccatis se temperat ex metu gehennæ, peccare non metuit, sed ardere.*

Hanc propositionem habet Augustinus in Sermone 15. de verbis Apostoli cap. 6. ubi eamdem explicat. *Hoc interest inter timorem tuum, timoremque Latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit Latrocinium, tu autem ejus pœnam times, quem fallere non potes, nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit*, & rursum in Psalmum 67. *Timendo qui, facit serviliter facit*, & in libro de Spiritu, & littera cap. 24. *Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit, non enim fructus est boni operis, qui de charitatis radice non surgit*; quod clarius adhuc reperit Conc. xi. in Psalmum 118. *Qui timore pœnæ*, inquiens, *non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit, quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc Legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione, & voluntate*. Ex tot Augustini Testimoniis, a quibus non discrepant D. Bernardi, e D. Thomæ Sententiæ in 2. 2. q. 19. a. 9. facile colligitur Attritionem mere servilem non excludere peccandi voluntatem, sive impium per Attritionem mere servilem conceptam, videlicet ex solo Pœnarum metu, vere non odisse peccatum. Primo quia voluntas efficax assumit media apta ad malum fugiendum, quod timet, sive postea hæc efficacia sint in intentione, sive in executione. In casu autem præsenti peccator dolet de peccato, quia opponitur suo proprio commodo, non quia opponitur justitiæ. Secundo quia ille qui ita dolet, non odit ipsam peccati malitiam, sed gehennam, non quia amet bonum eidem peccato oppositum, sed quia amat solam suæ animæ quietem, quam timet doloribus perturbandam, *propterea enim timentur*, inquit Augustinus Sermone 214. de tempore cap. 3. *& apud inferos pœnæ*. Non negatur certe, quod & timori gehennæ, & considerationi turpitudinis peccati conjungi possit voluntas non peccandi, ne conditionalis a Concilio Tridentino posita, *Si voluntatem peccandi excludat*, nugatoria videatur, sed dicimus quod ubi verificetur hæc conditio, non amplius est Attritio mere servilis, sed Contritionis species, ut infra patebit. Ex hoc vero non sequitur, quod quia illæ, qui ex metu gehennæ abstinet a peccato, in suo peccato conditionate non vult perseverare, aut gehennæ metum esse peccatum, ut blasphemabat Lutherus; sunt enim aliæ res gehennæ metus, & affectus ad peccatum, & hic affectus non oritur ex timore gehennæ, sed ex corrupta hominis voluntate. Timor itaque gehennæ sanctus, & bonus est, cum ex se retrahat a peccando, impediendo opus externum peccati, sed quia conjunctus est cum mala voluntate, corrupta hominis voluntas eo magis concupiscit, quo magis ab opere coercetur, & ita ille timor neque Contritionem gignit, neque Attritionem.

XX. Propositio 4. *Importunum est Concilii Tridentini Decretum citare, tamquam autenticum documentum sufficientiæ Attritionis conceptæ ex solo metu gehennæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati absque aliquo Dei amore ad recipiendam remissionem peccatorum, & justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ,*

 Hoc

Hoc repugnat Regulæ cui constantissime Tridentini Patres institerunt, *nullas sententias a Theologis esse dicendas, quæ e Sacris litteris, ex Apostolicis Traditionibus, ex Conciliis approbatis, & ex Constitutionibus, ex auctoritate Summorum Pontificum, a Sanctis Patribus, ex communi Ecclesiæ Catholicæ consensu non colligerentur*. Ita Palavicinus in histor. Concilii lib. 12. cap. 1. quam regulam innovarunt, ut idem Historicus restatur, tum paulo antequam haberetur Sessio decima quarta, ex cujus Sessionis capite 4. petitur doctrina sufficientiæ Attritionis, tum antequam ageretur de Sacramentis: *etenim* (ut doctissimus Cardinalis observat) *non modo in cunctis fidei Sanctionibus loca maxime propria, & intima sunt, quæ ab auctoritate petuntur, sed præcipue in rebus, quæ tunc tractabantur de Sacramentis in aperto erat cuncta pendere ab arbitraria Dei institutione, nulla fere humanæ ratiocinationi relicta opera, quæ certas ipsa perse consecutiones efficeret*. Nullum autem peti potest fundamentum pro dogmate sufficientiæ Attritionis mere servilis ex Scriptura, ex Patribus, ex Conciliis, ut infra probabitur; imò neque ex veterum Theologorum auctoritate, ut supra probatum est. Vanum ergo est, & importunum Tridentini Concilii decretum citare; quod certe non latuit doctissimos illos Præsules, & Theologos, qui eidem Concilio interfuerunt, & nihilominus in suis libris, & in suis concionibus docuerunt necessitatem inchoati amoris Dei super omnia ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, ut legitur in Catechismo, quem post suum reditum a S. Synodo edidit Fredericus Nausea Viennensis in Austria Episcopus, & in Tractatu 4. de Pœniten. c. 6. quem edidit Franciscus Somnius Episcopus Antuerpiensis.

Ex eo etiam eruitur Concilium nunquam intellexisse excludere necessitatem amoris Dei super omnia in illis, qui per Sacramentum reconciliari volunt, quod in cap. 6. Sess. VI. nemine contradicente, ut idem Palavicinus testatur in l. cit. lib. 4. c. 13. inter actus justificationi prærequisitos dilectionis actus inseruit ad instantiam Archiepiscopi Turritani, Lipomani adjutoris Veronensis, & aliorum. Hæc sunt ejus verba: *Ad id quod dicitur de dilectione Dei advertendum est per tenorem Decreti prius delineati nullam fieri dilectionis mentionem, sed Salvatorem Allepium Archiepiscopum Turritanum, Claudium Jajum S. J. Lipomanum Veronensis Adjutorem, & Pium Franciscanorum Præsidem monuisse, ut aliquis Charitatis actus insereretur. Cumque ad id omnium Patrum judicium relatum fuisset cum aliis præcipuis notis, viginti tres ex ipsis diserte illud comprobasse, adeoque insertum Decreto*. Verba vero Concilii in laudato cap. 6. Sess. VI. hæc sunt: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & dum Peccatores se esse intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata*. Ut patet ex his verbis. Tridentini Patres requirunt in adultis inchoatum Dei amorem, tamquam dispositionem

nem ad suscipiendum Baptismum, valde ergo consentaneum est, quod eumdem amorem non respuant ab illis dispositionibus, quæ præmittendæ sunt a suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ, & certe non ex congruitate, sed ex necessitate, quemadmodum necessario præmittendi sunt actus fidei, & spei, quibus dilectionis actus conjungitur a Patribus Tridentinis: *Visum est*: sunt verba ejusdem Palavicini in lib. 8. c. 13. *cum fide, & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si Pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset*.

Ad hæc si Tridentini Patres in cap. 4. Sess. XIV. decernunt, quod fuit *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus necessarius*. Et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, quomodo sibi quis persuadere poterit voluisse postea Tridentinos Patres Attritionem mere servilem ad effectum hunc elevare, cujus motus nullo tempore fuit necessarius? Hinc est, quod cum iidem Tridentini Patres definiverunt Sacramenti Pœnitentiæ materiam, Confessioni, & Satisfactioni præmiserunt, non quidem Attritionem, sed Contritionem, quod certe non fecissent, si Attritio cujuslibet inchoati amoris Dei expers, satis fuisset ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. Hæc sunt verba Concilii in cap. 3. Sess. XIV. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur*, hic ratione Pœnitentiæ partes dicuntur, & infra canone 4. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit*. Ex quibus definitionibus sic licet argumentari: Ex Dei institutione Contritio requiritur ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem, ergo Contritio omitti non poterit: ergo si deerit Contritio, Sacramentum vero effectu frustrabitur, quando ergo potuerunt Tridentini Patres definire Attritionem mere servilem satis esse, & sufficere ne Sacramentum suo effectu frustretur? Verum hoc non dixisse Patres Tridentinos, cuilibet consulenti verba capitis 4. facile patet; imò neque credendum esse illos dicere voluisse Palavicinus fatetur in sua laudata Historia, cum in cap. 10. libri 12. hæc inferat: *Præterea oportet scire postea Decretis Doctrinam complexis, verba hæc fuisse adiecta: illam Contritionem, quam Theologi Attritionem vocant, quod imperfecta sit. Et solum, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur concipiatur si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de delictis commissis exprimat, statuit hæc Sancta Synodus, & declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, ut quidam blasphemare non verentur, verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus Constitutionem, ac Donum Dei esse, ac Spiritus S. impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam di-*

spo-

sponitur. Sed laudatus Episcopus Joannes Emilianus Hispaniensis Tudetanus Antistes monuit, falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse &c. Quod autem hæc Attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare Auctorum Sententias, adeoque id esse tollendum, quamobrem Decretum sicut nunc extat reformatum est. Observantur scilicet in Decreto inter cetera hæc verba fuisse subpressa, *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat*, & subpressum verbum *sufficere*, & in ejus locum suffectum verbum *Disponit*, ut sensum illum habeat, quem Catholici Doctores contra Lutherum usurpabant, siquidem nihil aliud sibi Tridentini Patres proposuere, quam damnare Lutheri errorem, id vero tantummodo impetrare Catholici Doctores voluerunt, quod timor valeret ad parandam pœnitentiam, quia timore conciperetur, & ita timor esset initium Pœnitentiæ remote tantum, & insufficienter. Hujus legitimæ explicationis testis est Lutherus ipse ita scribens de Catholicorum doctrina: *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, hæc illa est, quam ipsi Catholici vocant extra Charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proxime disponentem ad Contritionem; sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico*, & contra hunc errorem est Canon v in quo non dicitur, quod Attritio satis sit ad gratiam in Sacramento recipiendam, sed tantum, quod sit dolor verus, liber, utilis, præparans ad justificationem, & ita Hæretici etiam illi, qui scripserunt contra Synodum Tridentinam illius de Attritione decretum intellexerunt, nimirum Patres egisse de dispositione remota tantum, & insufficiente. *Ut Leonis Bullæ*, ita scripsit Kemnitius in parte 2. Exam. Cap. 4. *qua doctrina Lutheri damnata est, aliqua ratione patrocinentur, dicunt Contritionem quæ ex agnitione peccati, & gehennæ metu, & impulsu Spiritus concipitur, si excludat voluntatem peccandi, viam, & gradum esse ad Conversionem*.

Neque ex his aliquis inferat non minorem efficaciam esse Attritionis extra Sacramentum, quia etiam extra Sacramentum remote præparat ad justificationem. Quid habet ergo amplius in Sacramento, ut discrimen illud statuatur, quod videntur indicare Tridentini Patres? Ceterum si quis attente perpendat, & verba, & intentionem Concilii, profecto intelliget Concilium ita esse locutum, ut nullus sibi persuaderet Attritionem inutilem esse ante ejusdem Sacramenti receptionem, ut igitur cognoscatur, quod revera inutilis non est, ideo addidit, quod Peccatorem disponit ad impetrandam gratiam in Sacramento. Præterea si Concilium voluisset statuere discrimen inter Attritionem extra Sacramentum, & Attritionem cum Sacramento conjunctam, oppido non ita dixisset. *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, sed ita dixissent: *Quamvis &c. illum tamen in Sacramento ad eam perducit*. Constat igitur veritas expositionis ex verbis ipsis Concilii; Quæ veritas confirmari potest ex hac altera paritate rationis. Nemo inficias ibit, quod si Concilium Actum Attritionis mutaret in Actum fidei, & diceret: *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ Fides per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, nemo inquam inficiaretur Tridentinos Patres docuisse, *Fidem satis esse, ut Peccator justifica-*

ficaretur in Sacramento Pœnitentiæ. Satis igitur est præoccupatum non habere animum, ut cognoscatur, quam vere sit dictum: Importunum esse Concilii Tridentini Decretum citare tamquam autenticum documentum sufficientiæ Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ.

XXI. Propositio 5. *Non est inverissimile Concilium Tridentinum Attritionis nomine etiam intellexisse dolorem conceptum ex incboato amore Dei super omnia.*

Ratio est. Adducit exemplum Ninivitarum, quorum Attritioni, si revera attribuenda est peccatorum remissio, procul dubio, quia inchoatum saltem Dei amorem præseferebat; Præterea Concilium Attritioni attribuit, quod antea attribuerat Contritioni, ut scilicet *voluntatem peccandi excludat, & cum proposito melioris vitæ conjungatur*, ut dicit in Canone 5. Sess. XIV. Confirmari etiam potest ex hoc, quod Tridentini Patres jusserunt expungi a Decreto, quod Theologi delineaverant adverbium *solum*, & reliquas voces, *qui timor Servilis dicitur*, quod fecerunt, ut intelligeretur illa Attritio, quæ ex alio motivo, quam a metu gehennæ, & consideratione turpitudinis peccati oritur, scilicet ex Dei amore. Nec contrarium licet suspicari, aut quia ipsi Patres noluerint superesse in Decreto verbum *sufficit*: aut quia præcipuus eorumdem Patrum scopus in edendo illo Decreto fuerit damnare Lutheri errorem in eo positum, quod vellet Attritionis actum mere servilem ex metu gehennæ conceptum esse malum, & iniquum; nam ideo primum noluerunt, ne quis putaret ipsos voluisse proscribere Sententiam illorum Theologorum, qui asserebant solum intensum, & ferventem amorem, qui plures Charitatis gradus complecteretur sufficere, non vero remissum, licet esset super omnia. Dum vero secundum respexerunt, certi sumus, Lutherum quemcumque dolorem reprobasse, veluti rem absurdam, & malam, antequam impius justificaretur; unde etiam ex hoc capite inverisimile non videtur Tridentinos Patres voluisse definire Attritionem oriri etiam posse ex amore Dei super omnia, & consequenter bonum esse motum. Verum tamen est, quod etiam si possint esse probabilia ea, quæ in hac Propositione notavimus, nihil tamen ex his fundamenti esse potest iis, qui patrocinantur Sufficientiæ Attritionis mere servilis.

XXII. Propositio 6. *In Scripturis, & antiquissima traditione nihil habemus, quod suffragetur imperfectæ Attritioni, quæ amore Dei super omnia saltem incboato vacua sit.*

Ipsi adversarii hoc ingenue fatentur, quibus nullum suppetit ex his fontibus argumentum, ut suam opinionem tueantur. Ne vero quod actum est iterum agere videamur, singula illa loca omittimus, quæ probant nostram Propositionem, quia in 1. §. hujus capitis, & in sequentibus legi possunt. Unum hoc addo, necesse esse juxta Apostolum Paulum 1. ad Cor. 13. quod ille se nihil esse coram Deo cognoscat, qui Charitatem non habet, etiam si linguis hominum loquatur, & Angelorum: ergo quomodo poterit credere se esse sufficienter dispositum, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, qui ita dolet, ut illum nihil, aut saltem umbra Divini amoris impellat? Quomodo per Sacramentalem absolutionem Christo copulabitur, qui cum sit expers amoris Dei illum esse anathemate feriendum idem Apostolus prædicat? *Illos*, inquit Magnus Gregorius homil. 26. in Evangel. *non debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gra-*

gratiam non vivificare. Neque nos nimium velle opponendum est, quasi vellimus impium vivere antequam a Sacerdote absolvatur. Clarum enim est nos vitam illam exigere, non quæ sequitur ex charitate habituali infusa, quæ hominem justum facit, sed vitam illam spiritualem, quæ imperfecta est, & quæ habetur per actum amoris Dei. Hanc distinctionem suppeditat S. Ambrosius in lib. 1. de Pœnit. cap. 10. ubi Samaritani Evangelici casum accomodat lapso reconciliationem petenti: *Potest fieri*, inquit, *ut aliquem de Jerusalem in Hjerico, hoc est de Martyrii certamine relapsum in istius vitæ cupiditate, sæcularique gratia vulneratum a Latronibus, hoc est a Persecutoribus, & semivivum relictum, Evangelicus ille Samaritanus inveniat, & non prætereat eum, sed curet, & sanet. Fortasse ideo non præterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoscit, unde possit vitam resumere. Nonne vobis videtur ille, qui lapsus est semivivus esse si vitale aliquid fides spiret? Si semivivus est infunde vinum, & oleum*. Dinstinctionem eandem usurpavit S. Cyprianus in Epist. 52. ubi impios reconciliationem postulantes vulneratis comparans ait. *Operam nostram, medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos persecutione funesta sauciatos videmus. Qui si in totum mortui essent, nunquam de iisdem postmodum Confessores, & Martyres fierent. Sed quoniam est in illis, quod Pœnitentia sequente revalescat, ad fidem, & virtutem de Pænitentia robur armatur*. Et ex his auctoritatibus constat 1. tum Cyprianum, tum Ambrosium in peccatore, qui absolvi postulat cognoscere aliquod principium vitæ, quamquam imperfectum, quæ vita postea perfecta fit per Sacramentum Pœnitentiæ. Constat 2. Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ presupponere primam vitam illam, ne homini mortuo medicamentum propinet. 3. demum constat a primis usque Ecclesiæ Sæculis doctrinam hanc invaluisse de necessitate hujus dilectionis, saltem inchoatæ, ut quis cum fructu Pœnitentiæ Sacramentum reciperet. Efficaciora essent alia Loca, quæ laudari possent ex ejusdem Cypriani libro de lapsis, & ex S. Ambrosii libro, quem scribit ad Virginem lapsam, ex Augustini Sermone 7. de tempore, ex Jo. Chrysostomi homil. 4. in 2. Epistolam ad Corinth. & ex Gregorii Magni Commentariis in caput 22. libri Job. sed hæc omittimus, quia ab Adversariis non negantur; licet aliqui velint Cyprianum, & Ambrosium agere de peccatorum remissione extra Pœnitentiæ Sacramentum obtinenda, quod tamen falsissimum est de Ambrosio, quia id non colligitur ex ejus verbis, quæ sic leguntur in cap. 8. libri citati. *Sed quanta putas, & qualis necessaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat!* Et post commemorata gehennæ supplicia, & descriptos corporis cruciatus, quos ipsa erat subitura, Sententiam concludit Prophetæ verbis: *Convertimi in toto corde vestro in jejunio, & fletu, & planctu*. De Cypriano vero, quia postquam lapsis indixit, ut ad Dominum toto corde redirent, modum etiam præscripsit dicens. *Confiteantur singuli, quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in Sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est &c.* Neque D. Thomas aliud docuit agens in a. 5. q. 85. partis 3. suæ Summæ de actibus, quibus peccator disponitur ad justificationem: *Primus actus*, inquit, *est motus fidei. Secundus motus timor servilis. Tertius est motus spei, quo quis spe veniæ consequendæ assumit Propositum emendandi. Quartus est motus Charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum*

dum se ipsum, & non jam propter supplicia, eadem docuit S. Doctor. in a. 3. ad 4. & in 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. describens differentias, quæ assignantur inter legem novam, & veterem, quo ad hoc, ut quis a peccatis recedat, timori, & amori hunc effectum attribuit, & sine charitate hoc fieri non posse rursum docuit in cap. 72. libri 4. contra Gentes. Eamdem necessitatem defendit Albertus Pighius in suis controversiis Catholicos inter, & Lutheranos Controvers. 7. f. 139. Eamdem tuetur Joannes a Deventria in responsione ad articulum 1. Confessionis Augustanæ. Neque aliud exigit Petrus Soto in suis Catholicis assertionibus Titulo de Pœnitentia Catholica; ita ut portentum sit per 1550. annos, aut aliquem ex SS. Patribus, aut ex Theologis velle invenire, qui dixerit alium a Contritione, quæ ex Dei amore nasceretur dolorem, satis esse in ipso etiam Sacramento.

Quis ergo ubi hæc ita esse intellexerit, videlicet totam retro antiquitatem nobiscum sensisse, statim non audiverit suis auribus insusurare tritum illud Patrum axioma: *Tene certum, dimitte incertum*, quo olim usus est Augustinus, ut Donatistæ persuaderet Baptismum in Ecclesia Catholica recte suscipi potius, quàm apud Schismaticos. *Quid enim*, ait in libro de fide, & bonis operibus cap. 19. *opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* Jam ubi urget vitæ exitus, præcipui defensores Attritionis mere servilis, cum illa sola Sacramentum Pœnitentiæ negant recte suscipi. *Ubi est morale dubium*, inquit Suarez loco supra citato, *ibi est morale periculum, cum illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis fit*, Cur & non extra mortis periculum idem non licere affirmabitur? *Quando dubium est*, sequitur idem Suarez *de re ipsa, seu effectu, an fiat nec ne, tam dubium speculativum, quam practicum sufficit ad rem ipsam in periculo constituendam.* Effectum autem Sacramenti Pœnitentiæ, quod præcessit sola Attritio mere servilis manere dubium, plurimi etiam ex Theologis labente Sæculo decimo sexto, & deinceps tradiderunt, & inter ceteros Toletus, qui in sua instructione Sacerdotali edita a. 1599. 1600. 1601. Antuerpiæ, aut Coloniæ Agrippinæ lib. 3. cap. 4. n. 8. post recensitas imperfectæ Attritionis species ita scribit: *Prima quidem Attritio, si talis sit, ut cognoscat Pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali caussa & pœnæ inferni, quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum, imò qui sic accederet peccaret denuo, & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum.* Reliquos recensere omitto Theologos quorum testimonia refert vir doctissimus Joannes Launojus in dissertatione de mente Concilii Tridentini circa Contritionem, & Attritionem, solum laudo judicium Academiæ Lovaniensis editum die ultima Maii a. 1662. in quo legitur *Attritionem, quæ ex solo metu gehennæ, aut Pœnarum a Deo infligendarum concipitur sine interventu alicujus, saltem imperfecti amoris benevolentiæ, ergo Deum non sufficere ad justificationis, gratiam in Sacramento impetrandam*: laudo declarationem Cleri Gallicani factam in generalibus comitiis anni 1700. & demum laudo regulam, quæ in Diplomatibus Indulgentiarum apponitur, ut iis solum prosint, qui contriti, & re vel voto Confessi fuerint. At si Attritio mere servilis certa, & idonea pars esset Sacramenti Pœnitentiæ, Pontifices, vel mutassent usitatam loquendi consuetudinem, vel temperassent, ita, vel similiter scribendo. *Fideles contrito, aut attrito corde confiteantur*, aut *vere penitentibus contritis, vel attritis, & Confessis Indulgentiam; & remissio-*

sionem peccatorum suorum concedimus. Hoc autem cum Pontifices minime fecerint, argumentum est, eos prætermissa nova Scholasticorum opinione, antiquam retinuisse, in qua statuitur, id quod cuique certum est, Attritionem præcipue conceptam ex amore Dei super omnia satis esse, ut Sacramentum valeat, & operetur.

Novitatem Sententiæ invexit illa controversia, quæ a tempore Lateranensis IV. Concilii in Scholas Theologorum audiri cœpit, in qua controversia potestas ligandi, & solvendi, remittendi, ac retinendi peccata aliter, quam antea tractata est. Asserentibus nonnullis clavium virtutem immediate proxime, ac directe operari culpæ remissionem, & Attritionem proinde legitimam esse posse Sacramenti partem, vel ad illud præparationem. Sed aliud est Clavium virtutem, & primam Sacramenti partem, vel idoneam ad Sacramentum præparationem, cum dialecticis, aliud cum Ecclesiastica traditione interpretari, & propterea Synodus Tridentina in IV. Sessione jubet: ad *coercenda ingenia petulantia, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium Sacram Scripturam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat*.

Post idem Lateranense IV. Concilium nova quoque invaluit locutio, qua plures Theologi usi sunt ab incœpto Tridentino Concilio. Vincentius Bellovacensis, aut primus, aut certe unus ex primis fuit, quem usum fuisse hac locutione deprehendimus ex capite 27. libri 8. Speculi Historici, in quo hæc leguntur: *Virtute Confessionis, & absolutionis, vel datur, vel augmentatur dolor, & detestatio peccati, & datur gratia, qua de Attritione fiat Contritio*. Ex hac vero, altera rursum locutio nata est, in qua dicebatur posse aliquem ex attrito fieri Contritum. Mirum est, quod ex his locutionibus credant aliqui confirmari Dogma Attritionis mere servilis, & potius non repetant verum sensum harum propositionum ex principiis illorum Auctorum, a quibus prodierunt, apud quos in hoc solum Attritio a Contritione differebat secundum magis, & minus, non secundum speciem, quod vellent Attritionem remissum amorem includere, intensum vero, intensiorem, & intensissimum Contritionem. Hunc certe sensum intellexit S. Carolus Actorum parte 4. de instructione Pœnit. *Antequam Sacerdos Pœnitentiam imponat, & absolutionem tribuat pœnitenti videbit an propter Deum veram peccatorum suorum Contritionem habeat, an que certum, & deliberatum ei sit imposterum, quantum in se est Divina gratia adjuvante a peccatis abstinere, & quæ antea commiserit pro iis satisfactionem persolvere. Quod si ita animo affectum viderit, monebit, valdeque hortabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cælestis gratiæ præsidium petere nunquam desinat, quo adjutus pravis cupiditatibus resistere possit. Si vero talem Contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens propter Deum ipsum usque adeo quantum potest eum peccata dolere oportere, ut saltem adjutrice Divina gratia, quam a Deo intime precetur, Sacramentalique virtute ex attritio contritus fiat*. Duo sunt propter quæ satis aperte constat Sanctum Carolum in sensu a nobis exposito suam propositionem usurpasse, primum verba ipsa, quibus suam admonitionem circumscribit, alterum quod Theologi, qui pro Attritione mere servili pugnant, dissimulant hanc tanti Præsulis Sententiam. Eumdem sensum intellexerunt laudatus Bellovacensis in loco citato, Guillelmus Antisiodorensis de Sacramento Pœnit. pag. 444. & Jo-

Joannes Molanus in Tractatu primo Capite 7. Theologiæ Practicæ ubi inquit: *Saniores Scholastici cum asserunt virtutem Sacramenti Confessionis ex attrito hominem contritum facere, loquuntur de ea Attritione, quæ adjunctum habet affectum, quo Pœnitens incipiat diligere Deum tamquam justitiæ fontem*, imò etiam ipse Jo. Duns Schotus ab his non disensit, licet novum esset id, quod ipse de Attritione asserebat in lib. 4. Senten. dist. 4. q. 2. cum scripsit. *Contritio sumitur duobus modis, uno modo pro actu formato, & sic quilibet dolor antecedens infusionem gratiæ erit Attritio quantumlibet perfectus. Idem autem continuatus infusa gratia, erit Contritio, sive perfectus sit, sive imperfectus*, nam ex terminis hujus expositionis patet Schoto fuisse persuasum Attritionem, quæ hominem Deo reconciliat, antequam actu recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ continuata transit in Contritionem non fuisse duos, sed unum & eundem actum amoris Dei, & solum inter se distingui ex majori, vel minori eorumdem intensione, & propterea hoc axioma *impius ex attrito fit contritus* significare Attritionem per Sacramentum recipere formam, quæ solet perficere actus, & habitus singulos, qui in impio præcesserunt Sacramentalem absolutionem. Ultro tamen concedimus non singulos Theologos, quibus hæc novitas locutionis arrisit ita de Attritione sensisse, nihilominus nunquam sub illis propositionibus sensum veritati contrarium occultarunt. Rem hanc sic explicat Paleotus Cardinalis in Constitut. Bononen. in parte 3. Sermonis de Sacramento Pœnitentiæ his verbis. *Rursus etiam, quamvis dolor non potissimum ex timore Dei, sed potius ob suppliciorum metum excitaretur, ita veram rationem Contritionis non attingat, quin potius Attritio dicenda esset, non tamen ideo peccator a spe salutis, & consequendæ veniæ excidat, ut a Tridentino Concilio declaratum est* (Sess. XIV. cap. 4.) *quoniam iste dolor ad verum Dei timorem, & gratiam in Sacramento disponit, unde virtute Sacramenti ex attrito contritus dicitur*. Rem adhuc totam clarius exponit Alfonsus Salmeron Tom. II. tract. 22. *Hic dolor*, inquit, *etsi per se sit imperfectus, in Sacramento tamen conjunctus remissionem efficit Peccatorum. At est alius dolor ex gratia Dei, & charitate profectus, qui Contritio dicitur, atque hic peccatum valet per se ante Sacramentum tollere, secus prior, qui dicitur Attritio: quare recte dictum est a Sacris Theologis attritum virtute Sacramenti posse fieri contritum quemadmodum puer in virum potest evadere, aut frigidum potest esse calidum.* Sed Attritio nunquam potest fieri Contritio, sicut nec puetitia virilis ætas, aut frigus calor effici potest. Repugnat siquidem dolorem simul esse imperfectum, atque perfectum, quamvis minime repugnet eum, qui imperfecte detestatur peccata, accedente nova Dei gratia, & liberi arbitrii conatu, perfectum de illis odium, & detestationem concipere. Paleotus igitur, & Salmeron novitatem locutionis sic explicant, quod post Attritionem venit Contritio, vel sicut dicimus ex mane fit meridies, & ex injusto fit justus consecutive, quem explicandi modum etiam tenuit Joannes Viguerius in suo tractatu de Sacram. Pœniten. versu 10. de Contritione, addiditque: Postquam aliquis est attritus fit contritus Attritione definente propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor Dei filialis, vel Deus summe dilectus, & hæc fuit opinio D. Thomæ in quartum. Unus est Lutherus, qui in libro de Captiv. Babylon. cap. de Pœnitentia asserebat Catholicos audaciores, & pejores factos finxisse quamdam Attritionem, quæ virtute clavium, quam ignorabant, fieret Contritio, sed ut supra notavimus mendacium est, & calum-

lumnia, loquendo de Attritione, quæ in re ipsa specie differat a Contritione, nam si quis cum se pœnitet de commissis inefficaciter, tamen proponit postea abstinere per quamdam veleitatem, aut si de commissis pœnitet, cum proposito postea a peccato non recedendi, tales Attritiones constat esse insufficientes, & easdem numero non posse Contritiones fieri, cum res de specie in speciem transire non possit. Ludovicus Granatensis dixit certe in sua Concione 1. in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli Sacerdotes clavium virtute ex attritis contritos facere, sed plurimum hic loquendi modus distat a Lutheri ingenio, ut patet ex iis, quæ ipse scripsit in cap. 8. de Sacramento Pœnit. numero 1. & 3. & in cap. 9. de Contritione prima Pœnitentiæ parte n. 1. & 2. in quibus hic auctor veram in Pœnitente Contritionem exigit; unde quando ait clavium virtute ex attrito fieri contritum, id intelligit per Attritionem, quæ in Contritionem mutetur juxta superiores explicationes.

XXIII. Propositio 7. *Cum mala sit voluntas illa, quæ in ea, quæ fides, & recta ratio præscribunt proprio pondere non fertur, sed metu Pœnarum, & spe remunerationis, ideo dicimus, quod quamquam bonus sit iste timor, & laudabilis hic concupiscentiæ amor, tamen non sufficit, ut gratiam quis in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, sed requiritur saltem incboata Charitas, ut efficax sit odium peccati, & propositum non peccandi de cetero.*

Aliquibus tamen hic Amor Charitatis non videtur in lege Evangelicæ necessarius, tum ne utriusque Testamenti ritus misceantur, & gravius imponatur onus filiis Liberæ, quam Ancillæ quoad hoc, ut illi Justificarionis gratiam consequantur præmisso Charitatis inchoatæ actu, & absolutione Sacramentali, quæ in veteri testamento necessaria non fuit: tum si consideretur ejusdem Sacramenti Pœnitentiæ efficacia: tum demum ne gravissimis terroribus, scrupulis, & dubiis exponatur Pœnitens, qui cum scire non valeat, ardeat nec ne charitate, semper timeret se non rite esse dispositum ad gratiam in Sacramento suscipiendam. Nihilominus quia hæc nostra Propositio cohæret cum Scripturarum auctoritatibus, neque disentit a Patrum doctrina, ut probavimus agentes de insufficientia Attritiones mere servilis, nihil aliud superest, nisi quod æquioribus Theologis demonstremus ita etiam sensisse Tridentinos Patres, & id exigere Sacramenti Pœnitentiæ naturam.

Primum legimus in sæpe laudato cap. 4. Sess. XIV. cum Tridentini Patres profitentur Contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum: idem legimus in cap. 3. & can. 4. ejusdem Sess. ubi Contritionem definiunt esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & in cap. 6. Sess. VI. in quo inter præparationes ad recipiendam in Sacramento justificationem ponunt, quod Deus tamquam omnis justitiæ fons diligatur. Paulus itaque & Michael de Palatio de Tridentina Synodo locuti justum disputandi modum excesserunt, cum ille in cap. 16. Matth. ait, *super hac re jam opinari non licere, quippe quæ sit a Concilio Tridentino definita sub Julio III.* iste cum in 4. Senten. dist. 18. disp. 2. *Concilium Tridentinum.* ait, *imposuisse finem huic controversiæ*. Nemo facile credet duos hos Auctores magis Concilii mentem assecutos fuisse, quam illos Episcopos, & Doctores, qui Synodo interfuerunt, & Sess. XIV. Sententiam dixerunt. In Propositione IV retulimus testimonium Frederici Viennensis Episcopi, & aliorum, quibus addimus Franciscum Ricardotum Attrebatensem Episcopum, Simonem Viguerum Ar-

Archiep. Narbon, Gentianum Herveтum, Guillelmum Caſſadorum, & alios: falsum igitur neceſſe eſt eſſe id, quod ii Auctores definitum eſſe a Concilio contendunt de ſufficientia Attritionis mere ſervilis, ſive quod idem eſt, de ſufficientia amoris concupiſcentiæ, non Charitatis, & Concupiſcentiæ. Duobus illis ducibus alii ſeſe commiſerunt. Meminit cujuſdam Henrici Salmaticenſis Alfonſus Vivaldus in Candelabro Aureo titulo 6. qui in ſuis ſcriptis dixit *per Concilium Tridentinum admitti hanc opinionem de Attritione cum Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum ſufficere, & tamquam veram in Academiis Italiæ, & Hiſpaniæ practicari, ſicque Magiſtros Salmanticos eam recepiſſe*. Nimium certe ſibi arrogat hic Henricus, neque illi innotuerunt plurimi magni nominis Theologi, inter quos Buſtius, Silveſtranus, Pulenterius, & Benedictus a Benedictis, qui pro neceſſitate Contritionis pugnarunt.

Quod vero Tridentini Patres per illa verba: *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, intellexerint amorem Charitatis, ex eo patet, quod Deus diligendus eſt, ut in ſe eſt, & dum ita diligimus Deum, illum diligimus, ut fontem omnis juſtitiæ, & ſicut amatur Sapientia, & Veritas, & Sanctitas, & Juſtitia, & Charitas, ut in libro de catechizandis rudibus capite 27. Auguſtinus explicavit. Verum non ſolum Auguſtinus hanc conditionem Amoris explicavit, ſed ipſi Tridentini Patres, dum in eodem decreto inſeruerunt inter diſpoſitiones etiam neceſſitatem amoris illius, qui amor ſpei appellatur, & hunc diſtinxerunt ab amore charitatis, & certe Patres, qui in Seſſione 6. poſtularunt, ut in decreto, in quo nulla facta fuerat mentio dilectionis, hæc etiam inter diſpoſitiones insereretur, hanc nuncuparunt, ut narrat Palavicinus in lib. 8. cap. 13. ſuæ hiſtoriæ, *actum Charitatis*, quæ additio licet nonnullis diſplicuerit, eo quod vellent Charitatem non diſpoſitionem, ſed effectum eſſe Sacramenti, tamen retenta eſt, ut ſignificaret non habitum charitatis, ſed aliquem actum dilectionis, cum fide, & ſpe jungendum eſſe, quia ſi Pœnitentia tota eſſet ex timore ſine amore juſtitiæ, foret infructuoſa, deficeret enim odio peccati ſuper omne odibile, quod pendet a dilectione Dei ſuper omne diligibilis, & hoc eſt alterum, quod dicebamus exigere Sacramenti Pœnitentiæ naturam, quia dolor ſine charitate per ſe non ſufficit ad excludendam omninò voluntatem peccandi, ſine qua homo non præparatur ad Peccati remiſſionem per Sacramentum Pœnitentiæ conſequendam. *Ad juſtificationem impii* dicit D. Thomas in 1. 2. q. 113. a. 3. *requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum: Converſio autem fit per fidem ſecundum illud ad Hebræos 2. accedentem ad Deum oportet credere: motus fidei non eſt perfectus niſi ſit charitate informatus, unde ſimul in juſtificatione impii cum motu fidei eſt etiam motus Charitatis.*

Unde vero repetant Attritionis mere ſervilis Patroni nullam eſſe neceſſitatem hujus actus Charitatis Dei ſuper omnia in eo, qui vult Pœnitentiæ Sacramentum recipere, non conſtat omninò. Imaginarium ſiquidem eſt, quod ex hoc repetatur, ne utriuſque Teſtamenti ritus miſceantur, quaſi lex Evangelica voluerit homines ab amore in Deum jure naturali debito liberare.

Id certe non ſatis meditate ſcripſerunt cum potius, ex maxima illa dilectione, qua Deus ſic mundum dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret, inferat Auguſtinus, ut ſcribit in cap. 4. libri de catechizandis rudibus teneri homines Deum diligere. *Quis*, inquit loco citato *non redamare affe-*

ctet

ftet justissimum, & misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos, & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum filium suum. Ad hoc Divina nobis tam sedula erga nos, & tam profusa beneficentia commendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem. Satis habet Vetus Testamentum ut a novo distinguatur, absque eo quod discrimen ab eo petatur, quod Charitas, quæ olim Judæis satis erat ad gratiam, Christianis necessaria esse non debeat. *Hæc est*, idem Augustinus audiatur in cap. 17. libri contra Adimantum *brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum, Timor, & Amor, illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet: Sancta Ecclesia*, inquit Gregorius Magnus in caput 27. Job *simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat. Cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare.*

Huc faciunt Patrum omnium Sententiæ, quæ Christianis hominibus illa ipsa Scripturarum testimonia repetunt, quibus olim Judæi, ut ad Deum se converterent excitabantur: nec aliis testimoniis usi sunt ipsi Tridentini Patres in cap. 4. Sess. XIV. qui agnoverunt Contritionem illam, quæ olim erat necessaria, nunc pariter talem esse etiam cum Sacramento; *Declarat igitur S. Synodus hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum. Et certe qui illos sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo per singulos noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Affirmant iidem Tridentini Patres in cap. 1. Sess. XIV. quod ut se præparent homines ad gratiam in Sacramento Baptismi suscipiendam illa Pœnitentia nunc est necessaria, quæ erat ante promulgatum Evangelium, illa scilicet, quæ actum charitatis Dei super omnia includit.

Facit etiam quod in Evangelii promulgatione, ea quæ legis naturæ erant Christus non immutavit, quemadmodum neque a Deo fuerunt immutata in lege Mosayca, sed id solum effecit, quod Contritio esset materia Sacramenti novæ legis, quæ in lege naturæ, & Mosayca erat necessaria ad obtinendam remissionem peccatorum. Facit enim in singulis hominum statibus id, quod Angelicus p. 3. q. 86. a. 2. ait, *impossibile esse peccatum actuale mortale sine Pœnitentia remitti, loquendo de Pœnitentia, quæ est virtus*, cujus actus in articulo 6. quæstionis præcedentis dixerat esse contra peccatum ex amore Dei, & id quod S. Leo de dilectione Dei, & proximi scripsit in Sermone 7. de Jejunio septimi mensis: *tanta est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.* Corruit itaque primum adversariorum fundamentum.

XXV. Modo ab efficacia Sacramenti Pœnitentiæ alterum opinioni suæ postulant patrocinium. Optandum hoc illis esset, & concedendum, nisi oppositum sustinere nos cogeret contraria Patrum, & Conciliorum auctoritas. Egregie itaque Augustinus in cap. 3. sui Commentar. in 1. Epist. Joan. ponderat hanc efficaciam in Sacramento Baptismi: *Ecce*, ait, *accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus. Sacramentum habet, & magnum Sacramentum,*

tum Divinum, Sanctum, ineffabile. Considera quale, ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore, videat si habeat charitatem, & tunc dicat. Natus sum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor ungatur. Habet charitatem, aliter non se dicat natum ex Deo; sed habeo inquit Sacramentum. Audi Apostolum: Si sciam omnia Sacramenta, habeam omnem fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habeam nihil sum. Quod hoc in loco Augustinus scripsit de efficacia Sacramenti Baptismi, in pluribus aliis scripsit de efficacia Sacramenti Pœnitentiæ, imò scripserunt plurimi alii, tum Patres, tum Theologi, qui ante Concilium Tridentinum floruerunt, aut tempore ipsius Concilii, & post ipsum Concilium, quorum una, & constans opinio fuit *Jesum Præpositis Ecclesiarum tradidisse potestatem, ut & confitentibus Pœnitentiæ actionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*, ut scripsit Leo Papa I. in sua Epistola 91. vel ut ait Magnus Gregorius apud Bedam in libro scintillarum cap. 74. ut *Quos omnipotens Deus suscitat per compunctionis gratiam, illos Pastoris Sententia absolvat*, ut intelligamus Adversariorum argumentum esse de subjecto, ut ajunt, non supponente, quod supponat Sacramentum Pœnitentiæ prius peccatum remittere, quam fuerit remissum per cordis compunctionem, cum contrarium contingere dixerit Innocentius III. in 2. Psalmum Pœnitentialem. *Remisisti. Ut patenter ostendat, quod peccatum prius remittitur per compunctionem cordis a Deo, quam pronuncietur per Confessionem oris ab homine*, S. Thomas in supplemento q. 10. a. 5. *Confessio operatur præsupposita Contritione, quæ culpam delet*, Anselmus Cantuariensis ennarratione in cap 17. Lucæ, Paschasius Radbertus Corbejensis Abbas lib. in Matt. c. 16. aliique, quibus addi possunt Concilium Duzicense II. a. 874. in cap. 7. Cabilonense a. 813. in cap. 33. & usus multarum Ecclesiarum, in quibus Sacerdotes post inchoatum Concilium Tridentinum non aliter, quam a peccatis contritos absolvebant, *contritos* inquam Contritione perfecta, *nam hoc significare*, ait Vega, *nomen Contritionis cum simpliciter usurpatur*.

Ex hoc tamen non sequitur Confessionem non esse necessariam, cum ex Tridentino Concilio (ut alibi dictum est) efficacia Contritionis oriatur ex voto Confessionis, & dari non possit verus actus Charitatis Dei super omnia, qui votum Confessionis non includat. Adsunt præterea & aliæ rationes, quas Joannes Arboreus egregie collegit in Tomo 1. Theosophiæ c. 11. & Luthero objecit, qui verbis Prophetæ Regis abutebatur: *dixi confitebor adversum me injustitiam*. Illic, ait, *Propheta differit de firmo, & efficaci proposito, quo munitus Pœnitens pollicetur se detestaturum fervida quadam Contritione labem peccati, & licet Deus agnoscens hujus Pœnitentis mœrorem, tristitiam & gemitus, jam remiserit maculam, non propterea erit otiosa auricularis Confessio. Si enim, nec S. proposito, nec pio affectu vellet ad Ecclesiasticum ministrum contendere, sed contemneret claves regni Cœlorum Sacerdotibus commissas, non assequeretur a Deo delicti sui condonationem, & veniam, & quamvis a Deo priusquam se dejiceret ad pedes Sacerdotis remissa sit culpa, multis tamen rationibus properat ad salutem. Prima ad præstandum Deo, & S. Matri Ecclesiæ obedientiam, qui suis præceptis nos obstrinxerunt, ut ostenderemus nos Sacerdotibus. Secunda est per erubescentiam, & verecundiam, quam in Sacra-*

cramentali Pœnitentia perferimus, nonnihil pœnæ temporalis peccato debitæ exsolvatur. Tertia ut virtute clavium Ecclesiasticarum, & Sacramentalis absolutionis aliqua etiam pars pœnæ temporalis adimatur. Quarta ut rudes, & illitterati cum erudiuntur a docto Sacerdote agnoscunt gravissimam suorum scelerum sarcinam, & gravitatem, & qualitatem. Quinta ut confitentes accipiant a Sacerdote satisfactionis faciendæ mensuram, & modum, quid & quantum debeant pro satisfactione suorum delictorum agere. Verum de hac materia agemus suo loco. Modo ut ad principalius argumentum revertamur notamus cum his Theologis posse etiam liberaliter agi, ut salva efficacia Sacramenti Pœnitentiæ admittatur etiam necessitas actus charitatis Dei super omnia, quem actum illi efficaciæ nihil obesse jam supra demonstravimus in Prositione II. cum ex omnibus, quæ ibi diximus, tum præcipue ex postrema ratione, cui favet experimentum efficaciæ Passionis Christi, quæ cosummata erat, & tamen caussa salutis fuit iis omnibus, qui ab Adamo usque ad illius exitum decesserunt.

XXVI. Timent postremo Attritionis mere servilis defensores Fidelium conscientias illaqueari scrupulis, & terroribus inquietari si hæc necessitas actus charitatis Dei super omnia stabiliatur in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam recipiendam, & propterea illis placet eam sententiam tueri, quæ *Pœnitentibus favorabilior sit*, ut scripsit Vega, *& dignitatem Sacramentorum novæ legis magis commendet. Nescio an quid liberius dici possit. Hoc unum scio. Ad Scripturarum, & Patrum auctoritatem, ad perpetuam Ecclesiarum, & disciplinæ traditionem, non ad gratiam Pœnitencium statuendam esse pœnitentiæ conditionem, quam qui peccarunt, si salvi esse volent, necessario subire debent. Hæc pœnitentiæ vox est,* scripsit Hilarius enarratione super Psalmum 118. *lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis stratum meum rigabo, hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri. Non ad favorem pœnitentium* idem S. Doctor cap. 18. in Matth. *sed*, inquit, *ad terrorem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quæ in terris ligaverint idest peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in Cœlis quoque absoluti sint, aut ligati.* Qui autem sunt. qui nodis innexi relinquuntur, nisi homines, qui carent vera contritione? Imò contrarium facientes graviter peccare Ambrosius, Augustinus, aliique veteres affirmarunt, inter quos Cyprianus audiatur. *Si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præceptum rescindere, dans scilicet pacem nondum pœnitentia functis, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis, provocasse est iram non servasse sententiam nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere.* Unde Cardinalis Toletus in sua supra citata instructione Confessores monuit debere maxime considerare qualiter pœnitentes admittant ad Confessionem: *non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt*, & n. 10. rursum ait, *cum quis habet conscientiam se non accedere contritum, sed solum attritum, peccat sic accipiendo absolutionem, nec valida est Confessio*; neque disentiunt Suarez, & Sanchez, *si casus sit articuli mortis, propter grave damnationis periculum si forte hæc sen-*

sententia non esset vera, scilicet nullum actum charitatis Dei requiri in eo qui Sacramentum Pœnitentiæ recipit, *& quod materiam probabilem tantum, & non certam adhibeat, cum propter hoc exponit se periculo frustrandi Sacramentum effectu suo in quo*, ut inquit Vasques in 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 63. n. 6., *non minor est irreverentia contra Religionem, quam in efficiendo ipsum Sacramentum irritum defectu partis essentialis*. Quod si vero volunt Theologi favorabiliorem suis Pœnitentibus exhibere sententiam ad evitanda scandala, & ne scrupulis agitentur, possunt illis proponere ad consequendam gratiam per Sacramentum satis esse non ponere ei obicem, ideft non actu peccare in eorum susceptione & intendere illud juxta intentionem Ecclesiæ suscipere. Non defuit Theologus qui hoc docuit, sed Monilianus qui se quondam huic opinioni adhæsisse statim etiam doluit, & ex suis libris hanc propositionem expunxit in nova editione suarum Theologicarum institutionum. Sed neque hoc intelligimus quod Sacramentorum novæ legis dignitas, & potestas clavium tota pendeat ex Auctoris alicujus voluntate, & institutione. Alia esse Sacramenta non possunt, nisi qualia Sacramentorum Auctor J. C. instituit, cujus facti ratio nulla alia reddi potest quam ipsa facientis voluntas, non suscipientium commoditas. Scriptura itaque, & utraque Traditio Sacramentorum consulit dignitati, nobis autem aliquid loqui contra has regulas nefas est, ne *verborum licentia* ut in lib. 10. de Civit. Dei cap. 23. scripsit Augustinus, *etiam de rebus, quæ hic significantur, impiam gignat opinionem*.

XXVII. Hoc unum advertimus nemini mirum esse debere, quod Alexander VII. communem dixerit opinionem illam esse, quæ tuetur Attritionem mere servilem; nam Pontifex id non dixit, ut illi opinioni fundamentum veritatis accederet cum liberam utramque Theologorum sententiam dimiserit, & in alterutram partem nihil determinaverit, ut constat ex suo Decreto, quod supra retulimus, sed ad coercendam quorumdam audaciam, qui non attendentes veterem pœnitentiæ disciplinam, & Theologiam, licet Tridentino Concilio non interfuerint, quæ in eo Concilio gesta sunt, melius se putabant intelligere, quam qui magna cum pietatis, & eruditionis laude interfuerunt, & propterea ubique insusurrabant Concilium Tridentinum adeo expresse definivisse Attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiaverit adversus negantes, & propterea Alexander sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & Apostolicæ Sedi reservatæ prohibuit, ne quis auderet alicujus censuræ Theologicæ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam. An vero modo licite, & valide suscipiatur, & respective administretur Sacramentum pœnitentiæ iis, qui ad illud accedunt cum hac sola Attritione, quæ excludit omnem actum charitatis Dei super omnia post damnatam ab Innocentio XI. hanc propositionem. *Non est illicitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*? Tanti momenti res illorum judicio relinquitur, quos meminisse oportet præclaræ hujus Cypriani sententiæ epist. 11. *Præpositorum est præceptum tenere, & vel propugnantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam*.

CAPUT V.

DE CONFESSIONE.

I. EX ipso nomine intelligitur quid sit res illa de qua sumus modo disputaturi, de altera nimirum Pœnitentiæ parte, ut Tridentini PP. loquuntur in cap. 3. sess. XIV. quæ egreditur ab ipso Pœnitente dum confitetur actus suos ad plenam, & perfectam Peccatorum remissionem ex Christi institutione assequendam, Waldenses, Albigenses, & Wiclefiani in Calvinistis redivivi ii sunt, qui Confessionem insectantur, verum præter mendacia & calumnias, nullum efficax argumentum habent, urgentur enim a constantissima Ecclesiæ Traditione, & a moribus Catholicorum omnium, qui ubique Ecclesiarum, & per singula retro sæculo Confessionis usum retinuerunt. Ut itaque ex indubitatis, atque evidentibus, ambigua firmemus, & latentia declaremus tria in hac controversia inquirimus. 1. Utrum Ecclesia Orientalis Confessionis auricularis usum probaverit. 2 Utrum Confessionis auricularis usus in utraque Ecclesia fuerit perpetuus, & tertio demum utrum omnia peccata quæ sunt in Conscientia Pœnitentis necessarium sit in Confessione aperire. Sit itaque.

§. I. *Utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis usum Confessionis auricularis probat, & retinet.*

I. Contradicunt Novatores & falsam hanc propositionem ostendunt in illa parte, quæ tuetur usum Ecclesiæ Græcæ, seu Ecclesiæ Orientalis, negativo tamen argumento, quia altum sit de hac re silentium apud Auctores illos, qui de rebus & moribus illarum Gentium scripserunt, ex quibus Dallæus commemorat scripta Alphonsi Mindesii, Gasparis Paes, Emanuellis Almeidæ, Francisci Alvarez, Nicolai Godigni, Damiani a Goes pro Æthiopibus, & Abissinis, commemorat scripta Jarrici pro Indis, Antonii Gouveani, & Nicolai Orlandini pro Armenis, Alphonsi a Castro pro Jacobitis, & Arcudii pro Græcis in lib. 4. de Sacramentis cap. 2.

Neminem tamen latet nullius esse ponderis argumenta illa quæ negant, cum plurimæ occurrunt illius generis probationes, quæ positivæ dicuntur: nihilominus, quia potest aliquando, licet rarissime casus dari, quod hujusmodi argumentandi methodus probet, & legitimam inferat Conclusionem videamus utrum verificetur hic casus in hac præsenti materia. Consideranti vero, quod adversarii illarum sectarum doctrinam objiciunt, quæ Catholicæ Communionis non gaudent honoribus, sed Nestoriana, seu Eutychiana hæresi inficiantur, hujusmodi argumenti genus displicebit omnino, quod careat veritatis nota, quæ in peregrinis doctrinis reperiri non potest, a quibus cavendum esse monet Apostolus: *ne quis nos abducat, & in servitutem redigat.*

Ex hoc igitur, quod Dallæus meminerit hujusmodi barbararum gentium ex Schismaticis Sectis his, & ex earumdem sententiis audiat Dallæus speciem concludentis argumentationis. Egyptii Jacobitæ, quorum eruditione Alexandrina Ecclesia clarescit non respuunt, sed tamquam necessariam exigant Confessionem auricularem. Ita narrat Vanslebius in Historia Ecclesiæ Alexan-

drinæ

drinæ *inaugurato illius Ecclesiæ Patriarcha Confessarius nominatur ad recipiendas illius gentis Confessiones, quod credunt prodesse ad peccatorum correctionem, & ad veniam obtinendam illorum, quæ post Baptismum committuntur.* Non solum hoc narrat Vanslebius ex sententia illorum Scriptorum, sed etiam ut testimonium oculatum hujus Confessionis, quæ apud Alexandrinos viget, de qua etiam agunt Amba Severus illius gentis Episcopus, & alii, qui Directoria exhibuerunt ad has Confessiones coram Sacerdote rite peragendas. Idem Vanslebius refert apud se reperiri Vitas aliquorum Æthiopum, qui Christiana pietate insignes floruerunt, & Sacramentali Confessione muniti obierunt. Euchologia Græcorum exhibent orationes, quæ dicendæ sunt supra Pœnitentes confessos. Non certe frequentes sunt illorum Confessiones, sedentes confitentur peccata sua, pro peccatis tantum venialibus confessis nullam absolutionem recipiunt, quam tamen recipiunt a lethalibus, pro quibus ad normam Canonum pœnitentia injungitur. Non solum ex Euchologiis eruitur argumentum pro Confessione Græcorum, sed etiam ex aliis libellis pœnitentialibus, in quibus exponuntur ritus edendæ, & excipiendæ Confessionis &c. Ex Synodo Berhlemitica A. 1677. sub Dositheo Jerosolymorum Patriarcha ejusdem Sacramentalis Confessionis aliud argumentum sumitur, nam in cap. 15. sic legitur: *Pœnitentiæ Sacramentum, in quo & secreta includitur Confessio, tunc tradidit Christus cum dixit: Quorum remiseritis peccata remituntur eis &c.* Rursum ex Decreto Synodi CST. contra Cyrilli Lucaris Capitula a Cyrillo Berrhoensi A. 1638. celebratæ, ubi cap. 5. sic legitur: *Anathema Cyrillo dogmatizanti, & credenti non esse* VII. *Ecclesiæ Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam &c. Juxta Christi dispositionem, Apostolorumque traditionem, nec non Ecclesiæ consuetudinem. sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita Baptismum scilicet, & Eucharistiam*: eruitur pariter ex Synodo apud Jasium A. 1642. in qua damnata fuerunt Capitula ejusdem Cyrilli in quorum XV. sic legebatur. *In* XV. *respuit Ecclesiæ Sacramenta quinque, videlicet Ordinem, Confirmationem, Extremam unctionem, junctam Pœnitentiæ confessionem, & Sanctum Matrimonium, quæ quidem omnia tamquam sacra, & Divinam conferentia gratiam antiqua traditio nobis reliquit*: contra quod Capitulum ita Synodus respondit: *Calvinianam sapere hæresim, & a Christiana Orientalium professione longissime discrepare.* Constat igitur apud vetustissimas Orientis Ecclesias Confessionis Sacramentalis usum reperiri, & propterea falsum esse, quod Novatores objiciunt, nullam, exceptis Latinis, in toto orbe reperiri Christiani nominis gentem, quæ Confessionis auricularis ritum, imò & dogma ex omni parte improbet, & tueatur. Dixi *imò & Dogma*, ut adverterem ipsos etiam Græcos tres assignare partes Pœnitentiæ, *contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem*, quemadmodum ab eisdem definiri solet Confessio, *quod sit declaratio quædam, & enunciatio voluntaria, labiis, sive pectore facta propter ante commissas turpitudines, & voluntaria, dilucidaque secretorum cordis accusatio apud eum, qui legitimam, & canonicam habet potestatem*, quæ omnia leguntur in libello de Sanctis septem Ecclesiæ Sacramentis, qui habet Auctorem Gabrielem Philadelphiæ Metropolitam. Ipsa etiam Græcis est deprecatoria absolutionis formula, uti tradidit Clemens VIII. in Instructione super Ritibus Græcorum, in qua concessit, quod in casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possent Latinos absolvere utendo forma

 abso-

absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta, & postea, si voluissent, dicerent Orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverant.

§. II. *Confessionis auricularis usus perpetuus in utraque Ecclesia demonstratur.*

[illegible] bene audit hæc Propositio in Novatorum Scholis, in quibus [illegible] impugnatur, & Primo quidem, quod apud veteres reperiri us[illegible] documentum, quod demonstret Ecclesiarum Pastores consue[illegible] joribus erudiri, ut hoc munus audiendi Confessiones rite o[illegible]e contra fideles ad suos Pastores pergerent, ut obstricti pec[illegible]ulis per Sacramentalem Confessionem solverentur 2. quod singu[illegible] Scriptorum, qui fidelium actus Religiosos, & Ecclesiasticos com[illegible]nt nullibi Confessionis auricularis meminerunt 3. quod in vete[illegible] nullus tenebatur Sacræ Synaxi Confessus interesse, neque Con[illegible]etere in ipsis vitæ supremis, aut aliis anni diebus solemnioribus 4. demum, quod in omni Paganorum, & Hæreticorum multitudine facile non sit aliquem reperire, qui hanc arcanam Confessionem pulsaverit. Hæc sunt graviora Heterodoxorum momenta, sed si alia proferentur, prioribus confutatis, posteriora multo minus urgebunt.

III. Ut igitur ostenderem in singulis Ecclesiæ Sæculis invaluisse usum hujus secretæ Confessionis possem laudare verba Apostoli Pauli in prima ad Cor. 11. ***Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat***, nisi adversarii iisdem abuterentur ad probandum Apostolicis verbis unicuique fidelium post probationem sui factam esse facultatem Eucharistiam sumendi, nullamque apud alios Confessionem imperari, nisi dicendum esset Apostolum sibi contraria docuisse cum scripsit probationem per se ipsum esse faciendam. Licet tamen hoc testimonium deferatur, nihilominus a nobis animadvertere non omittitur inane opus esse quærere a Scriptura usum arcanæ Confessionis, & ex hoc, quod per Scripturam non pateat, hunc velle negare iniquum esse, sed neque in Scriptura habetur ne verbum quidem Confessionis Reformatarum falsi nominis Ecclesiarum, cujus certe Apostolus non fuisset oblitus ritum præscribere, qui Actorum 20. Ephesinorum Presbyteris, se nihil subtraxisse, ait utilium, quo minus annuntiaret ipsis, docuisse publice, ac per domos, se non subterfugisse, quo minus omne consilium Dei annuntiaret eis. Concludendum igitur est, quod si probationem indicit Apostolus, & vult, quod homo probet se ipsum, Apostolicæ Sententiæ legitima explicatio est, quod unusquisque suam conscientiam exploret, & si opus sit, emundet. De medio hujus emundationis non loquitur, medium tamen fuisse Pœnitentiæ Sacramentum, ministerio Sacerdotum perficiendum, inficiari nemo potest, quia hoc solum a Christo Domino erat institutum ad criminum expiationem; unde patet quod ab ipsis temporibus Apostolorum laudatum habemus usum receptum privatæ Confessionis communicare volenti, ut ex his verbis Apostoli inferunt Tridentini Patres in cap. 7. Sess. XIII. ne quis conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.

Sed ut auctoritatibus PP. usus hujus Confessionis probetur, advertimus jam

jam Novatoribus innotuisse testimonium, quod petitur, tum ex S. Irenæi l. 1. adversus hæref. c. 9. ubi Confessio narratur illarum Mulierum, quas Magus, & Hæreticus Marcus seduxerat, tum ex Tertulliani lib. de Pœnit. c. 9. in quo agitur de Exomologesi, cujus modum Tertullianus describit, & in qua *peccatorem Presbyteris advolvi*, ait, *& Charis Dei adgeniculari*, tum ex Cypriani Tractatu de lapsis, in quo Confessiones eorum recensentur, qui vel solum cogitassent de Sacrificio Idolis offerendo, vel de libellis ob Ethnicis Magistratibus accipiendis, tum ex Origenis homilia 3. in Leviticum, in qua eadem peccata in occulto admissa, vel facto, vel sermone, vel cogitatione Sacerdoti jubet pronunciare, tum ex Lactantii lib. 4. Divin. Instit. capite ultimo, ubi notas describens, quibus vera a falsa Ecclesia secernitur, Religiosam Confessionem, & Pœnitentiam recenset, quæ peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis salubriter curat. Tum ex Hilarii Pictaviensis Commentario in Matthæum, ubi Christum Apostolis concessisse potestatem dimittendi peccata scribit, & absolutionem eorumdem peccatorum Confessionem consequi. Hæc inquam testimonia advertimus ita jam innotuisse ipsis Novatoribus, ut illis opus sit ad inutiles explicationes confugere, ne fateri cogantur in primis quatuor Ecclesiæ Sæculis usum secretæ Confessionis extitisse.

Possunt profecto hi fingere, Patres incertum reliquisse, utrum ne loquerentur de Confessione uni in aurem Sacerdoti facienda, an toti Presbyterio, an etiam Laicis: utrum loquerentur de Confessione, quæ occulta potius quam publica peccata panderet? Sed neque aliquid detrimenti ex hac dubitatione patitur Sacramentalis Confessionis substantia, & necessitas, & usus; non secus ac, tum necessitati, tum usui, tum substantiæ Baptismi non detrahitur, quod olim una, vel trina fieret immersione, aspersione, vel effusione, & quod ab uno, vel a pluribus administraretur, hoc ipso, quod verbis Evangelicis consecrabatur. Hoc unum essentiale est, ut constans usus Confessionis salvetur, quod fideles in primis quatuor Ecclesiæ Sæculis peccata sua confiterentur ad Pœnitentiam, & veniam obtinendam, & quod occulta etiam flagitia panderent, qualia profecto erant illarum Mulierum crimina, & inpudici amores, quibus erga Marcum exarserant, ut in loco citato narrat Irenæus, & erant culpæ illorum, de quibus idem loquitur Cyprianus. *qui quamvis nullo Sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt*, & demum peccata illa de quibus agit Origenes laudata 3. homilia in Leviticum, cum scribit; *omni genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus. Si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri*; quod docuerat etiam Tertullianus in lib. cit. cap. 4. cum ait: *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per Pœnitentiam spopondit*, & colligitur ex his verbis Lactantii *Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat, cum non solum publica peccata, sed etiam secreta carnis imbecillitati subjiciantur*.

Nullam vero ingerant difficultatem verba nuper citata ex Origene, tum illa,

illa, quæ Tertullianus scripsit in cap. 10. libri de Pœnitentia cum inquit, *plerosque hoc opus* (scilicet Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, quod dixerat in capite antecedenti) *ut publicationem sui, suffugere, pudoris magis memores, quam salutis*, ita ut in his testimoniis solum habeatur documentum publicæ, non vero usus auricularis Confessionis in quatuor primis Ecclesiæ Sæculis, nam usum utriusque Confessionis probant; siquidem publicam imponere Pœnitentiam pro occultis criminibus Ecclesiarum Præsides non potuissent, nisi Pœnitentes fuissent illa confessi, non quia hoc necessarium esset, ut infra probabimus, & semper fieret, sed concurrente aliqua caussa, quam sic describit Origenes homil. 2. in Psalm. 37. explicans hæc verba: *quoniam iniquitatem meam pronunciabo: Pronunciationem iniquitatis*, inquit, *idest Confessionem Peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edoceat nos Scriptura Divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris, vel phlegmatis stomaco graviter, & moleste imminentia, si vomuerint relevantur; etiam hi, qui peccaverint, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit, & delictum, atque omnem morbi degerit caussam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum, cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari, cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam; ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius, & eruditum Medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit facias, & sequaris. Si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis periti Medici illius consilio procurandum est*. Hactenus Origenes, ex cujus verbis (quidquid in contrarium oblaterent Novatores, qui has Homilias in Psalmos aliis adscribunt, laudantque temere Erasmum, & Cocum) satis clare colligitur Origenem indicare usum secretæ Confessionis, & de peccatis singulis; etenim nisi singula diserte, & distincte Pœnitentes confessi fuissent, spiritualis Medicus non potuisset agnoscere an tales essent culpæ, quæ in conventu totius Ecclesiæ debuissent exponi, & curari ab illo Medico, scilicet Sacerdote, cui idem Origenes ait Homil. 2. in Levit. *indicandum esse peccatum, & quærendam Medicinam secundum eum, qui ait: Dixi pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei*.

Huic praxi suffragatur Basilii testimonium in Regulis brevioribus in responsione ad interrogationem 228. inquiens: *omninò in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in aperitione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temere aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare, consentaneum in modum illi, quod scriptum est* Rom. 15. *vos qui firmiores estis imbecillitates infirmorum portate, hoc est tollite diligentia, & cura vestra*, & idem docuit Nyssenus Oratione in eos, qui alios accerbe judicant dicens: *major tibi in eo fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, a quibus corpore proceratus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita, animi arcana, tamquam occulta*

ta vulnera Medico detege. Ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit. Quomodo honoris, & valitudinis rationem potest habere Sacerdos, cui recondita omnia quotquot sunt patrata infirmus, & imbecillis homo non detegit Confessione secreta, non publica?

Hoc tamen verum non est semper pro singulis peccatis publicam fuisse impositam Pœnitentiam, ut est verum semper usum Confessionis omnium peccatorum perstitisse, quod inter ceteros notavit idem Nyssenus loco cit. circumstantias illius Confessionis describens, & peccatorum remedia, quæ non bene cohærent cum illis, quæ publicam Confessionem sequuntur. *Nos*, inquit, *verbis quidem Pœnitentiam pollicemur, factis vero nihil studii, laborisque præstamus, sed eadem vivendi, consuetudine utimur, qua priusquam peccata confitendo detestaremur, utebamur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu, victuque splendor. Somno ad satietatem usque indulgemus, negotiis, & occupationibus animo sedulitatis oblivionem injicimus, Pœnitentiæ nomen inane dumtaxat, & nullis expressum factis retinemus*; deinde præscribens quibusdam peccatis remedia sua, subdit: *Deliciis indulgens in morbum delapsus es? cum inedia, & jejuniis cura. Animus laborat incontinentia? adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici, ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim incidisti? liberalitate, & eleemosyna depellatur. Hæc enim est nimirum expletæ mentis curatio. Læsit te rerum alienarum direptio? quæ rapta sunt ad proprios Dominos revertantur. Mendacium te proxime duxit ad interitum* (*perdes enim*, inquit, *omnes, qui loquuntur mendacium*) *veritatis studio periculum vitetur. Juris jurandi violatio sublimem Zachariæ filii securim sustulit per aera volitantem, ac cædem minitantem; inducantur omnia arma Pœnitentiæ, ut securis acies, & ictus propulsetur.* Hæc igitur, & alia peccata, ut ex Nysseno colligitur publicæ Pœnitentiæ laboribus non curabantur.

Quod demum hoc argumentum concludit pro constanti usu Sacramentalis Confessionis in primis IV. Ecclesiæ Sæculis est alter usus frequentis Communionis, ad quam crimen erat accedere, ut in suo cit. lib. de Lapsis Cyprianus testatur, ante expiata delicta, ante Exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio, & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis: quare S. Ambrosius lib. 6. in Lucam postquam dixisset: *nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus,* addidit *ubique mysterii ordinem fuisse servatum, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribueretur, post quilibet alimonia mensæ cælestis exuberaret*. Hinc S. Præsulem excipiendis Confessionibus fidelium multam operam navasse Paulinus Presbyter in ejus vita testatum reliquit; ait etiam peccatorum, quæ audiverat, Secreti fuisse tenacissimum, & caussas criminum, quas lapsi Ambrosio confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat loqui consuevisse, *bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis essent, quam accusatores apud homines*: eumdemque demum Novatianos increpasse quod indignarentur, & contra Ecclesiam congregarent Concilium, quia videbant mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccatorum indulta venia resurgere, ex iis patet, quæ contra eosdem scripsit in cap. 7. lib. 2. de Pœnitentia.

IV. Graviora sunt, quibus urgeri se sentiunt Heterodoxi illorum Patrum testimonia, qui quatuor insequentibus Ecclesiæ Sæculis floruerunt, quibus certe, nisi contentionis, & furoris æstu abriperentur, ultro manus vi-

victas darent. Nihil profecto habent quod possint reponere Innocentio I. ad Decentium scribenti in cap. 7. suæ Epistolæ: *De pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pænitentis, & ad fletus & lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satis, factionem*. Quis enim videt S. Pontificem de criminum occultorum Confessione loqui? Vindicandis enim publicis culpis, nulla erat necessitas, quod lapsi illas confiterentur. Neque habent quod objiciant contra auctoritatem Magni Leonis, qui in sua 90. Epist. ad Campaniæ Episcopos publicam submovens Confessionem, & seretam singulorum peccatorum Sacerdoti factam commendans ait: *sufficit illa Confessio, quæ primo Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pænitentium precator accedit*, cujus Confessionis occasione S. Pontifex inquit *quod spes vitæ reparatur æternæ, quod ad remissionem criminum pervenitur, & quod ii, qui per hanc salubri satisfactione purgantur* (quod fit singulis peccatis cognitis, & eorum expensa gravitate, & dispositione Pœnitentis discussa) *ad Communionem Sacramentorum admittantur*. Sed neque habent quomodo se expediant ab efficacia illius testimonii quod reddit Sanctus Papa Gregorius Magnus homil. 25. in Evangelia, cum agens de necessitate Confessionis, ut quis a suis peccatis absolvatur hæc scribit super illa verba Joannis *Lazare veni foras: Intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur Confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur revivisce, sed veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur veni foras, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur. Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras jam per Confessionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, idest culpam confiteatur Peccator. Venientem foras solvant Discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fuit*. Quid ad hæc Heterodoxus homo conclamabit? Non certe Gregorium sitivisse necessitatem Confessionis illarum culparum quæ occultissimæ sunt, cum contrarium probent illa verba *omnis quippe peccator &c.* & illa: *Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis*. Neque poterit respondere Gregorii præceptum non se extendere ad peccata illa mortalia, quæ pœnis canonicis non plectebantur, cum cuilibet in culpa mortuo confessionem necessariam esse Gregorius prædicet. Videmus ergo quanti sint ponderis hæc Innocentii, & Gregorii testimonia, quæ tota Pseudo-reformata fides, ars, & astutia non valet infringere.

Fortasse gloriabitur sibi favere Hieronymum, Augustinum, & Cæsarium qui Patres aut liberum cuique lapso Confessionis usum reliquerunt ex prava Dallæi interpretatione verborum Hieronymi, quæ leguntur in caput 10. Ecclesiastis, aut speciale aliquod peccatum Confessioni subjecerunt ut *adulterium* Augustinus in homil. 50. *Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium* Cæsarius in homil. 14. scripserunt: gloriabitur quoque suæ sententiæ habere Patronos Maximum Taurinensem, Laurentium Novariensem, Venerabilem Bedam, & Theodulphum Aurelianensem qui sola contritione, aut alia via sine oris Confessione a Deo remissionem peccatorum impetrari posse docuerunt.

runt. Huic argumento jam supra responsum est, ubi egimus de necessitate Confessionis; quare quæ ibi diximus satis confirmant, quod vento rapitur adversariorum jactantia. Hic itaque solum notamus laudatum ex Hieronymo locum non permittere, ut quis unicuique cui voluerit confiteatur. Hæc sunt verba Hieronymi: *Si tacuerit qui percussus est, & non egerit Pœnitentiam, nec vulnus suum Fratri, & Magistro voluerit confiteri, Magister, qui linguam habet ad curandum facile ei prodesse non poterit*. Magistri nomine S. Hieronymum nullum alium intelligere præter Sacerdotem ex ejus Epistola ad Nepotianum constat, in qua Sacerdotem Magistrum appellat. Quod vero Hieronymus testis sit hujus Confessionis, de qua agitur, audiamus illum ita scribentem in lib. 3. Comment. in cap. 16. Matth. super illa verba: *& tibi dabo claves Regni Cælorum*. Sic itaque ait: *istum locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed Reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leprosis ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint tunc a Sacerdote immundi fiant, non quod Sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed qui habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit, sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates scit qui ligandus sit, vel solvendus*.

Notamus præterea in auctoritate S. Cæsarii non excipi gravissima illa scelera, quæ Novatores excipiunt, sed capitalia omnia crimina complectitur, rogatque Fratres charissimos, ut si forte aliquis calliditate Diaboli fuerit superatus, & capitalibus criminibus involutus, secundum quod ait Apo-ibi: *qui templum Dei in se violando destruxerit de Dei misericordia non desperet; si semel aliquis, vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora recipiet*. Hæc sunt Cæsarii verba; & ut constat nihil in his de Idololatria, Mæchia, & Homicidio narratur.

Noto tandem, quod Patres illi, quorum laudantur testimonia, quæ efficaciam Contritionis tuentur, nunquam negarunt necessitatem Confessionis Sacramentalis, ut latius est demonstratum in Capite superiori. Si aliqua difficultas est, hanc suppeditat auctoritas Laurentii Novariensis, quæ eruitur ex sua prima homilia, in qua auctoritate quinque leguntur 1. semel tinctis non amplius opus esse dextera Sacerdotis. 2. Unumquemque fidelem sibi ipsi fidelem judicem, & arbitrum esse a Christo Domino constitutum. 3. Remedium peccatorum post Baptismum in nobis esse statutum, & remissionem in arbitrio nostro positam, ut non quæramus Sacerdotem cum necessitas flagitaverit, sed ipsi jam errorem nostrum intra nos emendemus 4. Remedia peccati extra nos non esse inquirenda. 5. Neque Joannem quærendum, neque Jordanem, Ministrum scilicet Pœnitentiæ, & instrumentum. Verum ex testimonio Novariensis nihil emolumenti est caussæ Novatorum cum ibi agatur de Baptismo, non vero de Sacramento Pœnitentiæ, & dum docet renovationem Baptismi, & Pœnitentiæ non esse necessarium remedium Christianis lapsis, post Baptismum præsto esse ait: quare ut bene aggreditur suum sermonem, ut respondeat peccatori, quem inducit præsentem quid sit facturus

 nunc,

nunc, quod claro corpore egressus de fonte, cœno se iterum immundo perfudit, imoque fœdavit: *non opus habes Doctore, non dextra Sacerdotis* (idest quæ iterum te baptizet) ita melius prosequitur exponens veri doloris, & veri Pœnitentis actiones, quibus rite peractis, merito concludit illi jam non esse quærendum *Joannem, neque Jordanem, cum ipse sibi Baptista sit*. Videtur itaque quam temere Novatores has postremas voces retorqueant contra Ministrum Pœnitentiæ, quem concesso etiam quod Novariensis dixerit non esse necessarium, eoquod remedium nostrum in nobis ipsis sit, certe id non pro mortalibus culpis dixit, a quibus liberi esse non possumus, sed de venialibus, quæ intra nos possunt emendari absque Confessione Sacramentali, & judicio Sacerdotali. Quod vero de his venialibus culpis reipsa loquatur, clarum, & manifestum fit, quod a nobis non esse quærendum Sacerdotem ait pro peccatis, a quibus immunes esse non possumus quamdiu manemus in membris, corporisque compage, quæ certe nonnisi peccata venialia sunt.

Quod si Novatores conentur trahere in suas partes Marcum Eremitam, dum in cap. 140. *De iis, qui putant se ex Operibus justificari*, illos reprehendit, qui omnia sua crimina, & malas ipsas cogitationes Ministris Ecclesiæ nudabant, ipsos non intelligere Caussam, quam hic Marcus agit, aperte commonstrant. Illud autem oportet animadvertere Auctorem hunc Ascetica quædam scripsisse, quæ collecta leguntur in Tom. I. Bibliot. PP. Græc. Lat. & a Photio laudantur; propterea in citato loco ea docuisse, quæ a quolibet alio docentur, qui Asceticam tradit Theologiam, & vitæ Spiritualis regulas explicat, ut scilicet, qui a vita sua mala recessit, & vere ad Deum conversus est, non amplius examine scrupuloso ea tractet, & super his recogitet, quæ jam Pœnitentiæ legibus peccata sua, pravas cogitationes, & obscœna facinora expiavit, ne Diabolus huic se immiscens examini illis utatur, ut pristinos affectus, & cupiditates exsuscitet. *Cum mens*, sic inquit Eremita, *per vitiorum abnegationem, & renunciationem spem unice considerandam apprehenderit, tunc inimicus sub Confessionis prætextu ante impressa menti effingit, ut affectus gratia Dei oblivioni traditos iterum incensos exsuscitet, & hominem latenter injuria afficiat: tunc enim si clarus, & affectibus inimicus existat, necessario obtenebrabitur detentus, & confusus propter perpetrata vitia, & si nebulosus adhuc, & voluptatum amans fuerit, omnino adhuc ad occurrentes illas affectiones adhærescet, & iis cum affectu se implicabit, & immorabitur; adeo ut hujusmodi recordatio, non Confessio, sed mentis anticipatio esse inveniatur. Itaque si velis Deo Confessionem offerre irreprehensibilem, ne speciatim errorum recorderis (nam valde inquinares animum) verum horum illecebras generose perferto.* Sub finem itaque Sæculi VIII. illud scripsit Eremita, quod hujus rei hodiernis etiam Scriptoribus solemne est, quos Confessionis negare necessitatem nullus ita insanus est, qui asserat. Nemo itaque sibi persuadebit etiam Marcum hunc usui Sacramentalis Confessionis occultorum criminum, & pravarum cogitationum restitisse, quem in suo libro de Baptismo commendat inquiens: *quid delectabilius opinione, quæ subjicit peccatum cogitationis a nobis extraneum esse, & facit nos gloriari, & quasi Innocentes extolli potius, quam præparet ad confiteri, & lugere de malis consiliis?* Non habent ergo Heterodoxi a V. usque ad IX. Sæculum in Patribus testimonium contra constantem usum Sacramentalis Confessionis; e contra vero præter hactenus laudatas auctoritates, plurimis aliis Orthodoxi glo-

glorientur, quia ita semper omnis Ecclesia Orientalis, & Occidentalis docuit, & credidit.

Hinc quatuor horum Sæculorum intervallo apparuerunt Libelli Pœnitentiales Joannis Jejunatoris, qui anno 586. Eutychio Constantinopolitano Patriarchæ suffectus, est quibus Consequentiam, & Ordinem erga eos, qui peccata confitentur observandum legimus, & integrum ritum Secretæ Confessionis, & Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui scribebat Sæculo septimo, & cujus scripta laudantur a Pontificali Damasi, in Vitaliano, & a Beda in libro de Temporibus. Sic Sæculo VIII. prodiit Regula Crodegangi Episcopi Metensis, in cujus cap. 30. Ordo describitur ad Pœnitentiam accipiendam, & Confessionem faciendam, & ibi non solum injungitur peccatorum eorum confessio, quæ manifesta sint, sed formula etiam Confessionis iniquarum cogitationum, interioris odii, ac invidiæ, & aliorum occultorum non solum, quæ attrociora sunt, & maxime enormia crimina, sed murmurationem etiam, scurrilitatem, dissimulationem, adulationem, pigritiam, inhonorationem Cognatorum, dierum Dominicorum, & Sanctorum Solemnitatum &c. quemadmodum injungitur, ut in unoquoque anno tribus vicibus, idest in tribus quadragesimis populus fidelis suam Confessionem suo Sacerdoti faciat, Monachi vero in unoquoque Sabbato &c. Minutiora hæc in regula Crodegangi habentur, quæ certe Sectariorum omnia præcludunt effugia. His etiam temporibus scripsit suum Capitulare A. scilicet 797. Theodulphus Aurelianensis Episcopus, in quo illius ævi praxis legitur Confessionis auricularis de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur.

V. Sæculis IX. X. XI. & XII. adeo firma erat sententia necessitatis Confessionis Secretæ omnium omninò peccatorum, ut ipsis Sectariis unicus superfit Canon 33. Cabilonensis Concilii, quem expandunt, ut ostendant suorum Simulacrorum similitudinem. Hoc ipso igitur quod sistunt in uno, reliquum est quod Conciliaria omnia Decreta reliqua, quæ citavimus in §. III. Cap. II. Concilii nimirum Turonensis, Moguntini, Vuormatiensis, quibus addi possunt Decreta Concilii Parisiensis VI. Anglicani sub Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo, & canon Reginonis, quem laudat Burcardus, tacite admittant illorum sententiæ adversari, & verum universalis Ecclesiæ sensum continere. Hæc sunt quæ leguntur in his Canonibus dispositis juxta seriem temporum, quibus editi fuerunt.

Canon. 22. Concil. Turonen. A. 813. *Episcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati Pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus, & indiscrete hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis cum omnes Episcopi ad Sacrum Palatium congregati fuerint ab eis edoceri, cujus antiquorum Liber Pœnitentialis sit sequendus.*

Canon 32. Parisiensis VI. Concilii A. 829. *quoniam multi Sacerdotum, partim incuria, partim ignorantia modum Pœnitentiæ reatum suum confitentibus, secus quam Jura Canonica decernunt, imponunt, utentes scilicet quibusdam Codicillis contra Canonicam Auctoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas: Omnibus nobis salubriter*

P 2 *in*

in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant...... Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt qualiter, & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum Canonicam auctoritatem Pœnitentiæ noverint imponere: quoniam hactenus eorum incuria, & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.

Canon 27. Concilii Moguntini A. 848. *Quæsitum est ab aliquibus Fratribus de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post Confessionem Deo factam; utrum Cadavera illorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & Missæ celebrandæ an non? quibus respondemus: Si omnibus de peccatis suis puram Confessionem agentibus, & digne Pœnitentibus Communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis extremam pœnam persolvunt.*

Canon 25. Vuormatiensis Concilii A. 868. *Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio Pœnitentiæ decernuntur, debet itaque Sacerdos in Pœnitentia danda singulorum caussas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & effectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, & personarum; & locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscujusque delinquentis a Sacris regulis oculos non reflectat.*

Canon Reginonis A. 877. ex ejus Lib. 2. de Ecclef. Disciplina cap. 278. *omnis homo quicumque recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in Baptismo accepit peccati macula polluisse, ad primum Sacerdotum venire festinet, & cum purificatione mentis omnes transgressiones, omniaque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur, & quidquid ei a Sacerdote fuerit injunctum, ac si ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter intendat, & cautissime observet.*

Canon 1. Concilii Anglicani A. 967. sub titulo de Confessione. *Quando aliquis voluerit Confessionem facere omnium scelerum suorum, viriliter agat, & non erubescat confiteri omnia sua scelera, quia inde venit indulgentia, & quia sine Confessione nulla est venia.*

In canon 5. ejusdem Concilii eod. tit. Pœnitens sic Confessionem instituere præcipitur: *Confiteor Deo Omnipotenti, & Confessario meo Spirituali Medito omnia peccata mea, quæ unquam perpetravi sive in facto, sive in cogitatione.*

Horum Canonum vim, vel dissimulant Sectarii, vel parvi pendunt, quod putent sibi suffragari unicum Cabilonense Concilium, quod illis satis est, ut eorum Causa ad fœlicissimum properet exitum. Audiamus igitur Cabilonenses PP. in can. 32. hujus Concilii, quod celebratum est A. 813. *Sed & hoc*, inquiunt, *emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque fit plena Confessio, scilicet ut & ea confiteantur, quæ per Corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum Confessor, ut de octo principalibus*

libus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur Confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut quod gravius est, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, Invidia, Superbia, vel cetera hujusmodi animæ partes tanto periculosius lædunt, quanto sublimius serpunt.

Modo Sectarii doceant, quæ sunt hujus canonis verba, quæ illorum Sententiæ suffragantur. Certe illa non sunt, quæ præscribunt Pœnitentibus onus *plene* confitendi, cum ipsi velint liberum esse cuilibet, si voluerit, & quando voluerit confiteri. Neque sunt verba illa quibus jubent confiteri illa peccata, *quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus cogitatione delinquitur.* Cum ipsi nolint nec sibi, nec suis tantum onus imponere, ut peccata occulta confiteantur: neque demum verba illa esse possunt, quæ instruendum *docent Confessorem, ut de octo principalibus vitiis Confessionem faciat*, cum ipsi velint unum, aut alterum satis esse, quod lapsi confiteantur. Cum igitur per Canonem 32. Concilii Cabilonensis Sectariorum Sententia non modo nihil proficiat, sed robustius urgeatur, confugiunt hi ad canonem 33. in quo legunt Confessionem esse dumtaxat Consilii, & sufficere sive peccata soli Deo, sive Sacerdoti confiteantur. *Quidam* (hæc sunt verba Canonis 33.) *Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam.*

Sed si hæc verba attente perpendantur, nihil ad controversiam nostram faciunt, quæ non agit de necessitate Confessionis, de qua jam actum est, sed de constanti usu auricularis Confessionis, quem certe non destruit contrarium aliquorum factum, aut contraria sententia, nisi velimus asserere Divinorum, Ecclesiasticorumque præceptorum observantiam rem esse consilii, quia aliqui reperiuntur, qui verbis, & factis id probant. Theologorum sententiis id evenit, quod cujuscumque alterius scientiæ Propositionibus, ut veræ sint, vel falsæ hac constantissima lege, quod veritas semper una est, & immutabilis, cui nemo potest præscribere non absque errore, sed absque hæresi, quia nondum in plenario Concilio eliquatæ fuerint, ut Patuit in Millenariorum errore, & Baptismate Hæreticorum, pro quo Viri doctissimi, & Sanctissimi pugnarunt antequam plenario tertius Orbis Concilio veritas eliquaretur, & firmaretur. Cum itaque temporibus Concilii Cabilonensis non esset eliquatum, neque firmatum Confessionem Sacramentalem necessariam esse ad obtinendam peccatorum veniam, vel Confessionem soli Deo factam sufficere, hinc pro utraque sententia pugnabant Theologi (tamen sine hæresis nota) & Concilii Cabilonensis PP. utramque opinionem recensuerunt, non ut utramque damnarent, vel utramque reciperent, sed ut adverterent utrumque non sine magno fructu fieri intra Sanctam Ecclesiam; ita dumtaxat (notentur hæc verba) *ut & Deo, qui remissor est peccatorum confiteamur peccata nostra, & secundum constitutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra.* Si quid igitur ex hoc canone relevandum sit: Dico 1. Patres Cabilonenses agnovisse in Sacerdotibus facultatem remittendi peccata; postquam enim ab illis dictum est: *plerumque Deum salutis auctorem, & largitorem hanc* (scilicet remissionem peccatorum) *præbere sua potentiæ invisibili administratione* (quando scilicet peccator ad illam disponitur per contritionem) statim additur: *plerumque medicorum operatione*, idest ministerio, absolutione Sacerdotum; non vero per hunc canonem voluisse reprobare usum Sacramentalis Confes-

sio-

fionis, aut liberum fuscipientium voluntati relinquere, ut hoc modo confiteantur, aut alio, contra ea, quæ jam decreverant in canone 32. Dico II. ex hoc canone confirmari usum Sacramentalis Confessionis, qui nisi jam invaluisset, nullus huic novæ Controversiæ patuisset aditus, quam tamen ita PP. dirimerunt, *ut Confessio fieret Deo per contritionem, quam habeat adjunctam, & fieret Sacerdoti, quem a Deo cum SS. Apostolis ligandi, solvendique potestatem accepisse credimus, ut quoscumque viderit humiliter confiteri peccata sua, & deflere, solvat eos a peccatis, & reconcilientur Altari, illos autem quos viderit in peccatis permanere, dimittat eos ligatos, quia ligati sunt in conspectu Dei.*

Alia Patrum testimonia non subjicimus, quorum plurima harum ætatum historia suppeditat in Operibus S. Anselmi Cantuariensis, Ivonis Carnotensis, Goffridi Abbatis Vindocinensis, Ruperti Ab. Tuitiensis Hugonis a S. Victore, Bernardi Ab. Clarevalen. Riccardi a S. Victore, Joannis Saresberien. & Petri Blesensis, quod jam Novatoribus innotuerit Patres hos singulos Auricularis Confessionis defensores fuisse. Unam addo Ecclesiam Græcam, quæ licet IX. Sæculo disjungi cœperit a Latina, nunquam tamen ejusdem Confessionis usum deseruit, cum nulla unquam Latinos inter, & ipsos exstiterit circa hoc controversia, quod patet tum ex Actis Conciliorum II. Ludonensis, & Florentini, quibus omnes interfuerunt, tum ex Joannis Antiocheni Patriarchæ testimonio, qui XII. Sæculo floruit, & qui in sua Oratione, quæ inter monumenta Ecclesiæ Græcæ edita est a Cotelerio post factam mentionem Leonis Isauri ita scribit: *ab iis ipsis, quos persequebatur Monachis per innexpugnabilem Christi vim eversus est cum suis Iconomachicis Præstigiis, & cecidit ingenti casu.* Igitur ab eo tempore ad hunc usque diem elapsis jam quadringentis annis adeo a cunctis fidelibus cultus, honoratusque fuit Monachorum Ordo, ut Confessiones, ac enunciationes peccatorum, consequenterque Censuræ, & absolutiones ad Monachos translatæ sint; quemadmodum nunc quoque fieri videmus. Eidem usui Sacramentalis Confessionis suffragantur Zonaras, Balsamon, Theophanes Ceramius, aliique non pauci e Græcis Schismaticis; ita ut ipsis quoque Novatoribus res difficillima visa sit contra consensum totius antiquitatis adversari usui hujus auricularis Confessionis, quem ab Apostolicis temporibus jam protraximus ad Sæculum XIII. hoc est ad tempora Concilii Lateranensis, quando tunc primum institutam fuisse Sacramentalem Confessionem aliqui Sectarii contendunt contra tot monumenta hactenus exposita, & contra etiam opinionem ipsius Innocentii III. qui præfuit huic Concilio, qui Pontifex publico diplomate Indulgentias iis concedens, qui operam, & pecuniam contulissent ad recuperationem Terræ Sanctæ, his verbis usus est: *Universis Christi fidelibus per Moguntinam Provinciam constitutis. Omnibus, qui laborem istum in propriis Personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore Confessi, veniam indulgemus*; & demum contra ipsummet contextum ejusdem Canonis *omnis utriusque sexus &c.* ex quo satis eruitur Innocentium III. non attingere naturam, & substantiam Gonfessionis, sed solas circumstantias temporis, Ministri, & secreti Confessionis, ut vidimus agentes de hac materia in suis locis. Additur his omnibus, quod Scriptores Theologi, qui post hoc Lateranense Concilium scripserunt hujus antiquissimi usus Confessionis auricularis meminerunt. Meminit ejusdem praxis Sixtus IV. in sua Constitutione, quæ incipit *Vices illius*, meminit Concilium Basileense ubi damnat Wiclefi er-

errores, & demum Concilium Tridentinum in canone 6. Seff. xiv. de Sacram. Pœnit. eumdem usum commemorat, & contrarium Hæreticorum errorem Anathemate damnat. *Si quis dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, Anathema sit.*

VI. Quid igitur hac in caussa necesse est Augustini Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Basilii, Cypriani in facta inquirere, quorum doctrinam tenemus? utrum per se ipsos fidelium Confessiones audiverint, vel Presbyteros ad id munus destinaverint, regulas, legesque tradiderint pro Confessionibus audiendis, & Pœnitentia administranda? Nonne satis est Antistites hos sanctissimos in suis operibus huic dogmati suffragari? quis credet omnia illorum gesta litteris fuisse exarata? in immensum excrevissent, si communibus quibuscumque, & vulgaribus actionibus fuissent ornanda. Singularia, & insignia notata sunt, & fortasse ex his plura exciderunt; non autem id quod quæritur excidit Paulino de Ambrosio scribenti, ut supra notavimus, neque excidit Auctori illius Epistolæ ad Jacobum, quæ Apochryphis Clementis fœtibus accensetur, nam in illa agens de necessitate, & usu Confessionis omnium peccatorum apud Sacerdotes ita scribit. *Quod si in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum ex his, quæ supra memoravimus, latenter irrepserit non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, hæc confiteri ei, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur.* Hoc ipso vero quod probatur usus Confessionis, disciplinæ etiam pœnitentialis ritus est certus, qui legi potest in lib. 2. Apostolicarum Constitutionum.

Quid etiam magis audiri potest ineptum, quam colligere nullum fuisse in veteri Ecclesia usum Sacramentalis Confessionis ex hoc quod in vitis virorum illustrium, sanctarumque mulierum hæc non recenseatur? Nondum invaluerat universim consuetudo confitendi peccata venialia, quæ Oratione, lacrymis, jejuniis, aliisque pietatis operibus delebantur. Satis est quod publicæ Pœnitentiæ testimonia occurrant, nam statim Confessio apud Sacerdotes intelligitur, perinde enim erat in primis Ecclesiæ Sæculis occulte, ac publice confiteri, utraque enim Confessio Sacramentalis erat. Porro hæc exempla ex variis petuntur Auctoribus, nam apud Clementem Alexandrinum Pœnitentia legitur cujusdam juvenis prædonum ducis ad pedes Joannis Evangelistæ, aliud legitur apud Hieronymum in laudibus Fabiolæ: Apud Eusebium exomologesim legimus Natalii ad pedes Zephirini, & Philippi Imperatoris a pedes Babylæ. Theodosii etiam nota est Pœnitentia ad pedes Ambrosii, Serapionis, aliorumque lapsorum, quæ peccatorum Confessionem involvunt. Quid Novatores impulit, ut usum Sacramentalis Confessionis quærerent in Apologetico Tertulliani, & in Apologia Justini ad Imperatorem, & Senatum Romanum? Non singulos Christianæ Religionis ritus, non usus omnes hi auctores commemorant. Illa tantum exponunt quæ veritatem Christianæ fidei probant, & Religionis sanctimoniam; proferunt ea, quæ satis esse possunt ad Idololatriæ vanitatem convincendam, & ad Christianorum mores purgandos ab Ethnicorum calumniis. Nunquam illis necesse fuit de Pœnitentiæ, &Confessionis negotio agere, & propterea altum apud illos hujus rei silentium fuit. Quid de Confessionis usu sentiret Tertullianus, hoc scripsit in libro de Pœnitentia pluribus in locis, præcipue vero in cap. 2. ubi conceptis terminis describit

psit cuique onus incumbere omnia omninò, seu fine exceptione cujusvis generis peccata confitendi, dum ait. *Cui praeministrans Paenitentiam destinabat purgandis mentibus propositam, ut quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id Paenitentia verrens, & radens, & foris abjiciens, mundam pectoris domum supe venturo Spiritui S. paret, quo se ille cum caelestibus bonis libens inferat*. Et quod magis mirum est eundem Confessionis usum non modo Catholicus, sed etiam postquam ad Montanistas defecit, docuit cum quemque lapsum consuevisse peccata sua, vel occultissima Sacerdotibus confiteri, scripsit in libro de Pudicitia. Ex Justino testimonium non proferimus, quia de Sacramentali Confessione, ejusdemque necessitate, & usu nullibi disseruit.

VII. Doceant modo nos Sectarii undenam acceperint veteres fideles consuevisse Sacrae Synaxi interesse, ut Christi corpus manducarent, & Sanguinem biberent nulla Poenitentia expiati, etsi mortali peccato conscientiam infectam habuissent. Ex superioribus demonstratis patet contrarii usus necessitas, & confirmatur ex Verbis Apostoli 1. ad Cor. 11. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, idest morbis afflicti, & morte mulctati, quia indigne Corpus Domini manducaverant fine praevia probatione, Poenitentia, & Confessione; unde eruitur ex hoc, quod soli Christiani, qui vitam sanctissimam agerent ad Eucharistiam fine Poenitentia accedebant, graviorum criminum rei, quorum peccata nota erant, vel abstinebant, vel arcebantur, ceteri qui Deum lethaliter offendissent antea expiabantur, quam ad Eucharistiae Sacramentum accederent. Ita Chrysostomus illorum temporum ritum exponit homil. 5. in Epist. ad Ephes. Quod si forte contrariae opinioni fundamentum Clemens Alexandrinus, & Origenes suppeditent, ille in lib. 1. Stromatum, ubi suo Saeculo *fuisse* ait *quosdam Presbyteros qui Eucharistiam postquam de more in particulas diviserant unicuique ex populo permitterent ipsum sibi partem sumere. Optima enim est sua cujusque conscientia ad hoc, ut res objectas accurate vel eligat, vel fugiat*. Origenes vero in Tractatu 28. in Joan. ubi disputans de oculis ad Dominum inter precandum vel attollendis, vel deprimendis inquit: *Ceterum unusquisque se ipsum de rebus hujusmodi judicet, probetque homo, & sic non solum ex illo Pane comedat, & de Calice bibat, verum etiam oculos elevet, superne eos attollens, precemque fundat subjiciens se ipsum Deo, humiliansque illi*. Notetur laudatos Patres non dimittere quantum ad officium, vel modum expiandi peccata, quae lethalia sint ante Comunionem, ut quis vel apud Deum solum, vel apud Sacerdotes confiteatur, sed dimittere quantum ad examen conscientiae suae, utrum sit praeparatus, vel non ad percipiendam Eucharistiam. De eodem Conscientiae examine intelligendus est Chrysostomus, cum in Homilia de jejunio, sive 8. de Poenitentia ita scribit: *Propterea Paulus dicit: Probet autem se unusquisque, & sic de Pane comedat, & de Calice bibat. Non revelavit ulcus, non in commune Theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit, intus in Conscientia nemine praesente praeter Deum, qui cuncta videt, fac judicium, & peccatorum inquisitionem, & vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito. Reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, particepsque Sancti Sacrificii fias*. Confessionis autem alibi meminit, & Poenitentiae, quae Confessionem peccatorum involvit, ac utramque diserte admisit antequam ille, qui lethalis peccati reus est Sa-

cram

ram Mensam attingat, ait enim in homilia de S. Philogonio: *qui sibi nullius mali conscius est hunc oportet singulis diebus accedere, qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutus est. Neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indigne accessimus, quin hoc ipsum potius auget damnationem. Quod cum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. Quapropter adhortor vos omnes ne negligenter, veluti festo die togente ad Divina Mysteria accedatis; sed si quando putabitis hujus Sacræ Hostiæ fieri participes, multis ante diebus repurgatis vos ipsos per Pœnitentiam.*

VIII. Ceterum divinare potius est, quam velle scire rem per caussas in his difficultatibus immorari, quod si Novatoribus expedit, quorum caussa jam deplorata est, nobis vero non ita, qui jam ostendimus perpetuam fuisse Ecclesiæ de Confessionis necessitate doctrinam respectu eorum, qui lethalia peccata admisissent, venialium vero Confessionem veteribus Christianis pene fuisse inivetam. Quare si veterum historia deficit, ubi recensere debuisset eorum Confessiones, quorum mors in conspectu Domini pretiosa erat, aut eorum, qui vita periclitabantur in Nosocomiis, in bello, & peste grassante in Civitatibus, in Persecutione Ecclesiarum, in Confessorum, & Martyrum certaminibus, hujus silentii ratio jam data est. Quamquam neque hoc penitus silet antiquorum Historia. Nosocomiis præfectos fuisse Presbyteros Palladius refert in Vita Chrysostimi: *Nova quoque* inquit c. 5. *Infirmorum receptacula construit, præficiens bis duos ex Sacerdotum numero. Presbyterum suo Nosocomio præfectum fuisse* a Fabiola narrat Hieronimus in Epist. ad Oceanum. Certe ut suo munere fungerentur, Presbyteris his hanc demandatam fuisse Provinciam credendum est, ut pia illa loca regerent, ut Catechumenos in extremis laborantes baptizarent, ut Pœnitentes reconciliarent, & Sacramenta morituris ministrarent. Carthagine mortalitate grassante, memorat Pontius in vita Cypriani, distributa fuisse a S. Cypriano pro qualitate hominum, atque ordinum ministeria: ergo credendum est & Presbyteris demandatum fuisse ministerium pro remittendis Pœnitentium peccatis. Eodem morbo Alexandriæ grassante refert Eusebius lib. 7. suæ histor. c. 20. *quod multi ex Fratribus pro nimia Charitate, dum absque ulla cunctatione infirmos visitare non desinunt, & non solum visitare, sed & ministrare, & exhibere officia, quæ Dominus præcepit, serpente morbi contagione, cum illis pariter quibus ministrare voluerant interibant*; deinde post pauca recensens eorum conditionem, qui mortem opetierunt, addit *fuisse præcipuos, & electos viros, inter quos & Presbyteros, nonnullos, & Diaconos*. Si igitur hi ministrabant, & exhibebant officia, quæ Dominus præcipit, satis est indicatum, & ministrasse Sacramentum Pœnitentiæ iis, quibus opus fuisset, & eorum Confessiones suscepisse. Octavo, & Nono Sæculo usum invaluisse quod milites ante pugnam confiterentur scribit Alcuinus in Epist. 41. ad Damœtam & Willelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 3. de Gestis Anglorum cap. 15. idque suo Decreto in Liptinensi Synodo Patres decreverunt, permittentes canone 2. *Ut in Castris Princeps habeat unum, vel duos Episcopos cum Cappellanis, vel Presbyteris eorum, ut unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare Pœnitentiam possit*. Superioribus Sæculis quid acciderit, præter unum Constantini factum Historia non suppetit. *Hic* ut refert Eusebius in ejus vita *Licinio bellum inferente Sacerdotes comites habuit, &*

contra Persas pugnaturus, Provida mente prospiciens viros ad divinum cultum necessarios assidue secum versari oportere, perinde Tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum Victoriæ auctorem una cum Episcopis fundere decreverat.

IX. Sed cur a Martyribus exigenda Confessio est, cum omnia huic operi delicta donentur, ut scripsit Tertullianus in cap. ultimo Apologetici? Cum quotidie se pararent ad Martyrium, illis Confessio necessaria non erat, quod peccatis lethalibus non essent polluti. Quod si antea lapsi fuissent, Reconciliationis beneficium impetraturi ad Sacerdotes properabant, a quibus pace, & absolutione donabantur, nec Dominici Corporis communione fraudabantur. Nec deerant Sacerdotes qui Confessores in Carceribus detentos inviserent, ut coram illis Sacrificium offerrent, & quidquid illorum muneris erat, impenderent. Multa de his scribit Cyprianus in suis Epistolis, & aliqua attingit Augustinus in sua Epist. 180. ad Honoratum.

Denique morituris omnibus Sacramentalem Confessionem fuisse administratam octavi Sæculi testimonia probant, præcipue vero canon 20. Concilii Calchutensis in Anglia, in quo dicitur, *si quis, quod, absit sine Pœnitentia, aut Confessione de hac vita discessit, pro eo minime orandum est. Nullus enim sine peccato est.* Quare Parisiensis 6. Concilii Patres caverunt *ne Presbyteri, seu Rectores per diversa mitterentur, quod eorum absentia homines sine Confessione plerumque moriantur.* Profecto hæc decreta supponunt usum hunc in Ecclesia fuisse longe antiquiorem, ut revera colligitur ex can. 47. Eliberitani Concilii, ex Cypriani libro de lapsis, & ex citata Augustini Epistola ad Honoratum. Præterea testimonium Jonæ Aurelianensis Episcopi in lib. 1. de Laicorum Institut. c. 14. & quod scribitur de Goffridio Antisiodorensi Episcopo, qui facta Confessione spiritum reddidit, ut refertur in lib. de Gestis Episcoporum Antisiodoren. cap. 51. quod de Henerico I. Anglorum Rege tradiderant etiam Ordericus in lib. 13. Historiæ, & Hugo Rotomagensis in lib. 1. suæ Historiæ Novellæ, ut tandem addamus nugari Sectarios cum scribunt veteres non consuevisse in majoribus Anni Solemnitatibus sua peccata confiteri. Si sermo sit de primis Ecclesiæ Sæculis, non solum in majoribus, sed fortasse sæpius confitebantur, quia quotidie Christi Corpore reficiebantur, & ut jam dictum est Confessio Communioni ab iis præmittebatur, qui se sentiebant mortifero peccati vulnere sauciatos. Ubi vero in fidelibus Charitas cœpit frigescere, & infrequens Communionis usus evasit, tunc cum omni festinatione recurrebant ad matrem Ecclesiam, ut quod male commisissent, cum omni humilitate, & cordis contritione simpliciter confiterentur; Nihilominus testis est Chrysostomus usus Confessionis ante Pascha homil. 30. in Genesim. Septimo Sæculo invenitur usus Confessionis in Festis Solemnibus. *A temporibus Vitaliani Papæ, & Theodori Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum Clerici in Monasteriis, sed etiam Laici cum Conjugibus, & Familiis suis ad Confessores suos pervenirent, & se fletibus a Carnalis concupiscentiæ consortio bis duodecim diebus cum eleemosinarum largitione mundarent, quatenus puriores Dominicæ Communionis perceptionem in Natali Domini perciperent*, ita Egbertus Eboracensis Episcopus in Dialogo. *Tribus vicibus, idest in tribus quadragesimis fidelem populum suam fecisse Confessionem* tradidit etiam Chrodegangus in cap. 30. Regulæ & *Hebdomada una ante initium Quadragesimæ Confessiones Sacer-*

dotibus

dotibus dandas esse in Capitulari cap. 26. Theodulphus Aurelianensis decrevit. His ergo vicibus consueverunt Veteres ad Sacerdotes accedere, & cum purificatione mentis transgressiones omnes, omniaque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminerant, humiliter confiteri. Nimium vero concedunt Novatores Paganis, si volunt quod ea, quæ ipsis in Christiana fide videntur absurda Pagani reprehendant. Supponunt itaque Ethnicos non latuisse præcipuos nostræ Religionis usus, Mysteria, Sacramenta, & Ecclesiasticam disciplinam, quod oppidò falsum est, & ex Arcani Doctrina nos alibi demonstravimus agentes de Sacramento Eucharistiæ. Subodorarunt tamen aliquid; unde creditur ex umbratili hujus Sacrementalis Confessionis Scientia natum illud eorum querelæ caput contra Christianos, quod in Minutii Felicis Octavio legitur: *Alii referunt ipsius Antistitis, ac Sacerdotis colere Genitalia, & quasi Parentis sui adorare naturam.*

X. Sed ut ad ultimum objectionum caput animum convertamus, ineptissimum illud esse, omnisque boni sensus expers agnoscimus, cum ex illo inferri possit plurima Religionis nostræ Sanctissima dogmata veteribus fuisse incognita, quia Christiani nomini hostes Hæretici primis Ecclesiæ Sæculis illa non impugnaverint, & Catholici non defenderint; ac si necesse fuisset quod singula fidei Dogmata suos habuerint adversarios, & ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ii insurrexerint, qui contra omnia pugnaverint. Sicuti ergo non omnis uno tempore veritas patuit, quæ tamen postea insequentibus Sæculis, & Patrum studiis, & Conciliorum definitionibus, & Romanorum Pontificum Decretis eliquata est; ita pro variis temporibus extensæ sunt hæreses, quas Ecclesiarum Pastores vigilantissimi, Sacerdotes, Doctores, & Fideles omnes statim convellere insudarunt, ut Ecclesia universa proscripsit Uvaldensium pravum dogma de Confessione facienda soli Deo, Wiclefistarum, Lutheranorum, & Calvinistarum errores singulos, quot quot disseminaverant, falsasque doctrinas contra Sacramentalis Confessionis necessitatem, Divinam institutionem, usumque in Ecclesia perpetuum, ex quo facto ostenditur Catholicam de Sacramentali Confessione Sententiam, Novatorum omnium opinione priorem fuisse, non solum, sed veram. *In omnibus*, verba sunt Tertulliani ex libro de Præscriptionibus, *veritas imaginem antecedit, post rem similitudo succedit. Ceterum satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur. Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque Parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo superducit: Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum, & falsum quod sit posterius immissum*; unde mirum est ipsos Sectarios hóc nolle intelligere, dum fatentur pene nullum inveniri posse, qui Sacramentalis Confessionis instituto per tam multa Sæcula obstiterit, & solum ultima Sæcula illi hostes infensissimos, Protestantium omnes ordines peperisse. Liberum certe est his contrarietatis hujus caussas justas addere, damna nimirum, & mala illa quæ vel ex Confessione ipsa nascuntur, vel ex delectu opinionum, ad quarum normam Sacramentum Pœnitentiæ administratur, omnia enim hæc commentitia sunt, vel si aliquando oriantur, non certe a Confessione oriuntur, sed vel a Ministris, vel a Pœnitentibus, qui in suam perniciem hoc Sacra-

 mento

mento abutuntur, ceterum si singuli suo munere sancte fungantur, exitiosa illis non est, ut exitiosus non est Baptismus, nisi ficte suscipiatur, Eucharistia nisi indigne sumentibus, & Evangelii prædicatio, nisi iis, qui se ipsos prædicant. Ex opinionum delectu profecto magna quandoque pernicies timeri potest, si præsertim ex iis Auctoribus fiat, in quorum libris nulla legitur Sacræ Scripturæ Auctoritas, nulli afferuntur Canones Conciliorum, Patrum Sententiæ nullæ, & Theologorum probatæ Sanctimoniæ, & doctrinæ nullæ opiniones. Hujusmodi auctores infra decimum quintum Sæculum non ita facile Confessionis Minister inveniet, & tamen in hoc toto annorum decursu Ecclesia Sacramentalem Confessionem retinuit, & adhuc retinet Ecclesia Orientalis, cui hoc genus librorum incognitum est. Quid necesse igitur est, quod his modo utatur Pœnitentiæ Minister? Quod a Cabilonensibus Patribus in canon. 38. cautum est, ne in imponendis Pœnitentiis peccata sua confitentibus, Sacerdotes libellis illis uterentur, quos Pœnitentiales vocabant (ad quorum normam Casuistæ Recentiores suas Summas, aliosque libros consarcinarunt) cum certi in illis essent errores, & incerti auctores, quilibet alter Confessarius sibi cavebit ab ejusmodi Auctoribus evolvendis. Plurima alia addunt Adversarii, quæ cum levissima sint, non opus est enuntiare, & confutare. Solum monendum esse censeo, perperam assumi Confessionem tamquam medium, ut maxime vitia grassentur, expiandorum criminum, veniæque consequendæ facilitate, quam ipsa promittit, hoc ipso quod Confessariorum imprudentia, & ignavia sublata fuerit. Quod si hæc peccandi licentia non inde oriatur, neque Confessio soli Deo facta hoc poterit obtinere, ut quis a peccatis se temperet, quod in Calvinistarum systemate ipsa quoque expiandorum criminum, & veniæ facilitatem polliceatur. Non itaque a Sacramentalis Confessionis defectu hæc vitiorum, criminumque patrandorum effrænis licentia petenda est, sed ab eorumdem hominum corruptela. Jam ut alibi adnotavimus agentes de Baptismo, eamdem difficultatem Paganorum aliqui amplificarunt contra Baptismi utilitatem, & necessitatem, sed non propter hoc ullo unquam tempore suos Catechumenos beneficio tam singulari defraudavit Ecclesia, nec defraudabit. Verum tamen est, quod si quis ita male affectus ad hæc Sacramenta suscipienda, & imprudens accederet, nullum esset ex alterutro emolumentum consecuturus. Satis igitur ex his omnibus remanet demonstratum nullo firmo fundamento Novatores suam caussam defendisse, & alienam impugnasse, quæ ab his nullatenus sensibus recedit, quos Sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est.

§. III. *Necessarium est, ut omnia, quæ sunt in Conscientia Pœnitentis in Confessione aperiantur.*

XI. Virtutem solam sic inter utrumque extremum collocatam esse didicimus, non ut de utroque extremo participaret, sed potius ut ab utroque extremo recederet. Nobis ipsis itaque nimium pollicebamur, qui postquam necessitatem, & usum Confessionis semper constantem fuisse in Ecclesia contra Hæreticos probaverimus, eosdem in extremorum alterum non fuisse lapsuros jure, & merito sperabamus, ut dicerent necessarium non esse confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ul-

ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant. Id tamen illos dixisse non puduit, ut ex Sacro Tridentino Concilio cognoscimus, a quo gravissimi hi errores proscribuntur in cap. 5 & in can. 7. Sess. xiv. Hos itaque errores singulos in hoc §. refellere assumimus, & dicimus necessarium esse, ut omnia quæ sunt in conscientia Pœnitentis in Confessione aperiantur.

Hujus praxis antiquitatem laudant verba Clementis Papæ, quæ leguntur in sua prima Epistola, ubi de Petro sic loquitur. *Instruebat fideles actus vitæ suæ custodire, & cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare*, laudant verba Cypriani in superiori §. usurpata, qui in sermone de lapsis n. 11. circa finem de Christianis suorum temporum scribens ait: *quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo aut Sacrificii, vel libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, apud Sacerdotes Domini hoc ipsum dolenter, & simpliciter confitentes Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus aperiunt, salutarem medelam, etiam modicis vulneribus exquirunt*, laudant demum plurima ex iis monumentis, quæ supra retulimus, ut confirmaremus usum auricularis Confessionis. Favet etiam huic praxi Origenes, qui homil. 3. in Levit. ait: *si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationem secreto commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri*, favent verba Theodulphi Aurelianen. in cap. 31. sui Capitularis: *Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis*, & postremo favet scire nos, nullos ante IX. Sæculum extitisse, qui peccatorum plenam, & integram non ederent Confessionem, cum solum in Cabilonen. II. Concilio A. 813. primum hujus erroris vestigium appareat, quem emendatione indigere PP. pronunciarunt in can. 32. his verbis: *sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt*. Et certe *in medicina corporali*, inquit D. Thomas in Supplem. q. 9. a. 2. in corp. *oportet, quod Medicus non solum unum morbum contra quem medicinam dare debet cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi, & quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret. Et similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, & illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali parte. 3. c. 3. docet, & ideo de necessitate Confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quod si non faciat, non est Confessio, sed Confessionis simulatio*.

XII. Confessionem itaque hujus generis suis Sectatoribus Wiclephus proposuit, qui Confessionis integritatem necessariam esse negavit, saltem quoad peccata occulta, seu mere interna, ut ex Uvaldense accepimus T. 2. de Sacram. c. 185. hoc erroneo principio ductus, quod non Divinæ, sed institutionis Ecclesiasticæ esse crederet Confessionem, quæ Ecclesia potestate non gaudet circa hominum actus, qui sunt mere interni. Simulationem item, non Confessionem illi docuerunt, qui ut integritatem Confessionis tollerent, suis discipulis tradiderunt hanc legi naturali repugnare, quæ non vult hominem se ipsum in re occultissima infamare, quæ ratio Petro Oxomensi non displicuit, quam corroboravit addendo neque publica peccata clavibus esse subjicienda, quia ipsa per se satis patent. Nec dissimilem Confessionem docuit

cuit Lutherus cum ejusdem integritati adversatur hoc fundamento, quod qui integram reddunt Confessionem Divinæ detrahunt clementiæ, cui nihil dimittendum relinquunt.

XIII. Videmus ergo quam merito contra hos errores, tum Patres, tum Pontifices, tum Concilia conclamaverint, præsertim Lateranense IV. in cap. *Omnis utriusque Sexus*, Florentinum in Decreto Eugenii, & Tridentinum in locis sup. cit. & quam merito hoc dixerit, quod dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt, quod unum est quod concludunt Hæretici, qui contra integritatem Confessionis calamum acuunt, & improperiis, & mendaciis Catholicam veritatem deturpant. Mendacium certe est dicere Confessionem non esse Juris Divini, contra quod plura diximus in superiori Cap. II. §. IV ut etiam demonstravimus posse Ecclesiam de internis actibus judicare. Mendacium est quod fingitur de infamia, quæ ex Confessione oriatur, nam hæc quo ad alios tollitur per Sacramentale Sigillum, & quoad ipsum Confessorem per sinceram Pœnitentis Confessionem, & interiorem animi contritionem; nec superest quod Pœnitens vereatur inde sibi aliquod obnoxium esse futurum, cum Confessarius notitia illa uti non possit. Mendacium est publica peccata non esse clavibus subjicienda, quia quamvis Sacerdos sciat aliquando alterius peccatum ut homo, non tamen scit ut Christi Vicarius; sicut etiam Judex aliquando scit aliquid ut homo, quod nescit ut judex, & quantum ad hoc per Confessionem aperitur. Potest certe exterior actus peccati in aperto esse, sed actus interior, qui principalior est, occultus est, & ideo oportet, quod per Confessionem aperiatur. Postremo mendacium est, quod addit Lutherus, quia totus fructus hujus Sacramenti ex Christi meritis speratur, quæ sola hujus Sacramenti virtute nobis applicantur.

XIV. Unicum addi potest palmarium Sectariorum argumentum, quod Calvinus repetit ex verbis Psalmi 18. & 37. *Delicta quis intelligit: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, scilicet neminem suorum peccatorum supputationem posse cogitare, qui Davidem videat suorum numerum invenire non posse. Integra ergo Peccatorum confessio a nullo jure præcipi potest Divino, & Ecclesiastico. Verum mendaciis, & calumniis magis quam solida ratione etiam hæc Calvini argumentatio referta est. Etenim nunquam Ecclesia præcepit omnium omninò peccatorum enumerationem, sed illa solum a Pœnitentibus explicari, quorum post diligentem sui discussionem Conscientiam habent, jubet omnia, quantum in nobis est, recenseri. Constat igitur de mendacio, & de calumnia Calvini. Sed caret etiam ratione hoc argumentum, quam si audire Calvinus renuit, & vult esse firmissimum, illud in se ipsum retorqueat, cum ipse hanc eamdem exigat peccatorum enumerationem pro illa Confessione, quam vult Deo esse faciendam, ut legitur in Sect. 18. lib. 3. suarum Institut. ubi dicit *non satis esse generatim confiteri, ac dicere peccator sum, sed oportere quantum in nobis est singula peccata accurate confiteri*. Itaque si vis aliqua Calvini argumento inest, utraque Confessio periclitabitur. E contra vero, si cum his circumstantiis potest Deo aliquis confiteri, cur & non per hominem Deo idem præstari poterit? Carnificina itaque nostra Confessio non erit, quemadmodum carnificina non est Cal-

Calviniana Confessio, neque Hypocritas faciet, neque aliis quibuscumque incommodis obnoxia erit, quia integra fieri debet quantum in nobis est.

XV. His omnibus accedit alia ratio, quæ hanc integritatem concludit, & petitur tum ex natura peccati mortalis, quæ est ut unum sine altero non remittatur, tum ex natura absolutionis, cui oportet, quod Confessio adæquetur, & quod de ignotis non detur, ut dixerunt Tridentini Patres. Revera finis Absolutionis, non solum est peccatorum remissio, sed peccatoris apud Deum justificatio, qui finis obtineri non poterit, si peccata omnia non explicabuntur propter maximam eorum connexionem, quoad remissionem, quæ talis non est in peccatis venialibus, ut idem Tridentinum Concilium notavit. Dicendum est igitur, quod cum ille, qui unum peccatum confitetur, ab uno tantum petit absolvi, & non ab alio, petit id, quod fieri non potest, & propter hoc ejus Confessio est invalida. Nec contrarium probat casus ille, in quo plura peccata remittantur in ordine ad diversa Sacramenta, ut patet in ficte accedente ad Baptismum, qui post Baptismum confitetur peccata, quæ illum subsecuta sunt; sola enim hæc peccata per absolutionem tolluntur, non vero illa, cum per Baptismum solum tollantur. Verum quod accidit in hoc casu, totum contingens est ob moralem necessitatem; de natura enim Baptismi non est, quod ad illum pertineant subsequentia peccata; accidens omninò est, quod interdum illi conjungantur propter impedimentum appositum. Aliud est igitur id quod dicendum est cum occurrit hic casus, & aliud dicendum est cum loquimur de eo, quod per se respicit Sacramenti institutio, ut scilicet peccata simul dimittantur, & propter hoc etiam Baptismus, si inveniat peccata actualia, omnia remittit, quia unum sine alio remitti non potest „ut remittuntur etiam in casu oblivionis inculpabilis, & reservationis, quando id postulet necessitas in ordine ad aliam Confessionem, quæ in proposito haberi debet, alioquin si hoc propositum vel deesset, vel contrarium esset, qui ita confiteretur nihil faceret.

XVI. Colligitur ex his ad integritatem Confessionis pertinere, ut species peccatorum distincte aperiantur, neque id novum esse constat ex can. 102. Quinisextæ Synodi, ex can. 25. Concilii Uvormatiensis, ex Lateranensi, & Florentino supra citatis, & ex eodem Tridentino. Imo ipsi Tridentini Patres in cit. cap. 5. decernunt etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a Pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant. Itaque si circumstantiæ aperiendæ sunt, ergo a fortiori ipsa peccata specie diversa, etiam si inter has species morales parva diversitas reperiretur, quia hic semper intercedit diversitas judicii, licet possit esse non necessaria satisfactionis, vel medicinæ diversitas, quæ pro his peccatis applicanda sit. Discernuntur autem hæ species, vel per diversitatem præceptorum, rerum, seu materiarum, circa quas peccatur, vel virtutum, quibus opponuntur ipsa peccata; ex quibus principiis statim apparet, utrum peccata habeant plures malitias specie diversas, ratione quarum peccata punienda, & curanda sunt. Quod verum est sive actus peccaminosi sint exteriores, sive interiores, quanquam inter se Theologi disputent an interiores voluntatis actus habeant has circumstantias specie diversas, vel an illorum respectu circumstantiæ ipsæ transeant in rationem objecti, cum omnes in hoc conveniant eosdem actus interiores voluntatis posse habere plures malitias. Idem dicendum est de aperitione illarum cir-

circumstantiarum, quæ transferunt actum ex veniali peccato in mortale, imò illarum etiam, quarum quis oblitus esset in præcedenti Confessione, quia non explevit obligationem suam; quod generaliter dicendum est de re quacunque, quæ ex sua natura pertineat, vel ad necessitatem, vel ad integritatem Confessionis, sive hæc omissa fuerit ex oblivione, sive ex quacumque alia rationabili caussa, in quo tamen casu non est itteranda prior Confessio, sed si id utilitas postulet, solum satis est confiteri peccatum illud, cujus fuit talis omissa circumstantia. Non extenditur autem hæc obligatio ad aperiendas circumstantias illas, quæ impertinentes dicuntur, quia neque augent, neque minuunt malitiam, in quarum tamen numero haberi non debet actus externo opere consummatus, licet per hunc prior malitia non augeatur, & ratio est, quia proprie loquendo exterior actus non potest considerari tamquam circumstantia hujus ordinis, sed est ipsum peccatum unum, & idem cum actu interiori, quod explicari debet prout ex utroque actu compositum est, ut Status Pœnitentis integre Sacerdoti innotescat in ordine ad medicinam exhibendam.

XVII. Major est difficultas circa necessitatem aperitionis illarum circumstantiarum, quæ intra eamdem speciem peccati malitiam multum aggravant, cum hoc non sit traditum a PP. Tridentinis, qui tantum illarum circumstantiarum necessitatem definiverunt, quæ speciem mutant, neque a D. Thoma, qui in IV. Senten. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstinc. 5. asserit opinionem negativam esse affirmativa multo probabiliorem; & sit multum difficile explicatu quid sit notabiliter aggravare, & quando ad illum terminum perveniatur. Ceterum in praxi affirmativa sententia attendenda est, consequenter etiam circumstantiæ multum aggravantes, licet peccati speciem non mutent, ad integritatem Confessionis pertinent, & propterea sunt aperiendæ. Id expresse traditur in cit. can. 102. Synodi Quinisextæ: *oportet qui facultatem absolvendi, & ligandi a Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, & peccatoris promptitudinem ad conversionem, ut sic medicamentum admoveant ægritudini aptum, ne si de peccato sine discrimine statuant, aberrent a salute ægrotantis. Non enim simplex est peccati morbus, verum varius, & multiformis, plurimisque noxiis propaginibus suppullulans, ob quas malum longe, lateque diffunditur, ac serpit quousque tandem virtute medicantis sistat. Igitur qui ostendere voluerit quantum valeat in spirituali medendi arte, oportet ante rimari qualiter affectus sit qui peccavit, an ad salutem inclinet, an moribus, quibus familiariter assuevit adversus se ægritudinem provocet, inspicere, & quid secum deliberet ad redeundum ad meliorem frugem &c.* Legitur etiam in cit. can. 25. Concilii Uvormatiensis *Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio Pœnitentiæ decernantur. Debet ergo Sacerdos singulorum caussas singulatim considerare, originem, modumque culparum &c.* & hoc eruitur ex Canonibus Pœnitentialibus, qui in fine Decreti habentur, præsertim ex can. 2. & 22. in quibus variæ Pœnitentiæ præscribuntur pro peccatis ejusdem speciei juxta diversam eorum gravitatem, ex quibus patet in more fuisse Ecclesiarum recipere Confessiones hujusmodi circumstantiarum multum aggravantium, & condignis satisfactionibus eisdem obviam ire; & hoc tandem habetur in Cathechismo Rom. ubi agitur *de Pœnitentia §. sed quoniam* n. 2. & cohæret, tum cum Propositionibus ab Innocentio XI. damnatis A. 1479. in quarum altera dicebatur *præcepto Confessionis eum satisfacere; qui enuntiat simpliciter se furto abstulisse eam pecuniæ quan-*

quantitatem, quæ ad peccatum lethale sufficit; in altera vero statuebatur *Pœnitentem non teneri Confessario interroganti, fateri peccati alicujus consuetudinem*; tum cum praxi Confessionis in gradibus Consanguinitatis circumstantiæ incestus filii cum matre, & sorore, quem nonnulli Præsules sibi solent reservare, quod certe non facerent, si Pœnitenti liberum esset hujusmodi circumstantias multum aggravantes silere.

XVIII. Ad primam ex contrariis rationibus responderi solet, Concilium Tridentinum voluisse docere quod certum est; non vero voluisse id, in quo gravissimi auctores plurimum inter se decertabant; nihilominus nos posse assequi Concilii mentem asserimus ex illius verbis, & ex ratione, qua utitur, ut doceat peccata occulta esse confitenda: *quia*, inquit, *plerumque gravius sauciant animam, & periculosiora sunt*, quod his circumstantiis multum aggravantibus facile potest applicari. Ubi vero docet peccata esse aperienda, inquit: *cum aperta, & verecunda eorum Confessione*. Aperta profecto non est peccati gravissimi Confessio, si major ejus gravitas sileatur.

XIX. Argumento petito ex Auctoritate D. Thomæ nihil aliud responderi potest, nisi quod S. Doctor tunc ita senserit, quo vero fundamento id dixerit, hoc subjicimus, ut aliorum judicio res gravissima dirimenda relinquatur. Laudato igitur loco sic ratiocinatur Præceptor Angelicus. *Ad 5. quæstionem dicendum quod omnes circumstantias confiteri est impossibile, quasdam autem confiteri est necessitatis, sed in hoc est differentia opinionis. Quidam enim dicunt quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est, sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt, cujus ratio est, quia venialia non sunt de necessitate Confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent, & quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate Confessionis, tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de Venialibus dictum est*. Hæc juvenis scribebat S. Thomas, eademque ætate pro eadem opinine citantur S. Bonaventura Dist. 17. q. ultima, Albertus Magnus in eadem distinctione articulo 24. aliique non pauci.

XX. Ad 3. difficultatem respondetur non posse profecto certa regula definiri, quid sit notabiliter aggravare, petendo hanc regulam ab Arithmetica proportione, aut a quacumque alia, quæ a Mathematicis usurpatur. Prudentis arbitrio id est relinquendum, audiendumque est quid ipsius peccantis conscientia respondeat, quæ ut Philosophorum, ita & Theologorum omnium judicio proxima humanorum actuum lex, tum editæ, vel scriptæ legis interpres est, meliorque in exerendis, notandisque humanis actibus dux haberi solet, ut omnis proinde aliarum legum auctoritas languere videatur nisi conscientiæ crimen accedat.

XXI. Ex his infertur non esse occultandas circumstantias illas, quæ multum detrahunt de Peccati malitia intra eamdem speciem, vel minuunt peccatum variando speciem. Hoc secundum comprehenditur in Decreto Concilii Tridentini, primum vero ne judex in re gravi decipiatur. Non est tamen communis hæc responsio quo ad primam partem, unde aliqui dicunt non oportere hujusmodi circumstantias aperire, quia possunt a judice sine peri-

culo cogitari, aut ex aliis conjecturis possumus id prudenter suspicari.

XXII. Quid dicendum, si ex aperitione Circumstantiarum intra eamdem speciem multum aggravantium alterius crimen detegeretur? Apud veteres moris erat quandoque criminis conscios accusare, tum ut peccati species explicaretur, ut patet ex canon. 67. Basilii ad Amphilochium, & 75. & 79. tum ut innotesceret, augereturne, vel minueretur malitia peccati, attenta persona Complicis, ut constat ex lib. xi. Decretorum Burchardi Episcopi Wormatiensis, & tandem si peccata fuissent communia conjugibus, ut legitur in c. 6. tituli 3. veteris Pœnitentialis Romani, hic vero mos invaluit sive peccata essent publica, sive privata, quod ultimum probat cap. 43. Concilii Triburiensis, & caput 62. Concilii Wormatiensis. *Si quis*, verba sunt Concilii Triburiensis, *cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius eius, vel frater, ejusdem & rei inscius cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse cognovit confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam Pœnitentiam, legitimo utatur matrimonio. Si quis*, inquit Concilium Wormatiense, *cum matre & filia in adulterio mansit nesciente matre, quod cum filia mansisset, similiter & filia nescia, & postea ille vir si acceperit mulierem, dimittat eam, & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem, & illa mulier, quam reliquerit accipiat virum, & illa mater, & filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus, quod cum matre, & filia mansisset, habeant viros, nam in notitiam earum si venerit hoc scelus, dimittant viros*. Neque abstinebant ab hujusmodi Confessione, licet Sacerdotes criminum conscios agnoscerent, cum singuli tunc temporis proprio Sacerdoti confiterentur. Hæc fuit veteris Ecclesiæ disciplina, quæ non effugit, quod etiam Socii criminum notarentur, licet id non conduceret ad cognoscendam peccati, vel speciem, vel malitiam, sed solum inconveniens aliquod detegendum, puta matrimonii invaliditatem, vel ut per hanc manifestationem, ab innocentibus consortes criminum viderentur emendati. Primum casum describit citatum Pœnitentiale cap. 11. de secundo agit Augustinus in cap, 5. homil. 49. & 50. Ab his igitur quæ antiquitus in Ecclesia observabantur, patet quod si ad alium Sacerdotem quis non possit accedere, cui criminis socius sit ignotus, nec locus sit differendæ confessioni, necesse est ut pœnitens criminis socium accuset, cum non sit major ratio cur id quod olim licuit, illicitum hodie cognoscatur, nec magis olim quam hodie necessaria sit Confessionis integritas; Quod si olim alienæ famæ detractor non audiebatur a Patribus ille, qui socium criminis accusabat, nec hodie audietur, cum præsertim juri suo ille cesserit, hoc ipso, quod in crimine consors voluit inveniri.

XXII. Excipitur tamen ab hac responsione Casus illius Complicis, qui coacte consensit in crimen, unde conveniunt Theologi non esse aperiendam circumstantiam sororis a fratre, qui illi vim intulit, sed satis esse quod dicat se cum consanguinea incestum commisisse. Docent etiam posse in Confessione omitti peccatum, vel tacere circumstantiam ejus necessariam, si esset morale periculum Confessorem extra Confessionem infamaturum Complicem, aut aliud nocumentum ei allaturum, quia tunc non obligat ratio integritatis, unde est illud Bernardi libro de præcepto, & dispens. *Quod propter charitatem introductum est, contra eandem charitatem exerceri non debet*; & consequenter, quia charitas obligat ad vitandum grave damnum proximi, lex

Con-

Confeſſionis, quæ poſitiva eſt, tunc non obligat cum tanto proximi diſpendio.

XXIII. Quamquam noſtra reſponſio veriſimiliorem Theologorum ſententiam complectatur, tamen diſſimulandum non eſt graviſſimos aliquos Theologos oppoſitum ſuſtinere, unde ſentiunt hi, quod quando unum de duobus eſt neceſſarium, aut tacere peccatum, vel circumſtantiam ejus neceſſariam, aut quod Confeſſor intelligat perſonam Complicis, tunc pœnitentem ita ſe gerere debere, ſicut qui non habet copiam Confeſſoris, quantum ad illam culpam, vel circumſtantiam, quam non poteſt ſine Complice manifeſtare: Volunt enim hi Theologi, quod nulla tunc ſit cauſſa legitima infamandi proximum, ſive hæc quæratur ex natura Sacramenti, ad cujus veritatem ſatis eſt integritas formalis, quando materialis haberi non poteſt ſine læſione præcepti alicujus naturalis de non infamando proximo concurrentis cum præcepto poſitivo de integritate Confeſſionis, ſive quæratur ex parte pœnitentis, nam pœnitens Sacramenti effectum poteſt recipere, ſcilicet remiſſionem omnium peccatorum, ſive directe, ſive indirecte, quod non multum refert: quapropter ſi illis objiciatur, unumquemque debere ſalutem propriam præferre famæ alterius, dicunt hoc eſſe illud ſuppoſitum, quod probandum eſt, aut ad plurimum hoc verum eſſe, quando utrumque ſimul ſervari non poteſt, ut in hoc caſu, in quo ille qui ſic confitetur, formaliter confitetur integre, & indirecte etiam illius peccati veniam conſequitur, cujus circumſtantiam ſilet, ut famam proximi tueatur. Quod ſi ulterius aliquis inſtet poſſe unumquemque uti jure ſuo, etiam cum alterius incommodo, reſpondent hoc jus gratis affirmari cum damno proximi, pro quo militat, & prævalet jus naturale, ne illi ſiat injuria, etiam in Sacramentali Confeſſione, cujus integritas materialis eſt de jure poſitivo, & quæ non attenditur, ſi timeatur extrinſeca infamatio per revelationem ſigilli, ſed tunc ſatis eſt integritas formalis, ergo eadem attendi poterit ratione infamiæ, quæ in ipſa Confeſſione ſit per revelationem Complicis, quæ res parvi momenti dici non poteſt; quandoquidem ſi ſine cauſſa ſiat, ſufficit ad peccandum mortaliter. Quod ſi demum illis opponatur huic periculo ſe Complicem expoſſuiſſe, cum libere in alienum peccatum conſenſit, hanc rationem convincentem non habent, neque ex motivo periculi juſtæ infamationis, neque ex motivo injuſtæ; non ex ſecundo motivo, quia quilibet tenetur a tali infamatione abſtinere, non ex primo, quia periculum illud nullum eſt, cum nemo, ut dictum eſt, poſſit juſte revelare id quod tendit ad alterius infamationem.

XXIV. Tota itaque difficultas, quæ in hac ſententia palmaria eſt, reſtringitur ad naturam detractionis, quæ ſemper illicita creditur, & contra naturam præcepti poſitivi, quod tale eſt, ut non poſſit derogare præcepto naturali.

Solvit hanc difficultatem D. Thomas ubi oſtendit detractionem non ſemper eſſe illicitam, præſertim quando eſt materialis, & propterea talis detractio non eſt contra naturale præceptum, cum non prohibeatur ex lege naturæ. *Contingit quandoque*, ſic loquitur D. Thomas in 2. 2. p. 73. a. 2. in corpore, *quod aliquis dicit aliqua verba per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, ſed aliquid aliud. Hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter, & quaſi per accidens. Et ſi quidem verba per quæ fama alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio*. Si itaque neceſſitas extra Confeſſionem in ſenſu Divi Thomæ

R 2 per-

permittit materialem detractionem, non intelligitur, quare permittenda non sit in Sacramentali Confessione, in qua major intercedit hæc necessitas. Malum proximi directe intendi non potest, neque ejusdem proximi, quis potest denigrare famam, cum sine rationabili caussa id fiat, sed si hæc intentio desit, & caussa occurrat legitima, actio per se mala non est, nec jure naturæ prohibita, unde Bernardus in formula honestæ vitæ scripsit: *de nullo sinistro loquaris nisi in Confessione, & hoc ubi aliter non possis explicare peccatum tuum*.

Ad id quod additur de viribus utriusque legis naturalis, & positivæ responderi potest id verum esse, si hujusmodi legum materia, & circumstantiæ necessariæ in eodem statu maneant, non vero si mutentur, ut sequitur in casu de quo disputatur, ita ut lex positiva possit cohonestare actionem, quæ sine superadditis circumstantiis inhonesta esset. In institutione Confessionis hoc observatur, ratione cujus quis tenetur prodere se ipsum, etiam cum sua infamia, materiali tamen, propter integritatem ejusdem Confessionis, quod certe illi non liceret extra casum Confessionis.

XXV. Postremò ad integritatem Confessionis necessarium est confiteri dubia peccata, ut dubia sunt, & non ut certa, ut Confessio sit fidelis, & vera, ex quocumque capite postea dubium oriatur, juxta vulgare axioma in dubiis tutior pars est eligenda. Dixi *& non, ut certa*, quia Concilium ait confitenda esse omnia peccata mortalia, *quæ sunt in Conscientia*, si ergo in Conscientia sunt dubia, non debent confiteri ut certa, alioquin Confessor deciperetur in re gravi, & pœnitentes graviter peccant, nisi bona fides, & simplicitas illos excusent, ut advertunt Theologi, quod etiam cavendum est in Confessione aliorum peccatorum, ne quis in Confessione mentiatur.

XXVI. Quæ de integritate Confessionis huc usque diximus vera sunt, & in praxi attendenda, nisi rationabilis caussa hanc integritatem excuset, quæ omnia omnino peccata mortalia in Confessione aperit, quæ in re ipsa commissa sunt; quæ rationabilis caussa quando occurrit aliam integritatem Confessionis permittit, quæ efficaciæ Sacramenti nihil detrahit. Hinc apud Theologos duplex Confessionis integritas memoratur. Altera quæ materialis dicitur, & altera quæ vocatur formalis. Ad materialem integritatem pertinet manifestatio omnium peccatorum, ad formalem vero non ita. Illa semper necessaria non est, hæc vero semper requiritur. Primus casus in quo materialis integritas non requiritur, est casus ignorantiæ invincibilis, vel oblivionis. *Constat in Ecclesia*, ita loquuntur Tridentini Patres loco supra citato, *nihil aliud a Pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & Conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur*, quibus se *Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit*.

Secundus casus est periculi certe, & infallibiliter eminentis ex Confessione, quæ sit materialiter integra, aut gravis scandali in propria salute spirituali, aut ipsius Confessoris, vel alterius tertiæ Personæ, hoc enim sibi vindicant præcepta positiva, ut cum tanto dispendio, & periculo non obligent.

Tertius casus, est mortis instantis ex Naufragio, ex Contagio, aut ex quocumque alio repentino morbo gravissimo, quia præceptum morale ad impossibile non obligat, solum in his casibus observandum est, quod detur materia certa, & non dubia, & si potuerit dari species alicujus peccati, id non prætermittatur.

Addi etiam potest casus imperitiæ linguæ, aut si quis esset surdus, vel mutus

mutus, qui omnes præcepto Confesfionis fatisfacerent, quamvis omnia peccata non exponerent, Deus enim impoffibilia non vult, & impium eft dicere Confeffionem; quæ hac ratione præcipitur, ut ait Concilium Tridentinum *impoffibilem dicere, aut illam carnificinam confcientiarum appellare.*

XXVII. Quibusdam autem ex his cafibus provifum fuiffe a Sacris Canonibus intelligimus, ut confuleretur, quantum fieri potuiffet, integritati Confeffionis, quare in canon. 12. Concilii Araufícani Confeffionis per nutum egregium habemus teftimonium, & aliud apud S. Leonem Papam Epift. 83. apud Theodorum Epifcopum Forojulienfem cap. 5. ita pariter eos, qui infirmitate oppreffi obmutuiffent, per teftimonium eorum, qui illos audiviffent accepiffe pœnitentiam tradit canon. 20. Isaaci Lingonenfis Epifcopi titulo 1. & demum valide confiteri illum, qui peccata fua Confeffario præfenti per litteras detegit, aut internuntium ex declaratione Clementis VIII. ut Armacanus teftatur, omnibus omnino jam innotuit. Extra tamen cafum impotententiæ non licere confiteri fcripto, aut aliquo figno, quam voce decrevit Synodus Nemaufenfis a. 1284. & S. Thomas docuit quodlibet 1. a. 10. *magis enim pudore pœnitentem fuffundit oris Confeffio; & æquum eft, quod qui per fe peccavit*, ut Nemaufenfes Patres dixerunt, *per fe ipfum confiteatur, & erubefcat*, congruet etiam naturæ Sacramenti, pro quo adhibenda eft materia in ufu communiori, quidquid fit de Sacramento Matrimonii quod per internuntium, aut per epiftolas valet, cum in iis quæ a libera Dei voluntate dependent ab uno ad aliud fimile illatio non valeat, & exceptio in uno cafu non firmet regulam in contrarium in aliis cafibus, qui funt fimiles exceptis; præterquam quod contrarium occurrit in reliquis omnibus Sacramentis, quæ nonnifi ex proprio Miniftri ore conficiuntur.

C A P U T VI.

D E S A T I S F A C T I O N E.

Satisfactio, ut nomen ipfum fignificat, & prout hic a nobis accipitur, dicitur omnis actio, per quam aliquis debitum fuum implet ratione peccati commiffi, unde fequitur ex hoc fatisfactionem hanc neceffario effe cum illa juftitia conjunctam, quæ proprie & rigorofe fumpta in recompenfandis injuriis verfatur, quæ potius, quam in rebus, in actionibus confiftunt, quæ in perfonam aliquam redundarunt. Quis vero tantus eft, ut fibi affumat in his quæ funt ad Deum poffe æquivalens reddere fecundum quantitatem offenfæ? De hac igitur Satisfactione inutile eft modo agere, non vero de illa, quæ fufficenter fieri poteft, & quæ fpecialiter pœnam refpicit, quam peccator patitur, ut Deum fibi iratum placet, ut redimat fe a malis per legem determinatis, & quæ dici folet *quædam dolentis vindicta voluntarie in fe punientis, quod commififfe dolet*. Poffet quidem Deus omne debitum condonare, quod femel ipfe facit, vel in Baptismo, vel in Martyrio, fed poteft etiam id velle, quod lapfis poft Baptifmum per Sacramentum Pœnitentiæ culpa remittatur, & pœna æterna, quæ læthalem culpam confequitur fed ma-

neat

neat adhuc debitum pœnæ temporalis, quæ per alia opera injuncta redimatur. Hæc illa duo dogmata sunt, quæ in præsenti Controversia contra Hæreticos propugnamus; quia vero de debito pœnæ temporalis luendæ in altera vita hic agere supersedemus, acturi de hoc in Tractatu de Purgatorio, statum controversiæ limitamus ad debitum pœnæ temporalis in hac vitæ luendæ per pœnas temporales piè tolleratas, & a Sacerdotibus vi clavium injunctas.

§. I. *Debitum Pœnæ temporalis luendæ, in hac vita pro peccatis remissis perperam ab Hæreticis impugnatur.*

I. Hæc Propositio est contra Calvinum, qui lib. 3. Instit. cap. 4. §. 31. 32. docet Deum a justis nullas expetere pœnas in vindictam peccati præteriti, sed eos tantum paternè castigare ad profectum, & emendationem in posterum. Præluxerat Calvino Lutherus, in Concione de Indulgentiis contra Eckium, ubi negavit ullam pœnam a Deo exigi post culpam, licet postea in assertione articulorum suorum opositum docuerit, subscribentibus huic posteriori sententiæ Melanctone in locis ultimo editis tit. de Satisfactione, & Kemnitio in 2. part. Exam. Trident. Concil. pag. 1074.

Tria Calvinus objicit contra Catholicam propositionem: 1. auctoritatem petitam ex cap. 33. Ezechielis: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, tum locum ex cap. 8. epistolæ ad Rom. *nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*, tum pleraque alia loca quibus gratuita peccatorum remissio probatur, & eorumdem purgatio Christo attribuitur. 2. vult Sacramentum Pœnitentiæ in suo effectu debere convenire cum effectu Baptismi, qui est amplissimus quo ad hoc, ut remittat culpam, & quodcumque debitum pœnæ tum æternæ, tum temporalis, vel in hac vita luendæ, vel in futura, cui favet Augustini dictum, *Caro Christi verum est, & unicum pro peccatis Sacrificium non modo iis, quæ aninersa in Baptismate delentur, sed quæ postea ex infirmitate subrepunt, propter quæ universa quotidie clamat Ecclesia: Remitte nobis debita nostra, & remittuntur per singulare illud Sacrificium*. 3. Congerit tum ex Scriptura, tum ex Patribus loca illa, quæ illi probare videntur Deum non inferre supplicia, ut puniat peccata, sed tantum ut peccatores excitet ad resipiscentiam. *Stultissimus*, inquit, *fuerit* (loc. cit. cap. 4. §. 35.) *si quis arbitretur præsentis vitæ calamitates in peccati noxam esse nobis impositas. Id mihi videtur Chrysostomus voluisse, cum ita scripsit: si ob hoc pœnas infert Deus, ut in malis perseverantes ad Pœnitentiam vocet, ostensa Pœnitentia, superflua jam erit pœna. Quare prout unusquisque ingenio expedire novit, ita hunc majori asperitate, illum benigniori tractat indulgentia. Itaque ubi docere vult, se non esse in pœnis exigendis immodicum, exprobrat duro, & obstinato populo, quod percussus, non tamen faciat finem peccandi. Hoc sensu conqueritur Ephraim esse quasi placentam ab una parte torridam, ab altera parte incoctam, quia scilicet non penetrabant in animos ferulæ, ut vitiis excoctis populus ipse capax veniæ fieret. Certe qui sic loquitur ostendit simul ac quisque resipuerit, se mox fore placabilem, sibique nostra pervicaciæ exprimi quem exercet rigorem in castigandis delictis, cui voluntaria correctio occurreret.*

II. Ceterum veritas Catholica expressa est in Sacra Scriptura 2. Regum 12. & 14. ubi licet Deus remiserit culpam Davidi, noluit tamen temporalem pœnam

pœnam remittere mortis filii, quem ex adulterio acceperat, & pestilentiæ ob numeratum populum, idem legimus egisse Deum cum Moyse, & Aaron, & aliis Numerorum 14. & 20. qui non ingressi sunt in terram Promissionis, quod increduli fuerant ad aquas contradictionis, & quia populus universus exceptis Caleb, & Josue murmuraverunt contra Dominum. Remisit Deus Adæ peccatum suum (Sapientiæ 10.) sed pœnalitates non abstulit, quæ in omnes homines derivarunt, ut Augustinus notavit lib. 2. contra Faustum c. 67. Neque aliud significant hæc Jobi verba cap. 9. *Sciens quia non parceres delinquenti*, ut illa interpretatur Gregorius lib. 9. Moral. cap. 17. pro pœna quæ non remittitur saltem sine congrua satisfactione, ut ajunt.

Quid ad hæc Calvinus? Numquid pœnas non fuisse a Deo inflictas in vindictam peccati præteriti? Hoc profecto dixit loco cito §. 31. & 35. agens de iis, quæ Davidi evenerunt: *fuisse*, ait, *paternas correctiones*, innixus auctoritati Chrysostomi in homil. de Pœniten. & Confes. *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens*. Attamen Calvinum hallucinatum fuisse docet ipsa Sacra Scriptura, quæ punitionis caussam refundit in Davidis culpas præteritas: *quia blasphemare fecisti* 2. Reg. 12. *inimicos Nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur*, & revera Pœnitentiæ laboribus perfunctus est David, ut pœnas patrati sceleris lueret, quod S. Gregorius confirmat l. c. cap. 27.

III. Non negamus certe quandoque contingere, aut contigisse afflictiones temporales, ærumnas, dolores, & mortem ipsam in exercitium virtutis, ut Sancti Patres sæpe docent, verum non semper hic finis attendi potest, præsertim, cum infirmitatibus, periculis, & morti subjaceant infantes, qui virtutem exercere non valent, & quibus hujusmodi pœnæ ad cavenda futura non proficiunt; imò etiamsi hæc singula consideremus esse exercitia virtutis, tamen semper habent rationem pœnæ, quia videmus plerumque illis etiam accidere, qui justi sunt; & nullum actum virtutis elicere possunt, vel propter vim morbi, aut imbecillitatem mentis, & mortem etiam repentinam; utramque ergo naturam induunt hujusmodi Pœnalitates, ut sint in exercitium virtutis, & sint in pœnam peccati. Utrumque in iis agnovit Augustinus, qui in lib. 13. de Civit. Dei cap. 6. ait. *Cum ex primi hominis perpetua propagine procul dubio sit mors pœna nascentis, tamen si pro pietate, justitiaque pendatur fit gloria renascentis, & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato*, utrumque etiam agnovit Chrysostomus in loco a Calvino citato, qui antequam dixisset. *Deum non exigere supplicium de peccatis, sed ad futura corrigere*, dixerat: *ne peccantes, & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnorum sit non puniri, propter hoc imponit pœnam. Pœna igitur, quam Deus imponit, est supplicium non remissum; quare vero non est remissum? ne peccantes maneant inulti*. Chrysostomus itaque cognoscit pœnam deberi peccatis, quæ duo operatur, ultionem scilicet peccatorum, & nostram utilitatem, nam Deus peccatores his pœnis affligit, ut a via sua mala divertant, & ambulent in viis justitiæ, quod tandem Calvinus cognovit, dum in loco citato cap. 8. §. 6. oblitus eorum, quæ antea scripserat ait: *non modo infirmitatem nostram prævenire, sed præterita etiam delicta colligere habet clementissimus Pater, ut nos in legitima erga se obedientia contineat*; proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debent

præ-

præterea omnia quæ gessimus, & ita procul dubio reperiemus ea nos admisisse, per quæ torqueri merebamur.

IV. Ita vero Patres semper intellexisse superiora loca Scripturarum in pluribus potest demonstrari. Docuit hoc Tertullianus in lib. de Pœnitentia variis in locis, Cyprianus in libro de lapsis, ubi non sinebat ad Communionem admittere lapsos, qui magnam Pœnitentiam non peregissent, quod sæpe repetit etiam in suis Epistolis. Locus etiam singularis est apud Augustinum in Enchiridio cap. 70. & ennarratione in Psalmum 50. ubi explicans illa verba: *Ecce veritatem dilexisti*, sic vertit *Impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti*, & rursum in lib. de vera, & falsa Pœnitentia c. 18. *conversus vita vivet, non tamen promittimus, quod evadat omnem pœnam*. Insignora etiam sunt illa Patrum loca, in quibus pro majoribus peccatis graviorem esse agendam Pœnitentiam docent. *Sane & Divinæ justitiæ*, inquiunt Tridentini PP. in cap. 8. Sess. XIV. *ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, scientes, templum Dei violare, & Spiritum S. contristare non formidaverint*. Addunt ulterius qood, *& Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii, & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die ira &c.* Patet itaque ex Tridentinis PP. quod Pœnitentia non applicatur tamquam alia regeneratio, sed tamquam medicina, quæ sanat, sed non omnem pœnam remittit, seu ut ait Origenes homil. 8. *omnem cicatricem non tollit*, temporalem namque pœnam relinquit, & ideo decet ut pro illa homines satisfaciant.

V. Hinc ergo facile Calvini argumenta expediuntur, nam primum illud quod objicit testimonium petitum ab Ezechiele explicatur per aliam ejusdem Ezechielis Sententiam cap. 18. *Si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, sed in hoc loco per Prophetam pollicetur Deus se non recordaturum iniquitatum impii, ut illas puniat sempiterna morte, qui aliunde noverat, se illas fuisse puniturum pœna aliqua temporali, ut accidit in Moyse, Aarone, Davide, & aliis; ita & cum Propheta ait quod: *impietas impii non nocebit ei*, intelligendus est Propheta se polliceri nihil impio obfuturam impietatem ejus ad obtinendam, & consequendam gratiam Dei, & salutem æternam absque respectu ad temporales ærumnas, idque congruit cum verbis ejusdem Prophetæ, quibus promisit impium post conversionem non moriturum, & justum post avversionem non victurum. Accedit huic responsioni robur ex integro contextu verborum Ezechielis. *Justitia justi*, sic inquit Ezechiel, *non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii, non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit*; sed non implicat, quod opera justi post avversionem possint temporali aliqua mercede donari, ut SS. Patres docent, neque repugnare debet quod mala opera impii post conversionem in hoc Sæculo aliqua pœna puniantur ad satisfactionem, & purgationem. Observatur itaque merito Apostolum dixisse in cap. 8. Epistolæ ad Romanos *nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu*, cum revera reatus pœnæ temporalis impium conversum non reddat damnatione dignum, hoc enim tantummodo sonant verba Pauli, qui nomen damnationis pluries in eadem Epistola usurpavit ad significandam æternam damnationem,

nem, ut constat tum ex cap. 3. ubi ait, *quorum damnatio justa est*, tum etiam ex cap. 13. in quo scribit: *Ipsi sibi damnationem acquirunt*, neque aliud significare voluit in cap. 8. in quo proposuit Christianis insigne consolationis argumentum. *Nihil illis, qui in Christo vivunt, & perseverant, esse, quod damnationem afferat*, licet sentiant metus concupiscentiæ, quia in Christo sunt, & non ambulant secundum carnem. Neque nos terreat peccatorum remissionem dici a Scripturis opus Dei gratuitum, ut temere objiciebat Calvinus, quia non sequitur ex hoc, quod cum satisfactione pugnet. *Habemus*, inquit Ambrosius in libro de Helia, & Jejunio cap. 20. *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes redime peccatum tuum*. *Non sufficit*, inquit Augustinus in cap. 15. homil. 50. *mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de iis, quæ facta sunt satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium cooperantibus eleemosinis*. Ambrosio, & Augustino plurimi alii ex Patribus suffragantur, neque contrarium docent Scripturæ in cap. 16. Proverb. *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas*. In cap. 4. Danielis *peccata tua eleemosinis redime*, & in cap. 7. Lucæ. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Unde dicimus in remissione peccatorum gratuitum esse id, quod ad illam disponit, Fides scilicet, & Pœnitentia, gratuitus actus ille, quo Deus nos in sui amicitiam, & gratiam recipit, culpam condonat, & reatum mortis æternæ, & gratiæ infusionem, qua indigemus, ut Deo satisfaciamus pro temporalibus pœnis. Satisfactio igitur, ut ex hac gratuitorum actuum distributione colligitur, non adversatur gratuitæ peccatorum remissioni, sed ab illa tamquam effectus a sua caussa manat, cum non opponatur gratia operibus, quæ ab ipsa eliciuntur. Quod demum addit Calvinus ad robur sui prioris argumenti, Christo nimirum attributam esse omnium peccatorum purgationem inquantum scilicet, ut de inimicis, & impiis, Justos, & amicos Deo faceret, ultro concedimus, cum id Apostolus docuerit ad Rom. 5. *Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*: ad Romanos 8. & idem legatur in 1. Petri 2. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus*. Verum quid repugnat, quod addamus homines per Christum reconciliatos Deo, & redemptos Christi virtute ipsi Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis, cum satisfactio ex Scripturis, & Patribus cognoscatur unum ex instrumentis divinitus institutis ad pœnam hanc expiandam?

VI. In altero argumento Calvinus nullum vellet discrimen esse inter effectum Baptismi, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, sed præterquamquod hoc sine fundamento affirmat, quod tamen exponunt Tridentini Patres, ut nuper vidimus, quia scilicet *ante Baptismum homo carebat, & viribus gratiæ, & lumine fidei*, fraudolenter etiam scribit Catholicos asserere post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones, quam propositionem nunquam Catholici pronunciarunt, qui non semel docuerunt peccata omnia sive ante, sive post Baptismum commissa Christi Sanguine, & Redemptione purgari. Solum Catholici docuerunt, & docent, quoad remissionem pœnæ temporalis hæc duo Sacramenta non conveuire, quia hæc solum cooperante satisfactione post Baptismum lapsis remittitur, divina justitia sic exigente, cum lapsis ante Baptismum nullius Satisfactionis intuitu tota deleatur. Non fit igitur semel, ut docebat Calvinus, peccatorum remissio, & peccatoris reconciliatio per

Baptismum, sed fit etiam per Pœnitentiæ Sacramentum, per quod resurgimus, non vero per satisfactionem, quæ solum desideratur ad expiandum statum pœnæ temporalis. Neque ad rem facit id, quod profert ex Augustino, nam in illis verbis agit S. Doctor de efficacia Sacrificii Crucis, quæ nobis applicatur non solum per Baptismum, sed etiam per cetera Sacramenta, quia ex eo Sacrificio omnia vim habent; non agit ibi de Satisfactione, quam pluribus aliis in locis, vel citatis, vel quæ citari possent, nisi veritas ipsa per se pateret, necessariam esse sibi semper persuasit, & ceteris omnibus explicavit Enarrat. in Psal. 50. cum docuit: *Deum omnino velle ut peccatum non maneat impunitum, & tum non punire peccata nostra cum nos ipsi ea punimus*: Unde inquit: *non impunitum erit peccatum meum; sed ideo nolo, ut tu punias, quia ego peccatum meum punio*.

VII. Ultimum quod ex Calvino produximus argumentum non impugnamus, quia numquam negavimus Deum terroribus, & suppliciis peccatores ad resipiscentiam revocare, quod præsertim verum est cum hujusmodi terrores, & urgentium malorum turmæ, peccatores nondum conversos exagitant, de quibus afflictionibus agit Chrysostomus a Calvino laudatus, quas propterea post impetratam veniam cessare æquissimum est, quemadmodum egerant Jeremias, & Osea, cum obstinatum Populum Ephraim a Deo fuisse percussum describunt, ut finem peccandi faceret. Non sequitur tamen ex his non oportere, aut non oportuisse populum jam emendatum laboriosis Pœnitentiæ operibus urgeri ad satisfaciendum Deo in peccatorum præteritorum vindictam. *Tu quibus rebus provocasti Deum*, inquit Chrysostomus in homilia de B. Philogonio, *per illas rursus facito propitium*; & homil. in Psalm. 106. *Pejus est*, ait, *Dei offensam non satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere*. Nec contrarium docuerunt memorati Prophetæ, non oportuisse scilicet populum post suam Confessionem Pœnitentiam agere, & pro præteritis culpis Deo satisfacere ad offensam aliquo modo compensandam. Nec multum valet exempla, ex Scripturis petere eorum, qui sine ulla imposita mulcta justificati leguntur, nam dici potest illorum Pœnitentiam fuisse Scripturas, vel quia necessitas non postulabat, ut illas recenseret, vel quia acrior eorum, & intensa Contritio omnia delevit crimina, & pœnas remisit, & (ut auctor libri de Dogmatibus Ecclesiasticis observavit in cap. 53. sive Augustinus hic fuerit, sive Gennadius) *mutato prius sæculari habitu, & confesso Religionis studio, per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu miserante Deo, ita dumtaxat, ut eorum quilibet contraria pro his quæ pœnituit ageret, ut Magdalena, Publicanus, Petrus, aliique præstiterunt*, quæ profecto singula veræ eorum satisfactionis satis exprimunt characteres, & ostendunt indigere explicatione, si quæ reperiantur Patrum auctoritates, quæ sanctissimos illos pœnitentes sine satisfactione docuerint pœnæ temporalis reatum expiasse, & cum de Petro id scripserit Ambrosius in Sermone 46. & lib. 10. in Lucam cap. 96. *lacbrymas ejus lego, satisfactionem non lego*, dicendum est S. Ambrosium in locis illis usurpasse vocabulum *Satisfactionis* loco *defensionis*, & *excusationis*, ut ipse Petrus usurpaverat in sua 1. Epis. c. 3. ubi scripsit: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*, & Apostolus in cap. 24. Act. *Bono animo pro me satisfaciam*, & hoc eruitur ex sequentibus Ambrosii verbis: *Recte Petrus flevit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari*.

§. II. Pro

§. II. *Pro reatu Pœnæ temporalis multipliciter satisfieri potest, communiter operibus Pœnalibus, & afflictivis, aliquando etiam operibus alioquin debitis.*

VIII. Prima pars hujus propositionis adeo certa est, ut si pauci excipiantur casus, controverti non possit. Nullus hominum, quantumvis justus, pœnam mortis potuit unquam avvertere, nec David potuit redimere mortem filii sui, ut habetur in 2. Reg. cap. 12. nec Moyses unquam obtinuit condonationem pœnæ, quam sibi promeruit, eoquod Deum offenderat in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec Sanctificare illum voluerat coram ea super aquas, ut legitur in cap. 3. Deutor. His itaque, aliisque similibus casibus prætermissis, generaliter loquendo potest homo post amicitiam cum Deo reformatam reatum temporalis pœnæ redimere. Eruitur hoc ex cap. 7. 2. Paralip. ex cap. 18. Jerem. ex 4. Danielis, & efficacius adhuc ex 1. Cor. 11. *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*: unde S. Gregorius in lib. 9. Moral. c. 27. scripsit: *Procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se Pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit*. Doceat nunc Calvinus peccatorum pœnas nullis operibus redimi posse, habet contra se hæc omnia Scripturarum testimonia, habet constantem Ecclesiæ traditionem, imò habet ipsum suum argumentum, quod *arietem* vocat, & quo Catholicos pulsat, quod sic exponit loco supra cit. §. 30. *Validum autem in primis arietem nobis suppeditat, quod de expiandis Peccatorum noxiis in lege Mosayca præscribitur. Neque enim illic Dominus hanc, aut illam satisfaciendi legem constituit, sed totam in Sacrificiis compensationem requirit: Ubi tamen alioqui diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Qui fit autem, ut nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat, sed sola in expiatione Sacrificia requirat, nisi quod ita testari vult unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur? nam quæ tunc immolabant Sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur, sed a sua veritate, hoc est unico Christi Sacrificio æstimabantur*. Hoc est palmarium argumentum Calvini.

IX. Sed pluribus mendaciis hæc Calvini argumentatio referta est. Primum est, quod negat in Levitico ullam fuisse constitutam satisfaciendi legem. Oppositum autem legitur in cap. 6. a vers. 2. usque ad 8. in quo non solum legitur satisfactio, sed etiam satisfactionis mensura *juxta æstimationem, mensuramque delicti*. In hoc eodem cap. legitur Sacrificium institutum pro peccato nato ex incuria & calumnia in proximum. In 4. & 5. leguntur Sacrificia imperata pro peccato Pontificis, pro peccato Populi, pro peccato Principis, pro homine plebejo, seu gregario, pro peccatis commissis per ignorantiam, oblivionem, & errorem. Pro aliis peccatis gravioribus nulla leguntur in Levitico instituta Sacrificia, ex quo eruitur secundum Calvini mendacium cum dicit, quod Dominus *totam in Sacrificiis compensationem requirit*, & hinc nascitur 3. mendacium, quod Dominus in Levit. *alioqui diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur*. Quartum mendacium in his Calvi verbis continetur, quod Dominus *nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat*. Quid enim erant Sacrificia imperata, nisi opera præscripta ad delicta curanda? Et certe opera non solum Divina, quia Deus illa præscripserat, sed etiam hominum, quia ab hominibus ea offerebantur, quæ Sacerdotes immolabant, & præterea Satisfactoria, quia per

illa, non sine offerentium incommodo Deo jus suum reddebatur, & cultus illi debitus exhibebatur, & Deus iratus placabatur. Tot igitur in Calvini argumento, quod Arietem vocat, mendacia leguntur, quot sententias imperitis sermonibus profert, adeo semper aspirat ad impiam a legibus Divinis, & humanis libertatem, & exemptionem. Discat ergo Novator Sacrificia veteris legis valuisse solum ad expiationem pœnæ temporalis, tollendamque immunditiam legalem, nec illis ex opere facto annexam fuisse Spiritualem promissionem, quæ tamen ut annexa est ceteris, sic præcipue Sacramento Pœnitentiæ, cui unice post Baptismum convenit, & mortalem culpam, & pœnam æternam illi debitam expiare.

X. Lutherus Calvino in hoc paullo æquior est, nam in assertione Articulorum suorum artic. 5. docet pœnis sponte susceptis manum Dei posse nos prævenire, & pœnas illas avvertere, quas alioqui ob nostra scelera meruissemus: Verum addit quod vehementer odit, & sublatum vellet hoc vocabulum *Satisfactio*, quod non modo in Scripturis non invenìatur, sed & periculosum habet usum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia. Errat tamen in hoc plurimum Lutherus, & suum errorem damnarunt Tridentini Patres in can. 13. Sess. XIV. sed magis etiam errat cum in eodem articulo 5. sententiam suam ita confirmat: *Satisfactionem negavi, qualem ipsi docent, quod mihi non erit difficile probare. Ostendant si possunt ubi in tota Scriptura unus apex, aut jota scribatur pro peccato mortali uno debere satisfieri septem annis: dicant ubi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuit Christus, & Apostoli. Nonne hæc omnia sunt postea inventa ab Episcopis? Imò dent unum ex antiquis Patribus, in quo legantur, quadragenæ, septenæ, & similia. Ubi fecerint, libens revocabo*. Lutheri imperitiam, & errorem convincit libri secundi Regum historia, ubi David pro sua culpa pœna inducitur septem annorum, aut si mallet brevior quidem, sed durior trium mensium, & demum brevissima trium dierum, sed etiam gravissima. Factum ita a Scriptura narratur in cap. 24. *addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem. Vade numera Israel, & Judam &c. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi Regi &c. & dixit David ad Dominum: peccavi valde in hoc facto &c. Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi... aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua*. Septem quoque temporum pœnam luisse Nabuccodonosor Regem pro delicto suo legitur in cap. 4. Danielis. Inauditus ergo non est hic pœnitentiæ usus in Sacris litteris, Jam supra vidimus in cap. 6. Levit. pœnarum differentias juxta culparum varietatem imperari, igitur non omnia sunt Episcoporum inventa pro peccatis iniunctæ satisfactiones, sed res sunt Scripturarum exemplis ab Ecclesia firmatæ, quæ verba illa cap. 18. Apocalipsis: *quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, non aliter semper intellexit, ac si regulam exhiberent pro injungendis satisfactionis operibus. Temere itaque Lutherus ad veteres Patres nos provocat, quasi nullus eorum hæc satisfactionis opera vel decerneret, vel probaret. Nimium argumentum excederet si singulorum recenserem testimonia, quibus dum parco, Concilia tria antiquissima, ut reliqua omnia prætercam, Ancyranum,

Ni-

Nicænum, & Eliberitanum argumentationis vim claudent. Canon. 7. Concilii Ancyrani septennariam pœnitentiam illis imponit, qui sacrificavissent coacti Idolis; breviorem, vel diuturniorem aliis delictis idem Concilium decernit. Canon 2. Concilii Nicœni his, qui sponte lapsi sunt undecim annorum pœnitentiam præscribit, & tresdecim annos in afflictione permanere illos jubet Canon 12. qui militiæ cigulum deposuerunt, & non perseverarunt. Postremo Canon 5. Elibertani Concilii Dominam, quæ per zelum ancillam occiderit, si voluntate, post septem annos, si casu, per quinque annorum tempora acta legitima pœnitentia ad communionem statuit admitti.

XI. Hujus argumenti veritatem non dissimulavit Illyricus, qui variis in locis veteres Patres illos recenset, qui satisfactionem quæ Dominum placat, & peccata redimit, agnoverunt. In tertia Centur. cap. 4. & 10. Tertullianum, Origenem, & Cyprianum citat. In 4. Centur. cap. 4. & 10. Hillarium memorat, Nazianzenum, Ambrosium, Lactantium, Hieronymum. Theophilum Alexandrinum, Antonium Magnum. In 5. Centuria cap. 4. & 10. refert Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Prosperum, Maximum, Paulinum, Cassianum, Hesichium. In reliquis Centuriis usque ad undecimam, reprobat Cassiodorum, Gregorium, Isidorum & Bedam ejusdem sententiæ Patronos. Agnovit idipsum Calvinus, quamquam ne veritatem a Patribus discere videretur, asseruerit loco supra cit. §. 38. se non moveri ab iis, quæ in veterum Patrum scriptis de satisfactione passim occurrunt, vel qua in parte lapsi sint, aut nimis aspere, & dure locuti; vel quia vocarunt satisfactionem, non compensationem, quæ Deo adderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant sua pœnitentia certiorem, atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere. Quis vero hæc Calvino concedat, ut per xv. Secula Patres omnes erraverint? *Quod apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum*, inquit Tertullianus. Quis concedet Patres fuisse locutos de Satisfactione, quæ exhiberetur Ecclesiæ non Deo, si pro occultissimis criminibus hæ satisfactiones injungebantur? Si hoc pretio Dominum instituisse veniam addjicere, & hac Pœnitentiæ compensatione proposuisse redimendam impunitatem, dixerunt? Notum est id, quod adversus eos scripsit Cyprianus, qui non præmissa plena satisfactione lapsos reconciliabant: *Hi elaborant*, ait in lib. 1. epist. 3. *Ne Deo indignanti satisfiat*. Deo satisfacere licere scripsit Lactantius in lib. 5. de Justitia c. 13. & l. 6. c. 24. *Potest* inquit, *reduci, & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conversus satisfaciat Deo*; & solemne est quod S. Maximus docuit homil. in die Cinerum. *Non reprehenditur ille, qui dudum corde devio, & lubricis gressibus a tramite elapsus salutis redintegrare se Deo moesta pœnitentia satisfactione conatur*; & quamquam Calvinus pro sua sententia Augustinum citet, non legit profecto ea, quæ S. Doctor in Enchir. c. 70. scripsit, *per eleemosinas de peccatis præteritis est expiandus Deus*, & ea, quæ scripsit in c. 15. homil. 50. jam supra relata: *non sufficit mores in melius commutare nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo*. In quibus locis nihil clarius, nec magis perspicue Augustinus dicere poterat, ut ostenderet disertissimis verbis Deo esse satisfaciendum.

XII. Ne vero quid ambiguum relinquatur, & locus amplius supersit tum

Lu-

Lutheri, Melanctonis, Kemnitii, aliorumque Novatorum erroribus, animadvertimus, quod cum scribimus posse hominem vere Deo satisfacere, non de satisfactione illa intelligimus, quæ est ex rigore justitiæ, & quæ exigit, ut quis satisfaciat ex propriis, & ad æqualitatem. Quid habet homo, quod Dei non sit, & quid homo potest operari, ut pro æqualitate injuriæ Deo satisfaciat? cujus infinita est dignitas, & infinita in ejus offensione deformitas? Scribimus itaque gratia Divina accedente, vere nos posse aliquomodo satisfacere multis operibus, quas Deus ipse in manu nostra reliquit, quæ propria, & indebita vocantur, aliisque etiam debitis.

XIII. Advertimus ulterius falsum esse, quod hæc nostra doctrina *obscuret legem, obscuret Evangelium, & amplificet dignitatem traditionum humanarum*, ut scribebat Melancton in locis communibus, contra quos errores 1. habemus Christi auctoritatem apud Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo, & veni sequere me.* Potest ergo homo Dei gratia instructus sine injuria Divinæ legis plures illarum rerum operari, quas Deus non præcepit, ubi tamen operibus legis satisfecerit, ut in canone ultimo Concilii Arausicani II. legimus confirmatum. 2. habemus veram Catholicorum Sententiam, in qua non docetur, ut in ejusdem contemptum tradunt Reformati, mortem æternam nostra compensatione aboleri, & satisfactionem culpam remittere, sed Deum cum sit misericors remittere culpam, cum sit justus, & vindex mutare pœnam æternam in temporalem Purgatorii, & hanc nostris operibus posse redimi, & hoc dixerat jam inter ceteros Cyprianus in Epistolarum libro 4. Epst. 2. Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. In quo ergo hæc Sententia Evangelium obscurat? 3. habemus ea singula, quæ mox dicturi sumus, quibus certe non amplificatur dignitas traditionum humanarum, sed solidissimis fundamentis antiquissima opinio corroboratur, quam ipse Kemnitius professus est in 2. par. Exam. pag. 1094. ubi admisit eadem opera Satisfactoria, quæ a Catholicis admittuntur, Orationem scilicet, Jejunium, & Eleemosinas, & quatenus ad vitæ novitatem pertinent cognoscit mandata esse divinitus, non cæremonias, non res inutiles, non traditiones hominum, ut ajebat Melancton, licet postea erraverit in hoc, quod dixerit quantitatem in earumdem operationum exercitio, esse quid electivum, esse traditionem humanam, nihilque apud Deum valere.

XIV. Primo itaque hæc veritas constat ex cap. 12. Tobiæ ubi legitur: *Bona est oratio cum jejunio, & Eleemosina*, quæ tria summa sunt illorum bonorum, ad quæ tamquam ad quædam præcipua capita cetera revocantur, quæ Deo tamquam bona nostra possumus exhibere. Opera hæc illa sunt, quibus Corpus a concupiscentiis suis quondam abstractum, & allectum affligimus; quibus animus, qui sub avaritiæ potestate, & jugo ingemuerat compungitur, & quibus hominis Spiritus ad Deum ipsum, a quo peccando recesserat, avocatur. Horum operum efficaciam sæpissime Divinæ litteræ prædicant, optimos fructus extollunt, eorumdemque laboribus viros illos Sanctissimos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, parentesque nostros piissimos fuisse perfunctos, sacra omnis testatur Historia. Nec in eisdem specialiter peragendis Deo modus displicuit, sed ipsi grata fuisse, & Sancta, aliisque utilia, felix eorum probavit even-

eventus, quorum vota sponte facta de jejuniis, peregrinationibus, aut quavis alia corporis maceratione Deus jussit sibi reddi, & illorum etiam quibus olim Evangelica fuere probata Consilia, & quorum Aris nunc orantes adstamus parem cum illis sortem impetraturi, & eorum demum, quos Eremus incolas habuit vitæ durioris, & asperrimæ æmulatores, meliorumque charismatum. Quis quæso affirmabit ejusmodi labores non fuisse sponte susceptos, aut si id negaverit, quis non intelliget illum oportere ostendere Divinum mandatum his, & similibus Operationibus præcessisse. Quod si non præstabit concludendum erit afflictiones istas corporis, animique cruciatus sponte assumptos ad cultum Dei pertinuisse, cum præsertim diuturna sit in Ecclesiæ Patribus, & constans consensio hujusmodi opera esse Sacrificia Deo grata, esse libamina, ut Tertullianus in libro de Resur. Carnis, Augustinus homil. 29. inter 50. & S. Leo in Serm. 2. decimi mensis declararunt, & vim habere satisfaciendi, unde illa opera innocentibus consulunt, & lapsis imponunt illis, ut in bono perseverent, his, ut Deo propter ista compensent. Huc etiam pertinuit celebre illud Joannis ad turbas excitamentum. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, ut locum hunc explicarunt Gregorius homil. 20. in Evang. & lib. 6. cap. 2. in 1. Reg. Isichius lib. 4. in Levit. 14. & Pacianus in Epist. 3. ad Sympronianum in qua detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna Patrimonii, & vitæ labores, idest jejunia, fletus, Eleemosinas profusas, & ceteras vitæ asperitates a nulla lege imperatas, dignos Pœnitentiæ fructus esse definivit. De Anna illa Prophetissa authenticum nobis reliquit documentum S. Lucas quod non recedebat a Templo, *Jejuniis, ac obsecrationibus serviens die, ac nocte*, quæ cum in ejus Mulieris laudem commemorat, Divinum cultum in his operibus contineri certe probavit. Similia plurima in pluribus aliis Scripturæ locis notantur quæ a SS. Ecclesiæ PP. explicata, in his operibus vim inesse convincunt satisfaciendi pro reatu pœnæ temporalis, eademque opera posse vitam æternam vere, & proprie promereri.

XV. Colligitur ex his, quod opera per quæ satisfactio fit, debent esse pœnalia. Rationem reddit D. Thomas in Supplem. q. 15. a. 1. *Dicendum, quod satisfactio respectum habet ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam, a qua per eam præservamur, & quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse ejus, qui offendit ad eum, in quem offensa commissa est. Adæquatio autem in humana justitiæ attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo quantum est ex ejus parte nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit; & ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur*. Ex qua Doctrina Angelici Præceptoris eruitur non excludi quodlibet opus bonum, & meritorium a ratione operis satisfactorii; ita ut si revera hoc opus sit tale, bonum scilicet, & meritorium, possit etiam esse satisfactorium, quia omne bonum opus aliquatenus homini

la-

laboriosum est, & pœnale in hoc, quod repugnat corpori, & sensui, actus enim qui bonus est, est actus alicujus virtutis, quæ statim alicui vitio opponitur, concupiscentiam reprimit, & delectatione illius privat, in quo apparet aliqua satisfactio. Videtur ergo, quod bonitas, & pœna quodammodo mutuo se juvant, & includunt, non datur enim actus satisfactorius, qui non sit conjunctus cum bona voluntate, quæ ad hunc actum necessaria est, unde quo hic actus voluntatis est melior, satisfactio etiam est promptior, & perfectior est, quia pœna voluntaria per talem actum habet meliores circumstantias, ut apparet in actu charitatis, qui actus, quia melior est, etiam magis satisfacit. Et hæc quoad opera, quæ nostra dicuntur, sive supererogationis.

XVI. Difficultas est de operibus præceptis, an possit per hæc opera satisfactio exhiberi, quod aliqui negarunt, inter quos ab aliquibus citatur D. Thomas in q. 1. a. 2. ad 3 ubi scribit: *Qedam mensura est homini adhibita, quæ ab eo requiritur, & super ea potest homo aliquid erogare, ut satisfaciat, & hoc dicit de impletione præceptorum*. His enim auctoribus videtur, quod non possit aliquis eadem solutione duplici debito satisfacere sine læsione æqualitatis juxta doctrinam Anselmi in lib. 1. *Cur Deus homo*. c. 14. satisfacere nimirum Deo pro præcepto, & satisfacere Deo pro peccato: a simili de illo, qui eodem opere non potest satisfacere pluribus titulis pro diversis peccatis, & de illo, qui quod reddit, ut votum impleat, non potest reddere, ut aliud præceptum impleat: nec eadem auditione Sacri satisfacere præcepto audiendi Missam die Festo, & Pœnitentiæ injunctæ. Ceterum ut supra diximus, ipsis etiam operibus aliunde debitis verum est, quod quis satisfacere possit pro reatu pœnæ temporalis, non quidem de rigore justitiæ, sed de condigno, ut supra explicavimus. Ratio potissima est, quia præceptum non tollit libertatem, nec bonitatem, nec pœnam. 2. quia testimonia Scripturarum, quæ opera illa innuunt, quibus promittitur perfecta, & integra peccatorum remissio, non limitant hanc promissionem. *Eleemosina*, dicitur Tobiæ 4. *a peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Sicut aqua extinguit ignem*, dicitur Ecclesiast. 3. *ita eleemosina peccatum. Date eleemosinam*, Lucæ 11. *& hæc omnia munda sunt vobis. Si dimiseritis hominibus peccata eorum*, Joann. 14. *remittet & vobis Pater cœlestis. Si nos metipsos dijudicaremus*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. c. 11. *non utique judicaremur, dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. In his, & aliis similibus auctoritatibus nulla legitur distinctio operum consilii, vel præcepti, sed fit generalis locutio, & particularis de operibus Præceptorum, cur ergo limitatio hæc erit a nobis exigenda? 3. distinguendum est debitum justitiæ, & debitum præcepti, quod est, vel obedientiæ, vel temperantiæ, aut alterius similis honestatis. Primum requirit quod opera multiplicentur, quia plura debita unica solutione expleri cum perfecta æqualitate non possunt; non vero hoc requirit debitum alterius generis, quia huic satisfieri potest faciendo id, quod justum, quod bonum, quod Deo gratum est, adeoque meritorium. Accedit demum, quod in opere duo concurrunt, id quod in opere bonum est, & id quod in opere bono pœna est. Præceptum respicit opus ut bonum, quia obligat ad actum virtutis, quod vero dum actum hunc homo exequitur patiatur pœnam, hoc præceptum non exigit, & propterea hæc pœna exhiberi potest pro illa, quæ peccato debebatur, & secundum hoc satisfacit reatui pœnæ temporalis.

XVII.

XVII. Ex his patet cur diversis peccatis satisfieri non possit per idem opus, quia diversi reatus, diversas pœnas requirunt, sed non semper est verum, quod non possit per eumdem actum impleri præceptum, & votum, nisi aliter constet de intentione voventis, quod extenditur etiam ad intentionem imponentis Pœnitentiam, si voluerit hanc per opus alioqui debitum adimpleri, cum nulla repugnantia sit, quod unicum, & idem opus multis obligationibus sit debitum, scilicet ratione legis, ratione præcepti, ratione voti, aut juramenti &c. & quod per illud unum opus satisfiat pluribus debitis, & obligationibus. Porro hanc controversiam non tangit Anselmus loco citato, sed docet, quod per illa opera fit satisfactio, quæ non possent ab homine exigi, nisi peccasset, per opera scilicet pœnalia, hæc enim sunt, quæ nisi peccatum præcessisset non exigerentur. Alius igitur est status quæstionis Anselmi, qui non disputat an possit homo satisfacere Deo per opera alioquin debita. Si aliquid nostræ Propositioni adversatur, illud est, quod Christus Dominus apud Lucam 17. dixit: *Cum feceritis quæcumque præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*: Ergo operibus, quæ jam fuerint præcepta satisfieri non potest. Sed hujus consequentiæ vanitas facile demonstratur, nisi fortasse quis contenderet inferre eadem opera non esse de lege meritoria. Intendit itaque Christus docere, quod parum valeant opera nostra de se ad gloriam, & quam parum debeat nobis Deus propter illa, si ea secundum se consideremus, quia de se nec meritoria sunt, nec satisfactoria; secus vero si divinam liberalitatem, & bonitatem consideremus, cui soli fidere debemus, & non operibus nostris.

XVIII. Addunt Tridentini Patres aliam operationum speciem, quibus Deo satisfacimus, dum passiones, & pœnas ab illo inflictas patimur. *Docet præterea tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam spiritualibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter tolleratis apud Deum Patrem per Christum satisfacere valeamus*. Leguntur hæc verba in cap. 9. Sess. XIV. Plurimum itaque proderit voluntarie has pœnas ab extrinseco illatas propter Deum suscipere, cum non aliter Tridentinum Concilium doceat nos per hæc flagella satisfacere, ac per jejunia, & alia opera voluntarie sumpta: nec Deum aliter in hoc sæculo purgare justos per hæc flagella Divinæ Scripturæ testentur, ac justorum animas separatas purgat. Proderit etiam quacumque ratione a Deo flagella hæc inferantur, eadem in Deum ipsum referre, cum tota illorum vis, ut idem Concilium testatur, ex Christi meritis, & satisfactione dependeat in hoc sensu, quod qui hæc flagella patitur, operatur tamquam Christi membrum, & illa cum Christi satisfactione conjungit. Demum addi potest, quod sive hæc opera, & alia quæcumque interna fuerint, sive externa alterutris Deo satisfaciemus, quia omnia libere suscipiuntur, omnia difficilia sunt, & valde laboriosa, & pœnalia, nihilque illis deest, quominus ad satisfaciendum non valeant; imò dicimus, quod si opera externa sint, necesse est quod ab internis actibus aliquo modo procedant, & si interna fuerint, necesse est quod ab exterioribus adjuventur, ut valeant ad satisfaciendum 1. quia proprium est satisfactionis, ut fiat per pœnam, quæ voluntarie sit assumpta 2. quia in actu externo conjuncto interno major est pœna, quam in solo interno, licet in hoc possit esse interior efficacior, & diuturnior.

§. III. *Satisfactionis Opera potest quis sponte Suscipere, & a Sacerdotibus possunt vi clavium injungi.*

XIX. Primam hujus propositionis partem demonstravit Apostolus in prima ad Corinth. 11. *Si nos ipsos judicaremus non utique dijudicaremur*, licet hoc male audiat Kemnitius, qui Apostoli verba pro suo arbitrio interpretatur in Parte 2. Examinis, vim faciens in sinistra (ut ipse putat) usurpatione græcæ vocis *Krinein*, qua *Pontificii abutuntur*, inquit, *ut illam interpretentur de Electitiis pœnis, quæ tamquam satisfactiones, aut compensationes pro peccatis voluntarie suscipiuntur, vel a Confessario injunguntur*. Catholicorum tamen interpretationem Theodoretus tradit, eam tradit Theophylactus, & quod magis mirum est, eam non refugit, sed confirmat Grotius, qui eadem Apostoli verba sic interpretatur in suis Commentariis, *si inde factorum pœnas de nobis ipsi exigeremus animo contrito, & humiliato, lachrymis, jejuniis, & aliis duris corporis tractationibus, non opus haberet Deus pœnas nobis immittere, juxta illud quod Simplicius ad Epicurum: sin quis sibi ipse jus dicat, forte hic & citius efficiet, quod volet, quoniam sua voluntate pœnas dat*. Ita certe S. Jobus se reprehendisse ait cap. ultimo, & egisse pœnitentiam in favilla, & cinere propter verbum, quod insipienter locutus fuerat. David quoque ob peccata in Deum admissa in se pœnas sumpsit. Achab etiam, Manasses, & Ninivitarum Rex, ut Reg. 3. c. 21. 2. Paral. c. 33. & Jonæ 3. narratur. Testimonium igitur ex verbo Dei nullum proferre Novatores possunt, ut dicant esse *mortificationes sine mandato Dei accersitæ, corporis lacerationes, sicut vulnera, quæ Sacrificuli Baal sibi faciebant*, & ut probent (quod scribebat Melancton in *Locis* titulo de satisfactione prope finem) *tales ultro accersitos cruciatus pertinere ad regulam*; frustra colunt me mandatis hominum, *item pugnare cum his præceptis*: non occides, *item*: habeto honorem corpori.

Nullus dubito reprehendet Apostolum, quod corpus suum castigaverit, & in servitutem redegerit, ut ipse scribebat in c. 9. 1. ad Cor. & quod Ethnicus homo idem faciendum consulebat; *ne corpus animo male pareat* (Seneca epist. 2.); & quod ad justitiam pertineat, ut unusquisque de peccatis suis pro amore Dei vindictam sumat. Sic Publicanus ille Evangelicus pectus suum percutiebat, & abiit justificatus in Domum suam; sic Hieronymus, ut plures alios prætercam repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabat, jungebatque diem cum nocte, nec prius a pectoris cessabat verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas, ut scribebat in sua ad Eustachium Epist. de Custodia virginitatis. Non ergo hi, & reliqui omnes peccarunt contra regulas a Melanctono citatos, sed peccavit Melanctonus in hoc Jovinianum secutus, qui nihil meriti putabat iis accrescere, qui pro amore castigandi corporis, a vino, vel carnibus abstinebant, & Melanctoni erratum Calvinus corrigit in l. 3. Instit. c. 3. §. 15. asserens *quo severiores in nos sumus, & acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium, ac misericordem Deum*, quod post Tertullianum, ante Calvinum, docuere Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam, & Augustinus apud Bedam in Commentar. cap. 11. 1. ad Cor. & Magn. Gregor. in l. 9. Moral. c. 27. & Chrysost. hom. 42. in Matthæum.

XX. Ad verba Scripturæ, quæ afferuntur a Melanctono, dicimus Matthæi

thæi 15. aut.Isaiæ 29. ex quibus locis prima sententia petitur non agi de actibus illis, qui ad satisfaciendum Deo pro peccatis sponte eliguntur, sed de quibusdam judaicis cæremoniis, quæ pugnabant cum mandato Dei, quales erant ut filii donarent Sacerdotibus, quæ necessaria fuissent Parentibus, ut toties lavarent manus &c. quæ res fundamentum habebant in persuasione non Divinitus tradita sed humana, ac futili. Videtur itaque quantum abest illorum verborum sensus, a sensu præsentis controversiæ, quæ statuit posse Deo exhiberi opera illa, quæ tamquam bona, honesta, & licita sunt approbata non ab hominibus, sed a Deo ipso, & liberæ hominum electioni relicta, ut illis, si voluerint, utantur ut pro peccatis satisfaciant. Omnino vero supervacaneum esse, 2. dicimus quod Melanctonus addat illa verba non occides cum in assumendis laboriosis pœnitentiæ operibus, modus ille observari debeat, qui a Canonicis præscribitur regulis, ut quisque illa subeat, ad quæ subeunda idoneus judicatur. Pro certis peccatis certæ sunt pœnæ injunctæ, & aliæ prohibitæ, ut infra notabimus, singulæ vero hominis avvertunt interitum & discretione, & prudentia mensurantur, & si quæ his regulis contrariæ eligerentur, non pœnitentium culpas tollerent, sed augerent. 3. Dicimus Apostolum Paulum verbis illis, quæ ex capite 2. suæ epist. ad Coloss. repetit Melanctonus, voluisse reprehendere eos, qui abominando ea negligunt, quæ ipsæ Deus creavit, non vero illos, qui hæc negligunt, si ipsi propositum habeant dure tractare corpus, neque carni obsequi ad saturitatem. Honor carnis est *cura, quæ carni præstatur*, ut idem Apostolus scripsit etiam in 1. ad Cor. 12. & in 1. ad Tim. 5. in qua cura ille deficit, qui *Pythagoricas abstinentias, non quod ea re exerceatur, eligit, sed quod contrarium abominetur*, ut loquitur Canon Apostolicus 51. *si ob id contemnantur alii, si non minus laute habeatur corpus ex herbis, leguminibus, pomis ad delicias coctis. Si quem ergo invenies* (Philo ait in libro Pejorem insidiari meliori) *qui cibum, potumve ubi tempus postulat non admittat, qui lavari, ungive recuset, tegi vix curet, humi cubet, incommode habitet seque hæc cum faciat temperantem putet, huic tu errorem misertus, quæ vere agat ad temperantiam via ostende. Quidquid enim hic fecit infinitus, atque adeo inanis labor fuit, qui fame, aliisque malis male habitum animum non minus fere, quam corpus frangeret. Nec qui cum mentem sordere patiatur corpus sepe abluat, expiet, quo id mundius fit curet: nec qui cum abundet opibus Templum aliquod apparatu magnifico, immensoque cum sumptu ædificet, hecatombasve offerat victimarum, nec modum, nec finem faciat: nec qui in ædes sacras, quo eas donariis ornet pretiosissime materiæ affatim artis etiam plus inferat, ne hunc quidem eo impiorum numero pone. Aberrat enim & hic a pietate, quod sanctitatem in Caremoniis collocet, donaque ei dat, qui nec capitur donis, nec sane istiusmodi res unquam admissurus sit: quod denique ei adulatur, quem decipi adulatione fas non est, qui ut vero cultu delectatur (est autem verus cultus quem ei animus exhibet, cum solam ei, atque unicam veritatem offert) ita falsum omnem cultum (sunt autem omnes falsi, qui in externa ista pompa consistunt) respuit, atque a se abdicat.* Eruitur itaque ex Apostoli auctoritate, quod corpus necessariis provideri debet, nec ab his juvat quemlibet abstinere secundum præcepta, & doctrinas hominum, sed secundum rationem veræ sapientiæ non illius quæ in superstitione posita est, sed in cultu voluntario, & sincera pietate, ut ob peccata quibus in-

ſerviit, & ut ob animæ ſalutem, pœnarumque temporalium, quæ peccatorum ſunt fructus, certa jactura affligatur.

XXI. Ad alteram progredimur reſponſionis partem demonſtrandam, quæ ſtatuit a Sacerdotibus injungi poſſe ſatisfactionis opera virtute Clavium. Perpetuus Eccleſiæ uſus, ex Patribus, ac Conciliis probatus, hanc veritatem oſtendit, nam multum de hoc uſu ſcribit Cyprianus in l. 1. epiſt. 3. Auguſtinus in l. de vera ac falſa pœnit. cap. 10. & 15., & Leo Papa in c. 2. epiſt. 91. Eumdem corrignnt canon 8. Cavilonen. 1, & canon 45. Cavilonen. 11. & c. 32. Primi Moguntini; Gratianus in diſt. 1. de Pœnit. & diſt. 30. multa congerit, quæ illius perpetuitatem confirmant, quibus addi poſſunt ea, quæ Burchardus refert in ſuo Decreto, Martianus Victor in Opere quod de hac re edidit, & Eugenius IV. in ſuis Litteris Unionis, & demum Tridentinum Concilium in cap. 9. Seſſ. XIV. & can. 15.

Notiſſimum eſt Apoſtolum inceſtuoſum Corinthium pœnitentiæ laboribus addixiſſe, cum judicavit tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus in die Domini ſalvus eſſet; ſic enim locum illum ad Cor. c. 5. in quo Paulus ſui judicii formam deſcribit, explicavit Tertullianus in lib. de Pudicitia c. 13. *Hic jam Carnis in interitum, officium* inquit, *pœnitentiæ interpretantur, quod videatur jejuniis, & ſordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis, carnem exterminando ſatis Deo facere, ut ex hoc argumententur fornicatorem, imò inceſtuoſum illum, non in perditionem Satanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem, quaſi poſtea veniam ad interitum, ideſt conflictationem carnis, conſecuturum*. Hanc explicationem tenuerunt Auctor Commentar. in Epiſt. Pauli inter Opera Ambroſii, Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam, & Origenes homil. 12. in Ezech. & 24. in Levit. ſed alia opinione a Tertulliano, quod jam defeciſſet a Fide cum hæc ſcribebat contra Zephirinum Papam, Montaniſtas his Apoſtoli verbis coarguentem; nam hoc Pœnitentiæ officium vitam Spiritui conferre, laudati Patres omnes tradiderunt. Quod fecit Apoſtolus, non alia auctoritate, quam Chriſti ſe feciſſe, certiores Corinthios reddidit, cum ait: *Judicavi: in nomine Domini: congregatis vobis cum virtute Domini Jeſu*, cujus auctoritatis fundamentum Matth. 16. & 18. deſcribitur: *quodcumque ligaveritis &c. quæcumque alligaveritis &c.* Neque in alium ſenſum hæc verba Tridentini Patres expoſuerunt in laudato canone 15. *Si quis dixerit claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quod virtute clavium ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat, anathema ſit*. Hujus poteſtatis imponendi Pœnitentibus opera laborioſa in Jure Eccleſiæ uſum contineri, ſcripſerat antea S. Leo in laudata Epiſtola. *Mediator Dei, & hominum hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. *Afflictio Pœnitentiæ*, dixerat S. Gregorius l. 3. n. 2. Reg, c. 7. *ad delenda peccata idonea eſt, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis*. Auguſtinus denique Sermone 351. *A Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*, cum enim Sacramentum hoc (ut ſuo loco diximus) per

mo-

modum judicii feratur, quod totam pœnam non semper gratis remittit, certe ad illius judicium spectare debet ut æquitate servata sententiam ferat, delictum puniat & pœnam imponat, & hinc nascitur satisfactionem a Sacerdote impositam, & virtute clavium applicatam, esse partem hujus Sacramenti, ut Tridentini Patres dixerunt, cum pertineat ad perfectionem hujus judicii, & consideretur perfecta medicina peccati; non vero ex illa dependet, quod hoc Sacramentum vere conficiatur, & conferat gratiam, nam hæc sequuntur ante satisfactionem expletam, cum hæc non ordinetur ad culpæ, sed tantum ad pœnæ temporalis remissionem, quem effectum, ut satisfactio operetur, necesse est, quod in statu gratiæ impleatur, quia peccatum mortale huic effectui est contrarium, nullusque per nova debita pro prioribus satisfaciet. Idem dicendum est, si qui satisfacit Deo, affectum habet ad peccatum mortale, caret enim studio placandi Deum, quod requiritur, & quod præsupponit integram peccatoris conversionem ad Deum, quæ integra conversio, cum non sit ratio illius finis, sub quo Ecclesia ex. gr. Jejunium præscribit, sequitur quod jejunans in Quadragesima præceptum implet, etiamsi habeat affectum ad peccatum mortale, & in hoc videtur discrimen quod reperitur inter opus simpliciter bonum, & opus satisfactorium, cum ad illud sola sufficiat finis rectitudo, quæ ad hoc non sufficit.

XXII. Secus vero est dicendum de satisfactione, quæ fit Deo ab illo, qui in reatu peccati mortalis versatur sed caret omni affectu ad illud, nam hujusmodi satisfactiones vetus Ecclesia semper a lapsis exegit, jussitque sæpe Sacerdotibus, ut illas injungerent, expectarentque earumdem exitum antequam pœnitentes absolverent. Hanc ab iis, qui Jobum læserant Deus exegit, ut dicitur Job ultimo, & in cap. 8. Actuum Simoni injungitur ut de peccato suo pœniteat. D. Thomas videtur in hoc dissentire, eo quod opera facta extra charitatem dicat in IV. Senten. dist. 19. a. 5. non esse satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ: hoc tamen non est verum, si intelligatur S. Doctor de Charitate habituali, non item de Charitate actuali. Mens itaque D. Thomæ est, quod opera satisfactoria in tali statu expleta, non merentur de condigno remissionem pœnæ, sed tantum de congruo, quia ad meritum de condigno tria debent concurrere, dignitas operantis, proportio operis, & promissio Dei sub conditione talis operis: nam ex hac promissione, si opus exhibeatur, oritur debitum, seu obligatio justitiæ; in nostro autem casu dignitas offerentis non habetur, nam qui satisfacit Deo, in reatu peccati mortalis esse supponitur: cujus etiam intuitu dicimus hanc satisfactionem non conferre ad augmentum gratiæ sanctificantis ex opere operato provenientis, sed tantum conferre ad gratiam ex opere operantis; nisi vellimus asserere in allato casu satisfactionem moraliter permanere, quod tamen necessario non est dicere, cum satisfactio non sit pars essentialis Sacramenti, sed tantum integralis.

XXIII. Colligitur I. ex his, Jure Divino Satisfactionem necessariam esse post Baptismum iis, qui se peccatis obstrinxerunt, hanc enim Christus Matth. 8. imperavit, Apostoli publicarunt, Concilia Africanum, & Romanum Cypriani, & Cornelii temporibus celebrata, definiverunt contra quorumdam Presbyterorum arrogantiam, qui cum in persecutione Diocletiani Thus Idolis adolevissent, ceteros lapsos incitabant, ut a Ministris sine satisfactione reconcilia-

præterea omnia quæ gessimus, & ita procul dubio reperiemus ea nos admisisse, per quæ torqueri merebamur.

IV. Ita vero Patres semper intellexisse superiora loca Scripturarum in pluribus potest demonstrari. Docuit hoc Tertullianus in lib. de Pœnitentia variis in locis, Cyprianus in libro de lapsis, ubi non sinebat ad Communionem admittere lapsos, qui magnam Pœnitentiam non peregissent, quod sæpe repetit etiam in suis Epistolis. Locus etiam singularis est apud Augustinum in Enchiridio cap. 70. & ennarratione in Psalmum 50. ubi explicans illa verba: *Ecce veritatem dilexisti*, sic vertit: *Impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti*, & rursum in lib. de vera, & falsa Pœnitentia c. 18. *conversus vita vivet, non tamen promistimus, quod evadat omnem pœnam*. Insignora etiam sunt illa Patrum loca, in quibus pro majoribus peccatis graviorem esse agendam Pœnitentiam docent. *Sane & Divinæ justitiæ*, inquiunt Tridentini PP. in cap. 8. Sess. XIV. *ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, scientes, templum Dei violare, & Spiritum S. contristare non formidaverint*. Addunt ulterius quod, *& Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii, & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die iræ &c.* Patet itaque ex Tridentinis PP. quod Pœnitentia non applicatur tamquam alia regeneratio, sed tamquam medicina, quæ sanat, sed non omnem pœnam remittit, seu ut ait Origenes homil. 8. *omnem cicatricem non tollit*, temporalem namque pœnam relinquit, & ideo decet ut pro illa homines satisfaciant.

V. Hinc ergo facile Calvini argumenta expediuntur, nam primum illud quod objicit testimonium petitum ab Ezechiele explicatur per aliam ejusdem Ezechielis Sententiam cap. 18. *Si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, sed in hoc loco per Prophetam pollicetur Deus se non recordaturum iniquitatum impii, ut illas puniat sempiterna morte, qui aliunde noverat, se illas fuisse puniturum pœna aliqua temporali, ut accidit in Moyse, Aarone, Davide, & aliis; ita & cum Propheta ait quod: *impietas impii non nocebit ei*, intelligendus est Propheta se polliceri nihil impio obfuturam impietatem ejus ad obtinendam, & consequendam gratiam Dei, & salutem æternam absque respectu ad temporales ærumnas, idque congruit cum verbis ejusdem Prophetæ, quibus promisit impium post conversionem non moriturum, & justum post avversionem non victurum. Accedit huic responsioni robur ex integro contextu verborum Ezechielis. *Justitia justi*, sic inquit Ezechiel, *non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii, non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit*; sed non implicat, quod opera justi post avversionem possint temporali aliqua mercede donari, ut SS. Patres docent, neque repugnare debet quod mala opera impii post conversionem in hoc Sæculo aliqua pœna puniantur ad satisfactionem, & purgationem. Observatur itaque merito Apostolum dixisse in cap. 8. Epistolæ ad Romanos *nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu*, cum revera reatus pœnæ temporalis impium conversum non reddat damnatione dignum, hæc enim tantummodo sonant verba Pauli, qui nomen damnationis pluries in eadem Epistola usurpavit ad significandam æternam damnationem,

nem, ut constat tum ex cap. 3. ubi ait, *quorum damnatio justa est*, tum etiam ex cap. 13. in quo scribit: *Ipsi sibi damnationem acquirunt*, neque aliud significare voluit in cap. 8. in quo proposuit Christianis insigne consolationis argumentum. *Nihil illis, qui in Christo vivunt, & perseverant, esse, quod damnationem afferat*, licet sentiant motus concupiscentiæ, quia in Christo sunt, & non ambulant secundum carnem. Neque nos terreat peccatorum remissionem dici a Scripturis opus Dei gratuitum, ut temere objiciebat Calvinus, quia non sequitur ex hoc, quod cum satisfactione pugnet. *Habemus*, inquit Ambrosius in libro de Helia, & Jejunio cap. 20. *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habet redime peccatum tuum. Non sufficit*, inquit Augustinus in cap. 15. homil. 50. *mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de iis, quæ facta sunt satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium cooperantibus eleemosinis*. Ambrosio, & Augustino plurimi alii ex Patribus suffragantur, neque contrarium docent Scripturæ in cap. 16. Proverb. *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas*. In cap. 4. Danielis *peccata tua eleemosinis redime*, & in cap. 7. Lucæ. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Unde dicimus in remissione peccatorum gratuitum esse id, quod ad illam disponit, Fides scilicet, & Pœnitentia, gratuitus actus ille, quo Deus nos in sui amicitiam, & gratiam recipit, culpam condonat, & reatum mortis æternæ, & gratiæ infusionem, qua indigemus, ut Deo satisfaciamus pro temporalibus pœnis. Satisfactio igitur, ut ex hac gratuitorum actuum distributione colligitur, non adversatur gratuitæ peccatorum remissioni, sed ab illa tamquam effectus a sua caussa manat, cum non opponatur gratia operibus, quæ ab ipsa eliciuntur. Quod demum addit Calvinus ad robur sui prioris argumenti, Christo nimirum attributam esse omnium peccatorum purgationem inquantum scilicet, ut de inimicis, & impiis, Justos, & amicos Deo faceret, ultro concedimus, cum id Apostolus docuerit ad Rom. 5. *Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*: ad Romanos 8. & idem legatur in 1. Petri 2. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitia vivamus*. Verum quid repugnat, quod addamus homines per Christum reconciliatos Deo, & redemptos Christi virtute ipsi Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis, cum satisfactio ex Scripturis, & Patribus cognoscatur unum ex instrumentis divinitus institutis ad pœnam hanc expiandam?

VI. In altero argumento Calvinus nullum vellet discrimen esse inter effectum Baptismi, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, sed præterquamquod hoc sine fundamento affirmat, quod tamen exponunt Tridentini Patres, ut nuper vidimus, quia scilicet *ante Baptismum homo carebat, & viribus gratiæ, & lumine fidei*, fraudolenter etiam scribit Catholicos asserere post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones, quam propositionem nunquam Catholici pronunciarunt, qui non semel docuerunt peccata omnia sive ante, sive post Baptismum commissa Christi Sanguine, & Redemptione purgari. Solum Catholici docuerunt, & docent, quoad remissionem pœnæ temporalis hæc duo Sacramenta non convenire, quia hæc solum cooperante satisfactione post Baptismum lapsis remittitur, divina justitia sic exigente, cum lapsis ante Baptismum nullius Satisfactionis intuitu tota deleatur. Non fit igitur semel, ut docebat Calvinus, peccatorum remissio, & peccatoris reconciliatio per

Baptismum, sed fit etiam per Pœnitentiæ Sacramentum, per quod resurgimus, non vero per satisfactionem, quæ solum desideratur ad expiandum statum pœnæ temporalis. Neque ad rem facit id, quod profert ex Augustino, nam in illis verbis agit S. Doctor de efficacia Sacrificii Crucis, quæ nobis applicatur non solum per Baptismum, sed etiam per cetera Sacramenta, quia ex eo Sacrificio omnia vim habent; non agit ibi de Satisfactione, quam pluribus aliis in locis, vel citatis, vel quæ citari possent, nisi veritas ipsa per se pateret, necessariam esse tibi semper persuasit, & ceteris omnibus explicavit Enarrat. in Psal. 50. cum docuit: *Deum omnino velle ut peccatum non maneat impunitum, & tum non punire peccata nostra cum nos ipsi ea punimus*: Unde inquit: *non impunitum erit peccatum meum; sed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio*.

VII. Ultimum quod ex Calvino produximus argumentum non impugnamus, quia numquam negavimus Deum terroribus, & suppliciis peccatores ad resipiscentiam revocare, quod præsertim verum est cum hujusmodi terrores, & urgentium malorum turmæ, peccatores nondum conversos exagitant, de quibus afflictionibus agit Chrysostomus a Calvino laudatus, quas propterea post impetratam veniam cessare æquissimum est, quemadmodum egerant Jeremias, & Osea, cum obstinatum Populum Ephraim a Deo fuisse percussum describunt, ut finem peccandi faceret. Non sequitur tamen ex his non oportere, aut non oportuisse populum jam emendatum laboriosis Pœnitentiæ operibus urgeri ad satisfaciendum Deo in peccatorum præteritorum vindictam. *Tu quibus rebus provocasti Deum*, inquit Chrysostomus in homilia de B. Philogonio, *per illas rursus facito propitium*, & homil. in Psalm. 106. *Pejus est*, ait, *Dei offensam non satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere*. Nec contrarium docuerunt memorati Prophetæ, non oportuisse scilicet populum post suam Confessionem Pœnitentiam agere, & pro præteritis culpis Deo satisfacere ad offensam aliquo modo compensandam. Nec multum valet exempla, ex Scripturis petere eorum, qui sine ulla imposita mulcta justificati leguntur, nam dici potest illorum Pœnitentiam fuisse Scripturas, vel quia necessitas non postulabat, ut illas recenseret, vel quia acrior eorum, & intensa Contritio omnia delevit crimina, & pœnas remisit, & (ut auctor libri de Dogmatibus Ecclesiasticis observavit in cap. 53. sive Augustinus hic fuerit, sive Gennadius) *mutato prius sæculari habitu, & confesso Religionis studio, per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu miserante Deo, ita dumtaxat, ut eorum quilibet contraria pro his quæ pœnituit ageret, ut Magdalena, Publicanus, Petrus, aliique præstiterunt*, quæ profecto singula veræ eorum satisfactionis satis exprimunt characteres, & ostendunt indigere explicatione, si quæ reperiantur Patrum auctoritates, quæ sanctissimos illos pœnitentes sine satisfactione docuerint pœnæ temporalis reatum expiasse, & cum de Petro id scripserit Ambrosius in Sermone 46. & lib. 10. in Lucam cap. 96. *lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego*, dicendum est S. Ambrosium in locis illis usurpasse vocabulum *Satisfactionis* loco *defensionis*, & *excusationis*, ut ipse Petrus usurpaverat in sua 1. Epist. c. 3. ubi scripsit: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*, & Apostolus in cap. 24. Act. *Bono animo pro me satisfaciam*, & hoc eruitur ex sequentibus Ambrosii verbis: *Recte Petrus flevit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari*.

§. II. Pro

§. II. *Pro reatu Pœna temporalis multipliciter satisfieri potest, communiter operibus Pœnalibus, & afflictivis, aliquando etiam operibus alioquin debitis.*

VIII. Prima pars hujus propositionis adeo certa est, ut si pauci excipiantur casus, controverti non possit. Nullus hominum, quantumvis justus, pœnam mortis potuit unquam avvertere, nec David potuit redimere mortem filii sui, ut habetur in 2. Reg. cap. 12. nec Moyses unquam obtinuit condonationem pœnæ, quam sibi promeruit, eoquod Deum offenderat in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec Sanctificare illum voluerat coram ea super aquas, ut legitur in cap. 3. Deutor. His itaque, aliisque similibus casibus prætermissis, generaliter loquendo potest homo post amicitiam cum Deo reformatam reatum temporalis pœnæ redimere. Eruitur hoc ex cap. 7. 2. Paralip. ex cap. 18. Jerem. ex 4. Danielis, & efficacius adhuc ex 1. Cor. 11. *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*: unde S. Gregorius in lib. 9. Moral. c. 27. scripsit: *Procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se Pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit*. Doceat nunc Calvinus peccatorum pœnas nullis operibus redimi posse, habet contra se hæc omnia Scripturarum testimonia, habet constantem Ecclesiæ traditionem, imò habet ipsum suum argumentum, quod *arietem* vocat, & quo Catholicos pulsat, quod sic exponit loco supra cit. §. 30. *Validum autem in primis arietem nobis suppeditat, quod de expiandis Peccatorum noxiis in lege Mosayca præscribitur. Neque enim illic Dominus hunc, aut illam satisfaciendi legem constituit, sed totam in Sacrificiis compensationem requirit: Ubi tamen alioqui diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Qui fit autem, ut nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat, sed sola in expiatione Sacrificia requirat, nisi quod ita testari vult unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur? nam quæ tunc immolabant Sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur, sed a sua veritate, hoc est unico Christi Sacrificio æstimabantur*. Hoc est palmarium argumentum Calvini.

IX. Sed pluribus mendaciis hæc Calvini argumentatio referta est. Primum est, quod negat in Levitico ullam fuisse constitutam satisfaciendi legem. Oppositum autem legitur in cap. 6. a vers. 2. usque ad 8. in quo non solum legitur satisfactio, sed etiam satisfactionis mensura *juxta æstimationem, mensuramque delicti*. In hoc eodem cap. legitur Sacrificium institutum pro peccato nato ex incuria & calumnia in proximum. In 4. & 5. leguntur Sacrificia imperata pro peccato Pontificis, pro peccato Populi, pro peccato Principis, pro homine plebejo, seu gregario, pro peccatis commissis per ignorantiam, oblivionem, & errorem. Pro aliis peccatis gravioribus nulla leguntur in Levitico instituta Sacrificia, ex quo eruitur secundum Calvini mendacium cum dicit, quod Dominus *totam in Sacrificiis compensationem requirit*, & hinc nascitur 3. mendacium, quod Dominus in Levit. *alioqui diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur*. Quartum mendacium in his Calvi verbis continetur, quod Dominus *nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat*. Quid enim erant Sacrificia imperata, nisi opera præscripta ad delicta curanda? Et certe opera non solum Divina, quia Deus illa præscripserat, sed etiam hominum, quia ab hominibus ea offerebantur, quæ Sacerdotes immolabant, & præterea Satisfactoria, quia per

illa, non fine offerentium incommodo Deo jus suum reddebatur, & cultus illi debitus exhibebatur, & Deus iratus placabatur. Tot igitur in Calvini argumento, quod Arietem vocat, mendacia leguntur, quot sententias imperitis sermonibus profert, adeo semper aspirat ad impiam a legibus Divinis, & humanis libertatem, & exemptionem. Discat ergo Novator Sacrificia veteris legis valuisse solum ad expiationem pœnæ temporalis, tollendamque immunditiam legalem, nec illis ex opere facto annexam fuisse Spiritualem promissionem, quæ tamen ut annexa est ceteris, sic præcipue Sacramento Pœnitentiæ, cui unice post Baptismum convenit, & mortalem culpam, & pœnam æternam illi debitam expiare.

X. Lutherus Calvino in hoc paullo æquior est, nam in assertione Articulorum suorum artic. 5. docet pœnis sponte susceptis manum Dei posse nos prævenire, & pœnas illas avvertere, quas alioqui ob nostra scelera meruissemus: Verum addit quod vehementer odit, & sublatum vellet hoc vocabulum *Satisfactio*, quod non modo in Scripturis non inveniatur, sed & periculosum habet usum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia. Errat tamen in hoc plurimum Lutherus, & suum errorem damnarunt Tridentini Patres in can. 13. Sess. xiv. sed magis etiam errat cum in eodem articulo 5. sententiam suam ita confirmat: *Satisfactionem negavi, qualem ipsi docent, quod mihi non erit difficile probare. Ostendant si possunt ubi in tota Scriptura unus apex, aut jota scribatur pro peccato mortali uno debere satisfieri septem annis: dicant ubi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuit Christus, & Apostoli. Nonne hæc omnia sunt postea inventa ab Episcopis? Imò dent unum ex antiquis Patribus, in quo legantur, quadragenæ, septenæ, & similia. Ubi fecerint, libens revocabo.* Lutheri imperitiam, & errorem convincit libri secundi Regum historia, ubi David pro sua culpa pœna inducitur septem annorum, aut si mallet brevior quidem, sed durior trium mensium, & demum brevissima trium dierum, sed etiam gravissima. Factum ita a Scriptura narratur in cap. 24. *addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem. Vade numera Israel, & Judam &c. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi Regi &c. & dixit David ad Dominum: peccavi valde in hoc facto &c. Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi... aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Septem quoque temporum pœnam luisse Nabuccodonosor Regem pro delicto suo legitur in cap. 4. Danielis. Inauditus ergo non est hic pœnitentiæ usus in Sacris litteris, Jam supra vidimus in cap. 6. Levit. pœnarum differentias juxta culparum varietatem imperari, igitur non omnia sunt Episcoporum inventa pro peccatis iniunctæ satisfactiones, sed res sunt Scripturarum exemplis ab Ecclesia firmatæ, quæ verba illa cap. 18. Apocalipsis: *quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, non aliter semper intellexit, ac si regulam exhiberent pro injungendis satisfactionis operibus. Temere itaque Lutherus ad veteres Patres nos provocat, quasi nullus eorum hæc satisfactionis opera vel decerneret, vel probaret. Nimium argumentum excederet si singulorum recenserem testimonia, quibus dum parco, Concilia tria antiquissima, ut reliqua omnia præteream, Ancyranum, Ni-

Nicænum, & Eliberitanum argumentationis vim claudent. Canon. 7. Concilii Ancyrani septennariam pœnitentiam illis imponit, qui sacrificavissent coacti Idolis; breviorem, vel diuturniorem aliis delictis idem Concilium decernit. Canon 2. Concilii Nicœni his, qui sponte lapsi sunt undecim annorum pœnitentiam præscribit, & tresdecim annos in afflictione permanere illos jubet Canon 12. qui militiæ cigulum deposuerunt, & non perseverarunt. Postremo Canon 5. Eliberitani Concilii Dominam, quæ per zelum ancillam occiderit, si voluntate, post septem annos, si casu, per quinque annorum tempora acta legitima pœnitentia ad communionem statuit admitti.

XI. Hujus argumenti veritatem non dissimulavit Illyricus, qui variis in locis veteres Patres illos recenset, qui satisfactionem quæ Dominum placat, & peccata redimit, agnoverunt. In tertia Centur. cap. 4. & 10. Tertullianum, Origenem, & Cyprianum citat. In 4. Centur. cap. 4. & 10. Hillarium memorat, Nazianzenum, Ambrosium, Lactantium, Hieronymum. Theophilum Alexandrinum, Antonium Magnum. In 5. Centuria cap. 4. & 10. refert Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Prosperum, Maximum, Paulinum, Cassianum, Hesichium. In reliquis Centuriis usque ad undecimam, reprobat Cassiodorum, Gregorium, Isidorum & Bedam ejusdem sententiæ Patronos. Agnovit idipsum Calvinus, quamquam ne veritatem a Patribus discere videretur, asseruerit loco supra cit. §. 38. se non moveri ab iis, quæ in veterum Patrum scriptis de satisfactione passim occurrunt, vel qua in parte lapsi sint, aut nimis aspere, & dure locuti; vel quia vocarunt satisfactionem, non compensationem, quæ Deo adderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant sua pœnitentia certiorem, atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere. Quia vero hæc Calvino concedat, ut per xv. Sæcula Patres omnes erraverint? *Quod apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum*, inquit Tertullianus. Quis concedet Patres fuisse locutos de Satisfactione, quæ exhiberetur Ecclesiæ non Deo, si pro occultissimis criminibus hæ satisfactiones injungebantur? Si hoc pretio Dominum instituisse veniam addjicere, & hac Pœnitentiæ compensatione propofuisse redimendam impunitatem, dixerunt? Notum est id, quod adversus eos scripsit Cyprianus, qui non præmissa plena satisfactione lapsos reconciliabant: *Hi elaborant*, ait in lib. 1. epist. 3. *Ne Deo indignanti satisfiat*. Deo satisfacere licere scripsit Lactantius in lib. 5. de Justitia c. 13. & l. 6. c. 24. *Potest* inquit, *reduci, & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conversus satisfaciat Deo*; & solemne est quod S. Maximus docuit homil. in die Cinerum. *Non reprehenditur ille, qui dudum corde devio, & lubricis gressibus a tramite elapsus salutis redintegrare se Deo moesta pœnitentia satisfactione conatur*; & quamquam Calvinus pro sua sententia Augustinum citet, non legit profecto ea, quæ S. Doctor in Enchir. c. 70. scripsit, *per eleemosinas de peccatis præteritis est expiandus Deus*, & ea, quæ scripsit in c. 15. homil. 50. jam supra relata: *non sufficit mores in melius commutare nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo*. In quibus locis nihil clarius, nec magis perspicue Augustinus dicere poterat, ut ostenderet disertissimis verbis Deo esse satisfaciendum.

XII. Ne vero quid ambiguum relinquatur, & locus amplius supersit tum

Lu-

Lutheri, Melanctonis, Kemnitii, aliorumque Novatorum erroribus, animadvertimus, quod cum scribimus posse hominem vere Deo satisfacere, non de satisfactione illa intelligimus, quæ est ex rigore justitiæ, & quæ exigit, ut quis satisfaciat ex propriis, & ad æqualitatem. Quid habet homo, quod Dei non sit, & quid homo potest operari, ut pro æqualitate injuriæ Deo satisfaciat? cujus infinita est dignitas, & infinita in ejus offensione deformitas? Scribimus itaque gratia Divina accedente, vere nos posse aliquomodo satisfacere multis operibus, quas Deus ipse in manu nostra reliquit, quæ propria, & indebita vocantur, aliisque etiam debitis.

XIII. Advertimus ulterius falsum esse, quod hæc nostra doctrina *obscuret legem*, *obscuret Evangelium*, *& amplificet dignitatem traditionum humanarum*, ut scribebat Melancton in locis communibus, contra quos errores 1. habemus Christi auctoritatem apud Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo, & veni sequere me.* Potest ergo homo Dei gratia instructus sine injuria Divinæ legis plures illarum rerum operari, quas Deus non præcepit, ubi tamen operibus legis satisfecerit, ut in canone ultimo Concilii Arausicani II. legimus confirmatum. 2. habemus veram Catholicorum Sententiam, in qua non docetur, ut in ejusdem contemptum tradunt Reformati, mortem æternam nostra compensatione aboleri, & satisfactionem culpam remittere, sed Deum cum sit misericors remittere culpam, cum sit justus, & vindex mutare pœnam æternam in temporalem Purgatorii, & hanc nostris operibus posse redimi, & hoc dixerat jam inter ceteros Cyprianus in Epistolarum libro 4. Epst. 2. Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. In quo ergo hæc Sententia Evangelium obscurat? 3. habemus ea singula, quæ mox dicturi sumus, quibus certe non amplificatur dignitas traditionum humanarum, sed solidissimis fundamentis antiquissima opinio corroboratur, quam ipse Kemnitius professus est in 2. par. Exam. pag. 1094. ubi admisit eadem opera Satisfactoria, quæ a Catholicis admittuntur, Orationem scilicet, Jejunium, & Eleemosinas, & quatenus ad vitæ novitatem pertinent cognoscit mandata esse divinitus, non cæremonias, non res inutiles, non traditiones hominum, ut ajebat Melancton, licet postea erraverit in hoc, quod dixerit quantitatem in earumdem operationum exercitio, esse quid electivum, esse traditionem humanam, nihilque apud Deum valere.

XIV. Primo itaque hæc veritas constat ex cap. 12. Tobiæ ubi legitur: *Bona est oratio cum jejunio, & Eleemosina*, quæ tria summa sunt illorum bonorum, ad quæ tamquam ad quædam præcipua capita cetera revocantur, quæ Deo tamquam bona nostra possumus exhibere. Opera hæc illa sunt, quibus Corpus a concupiscentiis suis quondam abstractum, & allectum affligimus; quibus animus, qui sub avaritiæ potestate, & jugo ingemuerat compungitur, & quibus hominis Spiritus ad Deum ipsum, a quo peccando recesserat, avocatur. Horum operum efficaciam sæpissime Divinæ litteræ prædicant, optimos fructus extollunt, eorumdemque laboribus viros illos Sanctissimos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, parentesque nostros piissimos fuisse perfunctos, sacra omnis testatur Historia. Nec in eisdem specialiter peragendis Deo modus displicuit, sed ipsi grata fuisse, & Sancta, aliisque utilia, felix eorum probavit even-

eventus, quorum vota sponte facta de jejuniis, peregrinationibus, aut quavis alia corporis maceratione Deus jussit sibi reddi, & illorum etiam quibus olim Evangelica fuere probata Consilia, & quorum Aras nunc orantes adstamus parem cum illis sortem impetraturi, & eorum demum, quos Eremus incolas habuit vitae durioris, & asperrimae aemulatores, meliorumque charismatum. Quis quaeso affirmabit ejusmodi labores non fuisse sponte susceptos, aut si id negaverit, quis non intelliget illum oportere ostendere Divinum mandatum his, & similibus Operationibus praecessisse. Quod si non praestabit concludendum erit afflictiones istas corporis, animique cruciatus sponte assumptos ad cultum Dei pertinuisse, cum praesertim diuturna sit in Ecclesiae Patribus, & constans confensio hujusmodi opera esse Sacrificia Deo grata, esse libamina, ut Tertullianus in libro de Resur. Carnis, Augustinus homil. 29. inter 50. & S. Leo in Serm. 2. decimi mensis declararunt, & vim habere satisfaciendi, unde illa opera innocentibus consulunt, & lapsis imponunt illis, ut in bono perseverent, his, ut Deo propter ista compensent. Huc etiam pertinuit celebre illud Joannis ad turbas excitamentum. *Facite fructus dignos Paenitentiae*, ut locum hunc explicarunt Gregorius homil. 20. in Evang. & lib. 6. cap. 2. in 1. Reg. Isichius lib. 4. in Levit. 14. & Pacianus in Epist. 3. ad Sympronianum in qua detrimenta carnis, damna laetitiae, damna Patrimonii, & vitae labores, idest jejunia, fletus, Eleemosinas profusas, & ceteras vitae asperitates a nulla lege imperatas, dignos Poenitentiae fructus esse definivit. De Anna illa Prophetissa authenticum nobis reliquit documentum S. Lucas quod non recedebat a Templo, *Jejuniis, ac obsecrationibus serviens die, ac nocte*, quae cum in ejus Mulieris laudem commemorat, Divinum cultum in his operibus contineri certe probavit. Similia plurima in pluribus aliis Scripturae locis notantur quae a SS. Ecclesiae PP. explicata, in his operibus vim inesse convincunt satisfaciendi pro reatu poenae temporalis, eademque opera posse vitam aeternam vere, & proprie promereri.

XV. Colligitur ex his, quod opera per quae satisfactio fit, debent esse poenalia. Rationem reddit D. Thomas in Supplem. q. 15. a. 1. *Dicendum, quod satisfactio respectum habet ad praeteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam, a qua per eam praeservamur, & quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio per opera paenalia fiat. Recompensatio enim offensa importat adaequationem, quam oportet esse ejus, qui offendit ad eum, in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo quantum est ex ejus parte nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi paenale sit; & ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, & paenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur*. Ex qua Doctrina Angelici Praeceptoris eruitur non excludi quodlibet opus bonum, & meritorium a ratione operis satisfactorii; ita ut si revera hoc opus sit tale, bonum scilicet, & meritorium, possit etiam esse satisfactorium, quia omne bonum opus aliquatenus homini la-

laboriosum est, & pœnale in hoc, quod repugnat corpori, & sensui, actus enim qui bonus est, est actus alicujus virtutis, quæ statim alicui vitio opponitur, concupiscentiam reprimit, & delectatione illius privat, in quo apparet aliqua satisfactio. Videtur ergò, quod bonitas, & pœna quodammodo mutuo se juvant, & includunt, non datur enim actus satisfactorius, qui non sit conjunctus cum bona voluntate, quæ ad hunc actum necessaria est, unde quo hic actus voluntatis est melior, satisfactio etiam est promptior, & perfectior est, quia pœna voluntaria per talem actum habet meliores circumstantias, ut apparet in actu charitatis, qui actus, quia melior est, etiam magis satisfacit. Et hæc quoad opera, quæ nostra dicuntur, sive supererogationis.

XVI. Difficultas est de operibus præceptis, an possit per hæc opera satisfactio exhiberi, quod aliqui negarunt, inter quos ab aliquibus citatur D. Thomas in q. 1. a. 2. ad 3 ubi scribit: *Qedam mensura est homini adhibita, quæ ab eo requiritur, & super ea potest homo aliquid erogare, ut satisfaciat, & hoc dicit de impletione præceptorum*. His enim auctoribus videtur, quod non possit aliquis eadem solutione duplici debito satisfacere sine læsione æqualitatis juxta doctrinam Anselmi in lib. 1. *Cur Deus homo*. c. 14. satisfacere nimirum Deo pro præcepto, & satisfacere Deo pro peccato: a simili de illo, qui eodem opere non potest satisfacere pluribus titulis pro diversis peccatis, & de illo, qui quod reddit, ut votum impleat, non potest reddere, 'ur aliud præceptum impleat: nec eadem auditione Sacri satisfacere præcepto audiendi Missam die Festo, & Pœnitentiæ injunctæ. Ceterum ut supra diximus, ipsis etiam operibus aliunde debitis verum est, quod quis satisfacere possit pro reatu pœnæ temporalis, non quidem de rigore justitiæ, sed de condigno, ut supra explicavimus. Ratio potissima est, quia præceptum non tollit libertatem, nec bonitatem, nec pœnam. 2. quia testimonia Scripturarum, quæ opera illa innuunt, quibus promittitur perfecta, & integra peccatorum remissio, non limitant hanc promissionem. *Eleemosina*, dicitur Tobiæ 4. *a peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Sicut aqua extinguit ignem*, dicitur Ecclesiast. 3. *ita eleemosina peccatum. Date eleemosinam*, Lucæ 11. *& hæc omnia munda sunt vobis. Si dimiseritis hominibus peccata eorum*, Joann. 14. *remittet & vobis Pater cælestis. Si nos metipsos dijudicaremus*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. c. 11. *non utique judicaremur, dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. In his, & aliis similibus auctoritatibus nulla legitur distinctio operum consilii, vel præcepti, sed fit generalis locutio, & particularis de operibus Præceptorum, cur ergo limitatio hæc erit a nobis exigenda? 3. distinguendum est debitum justitiæ, & debitum præcepti, quod est, vel obedientiæ, vel temperantiæ, aut alterius similis honestatis. Primum requirit quod opera multiplicentur, quia plura debita unica solutione expleri cum perfecta æqualitate non possunt; non vero hoc requirit debitum alterius generis, quia huic satisfieri potest faciendo id, quod justum, quod bonum, quod Deo gratum est, adeoque meritorium. Accedit demum, quod in opere duo concurrunt, id quod in opere bonum est, & id quod in opere bono pœna est. Præceptum respicit opus ut bonum, quia obligat ad actum virtutis, quod vero dum actum hunc homo exequitur patiatur pœnam, hoc præceptum non exigit, & propterea hæc pœna exhiberi potest pro illa, quæ peccato debebatur, & secundum hoc satisfacit reatui pœnæ temporalis.

XVII.

XVII. Ex his patet cur diversis peccatis satisfieri non possit per idem opus, quia diversi reatus, diversas pœnas requirunt, sed non semper est verum, quod non possit per eumdem actum impleri præceptum, & votum, nisi aliter constet de intentione voventis, quod extenditur etiam ad intentionem imponentis Pœnitentiam, si voluerit hanc per opus alioqui debitum adimpleri, cum nulla repugnantia sit, quod unicum, & idem opus multis obligationibus sit debitum, scilicet ratione legis, ratione præcepti, ratione voti, aut juramenti &c. & quod per illud unum opus satisfiat pluribus debitis, & obligationibus. Porro hanc controversiam non tangit Anselmus loco citato, sed docet, quod per illa opera fit satisfactio, quæ non possent ab homine exigi, nisi peccasset, per opera scilicet pœnalia, hæc enim sunt, quæ nisi peccatum præcessisset non exigerentur. Alius igitur est status quæstionis Anselmi, qui non disputat an possit homo satisfacere Deo per opera alioquin debita. Si aliquid nostræ Propositioni adversatur, illud est, quod Christus Dominus apud Lucam 17. dixit: *Cum feceritis quæcumque præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*: Ergo operibus, quæ jam fuerint præcepta satisfieri non potest. Sed hujus consequentiæ vanitas facile demonstratur, nisi fortasse quis contenderet inferre eadem opera non esse de lege meritoria. Intendit itaque Christus docere, quod parum valeant opera nostra de se ad gloriam, & quam parum debeat nobis Deus propter illa, si ea secundum se consideremus, quia de se nec meritoria sunt, nec satisfactoria; secus vero si divinam liberalitatem, & bonitatem consideremus, cui soli fidere debemus, & non operibus nostris.

XVIII. Addunt Tridentini Patres aliam operationum speciem, quibus Deo satisfacimus, dum passiones, & pœnas ab illo inflictas patimur. *Docet præterea tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam spiritualibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter tolleratis apud Deum Patrem per Christum satisfacere valeamus*. Leguntur hæc verba in cap. 9. Sess. xiv. Plurimum itaque proderit voluntarie has pœnas ab extrinseco illatas propter Deum suscipere, cum non aliter Tridentinum Concilium doceat nos per hæc flagella satisfacere, ac per jejunia, & alia opera voluntarie sumpta: nec Deum aliter in hoc sæculo purgare justos per hæc flagella Divinæ Scripturæ testentur, ac justorum animas separatas purgat. Proderit etiam quacumque ratione a Deo flagella hæc inferantur, eadem in Deum ipsum referre, cum tota illorum vis, ut idem Concilium testatur, ex Christi meritis, & satisfactione dependeat in hoc sensu, quod qui hæc flagella patitur, operatur tamquam Christi membrum, & illa cum Christi satisfactione conjungit. Demum addi potest, quod sive hæc opera, & alia quæcumque interna fuerint, sive externa alterutris Deo satisfaciemus, quia omnia libere suscipiuntur, omnia difficilia sunt, & valde laboriosa, & pœnalia, nihilque illis deest, quominus ad satisfaciendum non valeant; imò dicimus, quod si opera externa sint, necesse est quod ab internis actibus aliquo modo procedant, & si interna fuerint, necesse est quod ab exterioribus adjuventur, ut valeant ad satisfaciendum 1. quia proprium est satisfactionis, ut fiat per pœnam, quæ voluntarie sit assumpta 2. quia in actu externo conjuncto interno major est pœna, quam in solo interno, licet in hoc possit esse interior efficacior, & diuturnior.

§. III. *Satisfactionis Opera potest quis sponte suscipere, & a Sacerdotibus possunt vi clavium injungi.*

XIX. Primam hujus propositionis partem demonstravit Apostolus in prima ad Corinth. 11. *Si nos ipsos judicaremus non utique dijudicaremur*, licet hoc male audiat Kemnitius, qui Apostoli verba pro suo arbitrio interpretratur in Parte 2. Examinis, vim faciens in sinistra (ut ipse putat) usurpatione græcæ vocis *Krinein*, qua *Pontificii abutuntur*, inquit, *ut illam interpretentur de Electitiis pœnis, quæ tamquam satisfactiones, aut compensationes pro peccatis voluntarie suscipiuntur, vel a Confessario injunguntur*. Catholicorum tamen interpretationem Theodoretus tradit, eam tradit Theophylactus, & quod magis mirum est, eam non refugit, sed confirmat Grotius, qui eadem Apostoli verba sic interpretatur in suis Commentariis, *si inde factorum pœnas de nobis ipsi exigeremus animo contrito, & humiliato, lachrymis, jejuniis, & aliis duris corporis tractationibus, non opus haberet Deus pœnas nobis immittere, juxta illud quod Simplicius ad Epicurum: sin quis sibi ipse jus dicat, forte hic & citius efficiet, quod volet, quoniam sua voluntate pœnas dat*. Ita certe S. Jobus se reprehendisse ait cap. ultimo, & egisse pœnitentiam in favilla, & cinere propter verbum, quod insipienter locutus fuerat. David quoque ob peccata in Deum admissa in se pœnas sumpsit. Achab etiam, Manasses, & Ninivitarum Rex, ut Reg. 3. c. 21. 2. Paral. c. 33. & Jonæ 3. narratur. Testimonium igitur ex verbo Dei nullum proferre Novatores possunt, ut dicant esse *mortificationes sine mandato Dei accersitæ, corporis lacerationes, sicut vulnera, quæ Sacrificuli Baal sibi faciebant*, & ut probent (quod scribebat Melancton in *Locis* titulo de satisfactione prope finem) *tales ultro accersitos cruciatus pertinere ad regulam*; frustra colunt me mandatis hominum, *item pugnare cum his præceptis*: non occides, *item*: habeto honorem corpori.

Nullus dubito reprehendet Apostolum, quod corpus suum castigaverit, & in servitutem redegerit, ut ipse scribebat in c. 9. 1. ad Cor. & quod Ethnicus homo idem faciendum consulebat: *ne corpus animo male pareat* (Seneca epist. 2.); & quod ad justitiam pertineat, ut unusquisque de peccatis suis pro amore Dei vindictam sumat. Sic Publicanus ille Evangelicus pectus suum percutiebat, & abiit justificatus in Domum suam; sic Hieronymus, ut plures alios prætercam repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabat, jungebatque diem cum nocte, nec prius a pectoris cessabat verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas, ut scribebat in sua ad Eustachium Epist. de Custodia virginitatis. Non ergo hi, & reliqui omnes peccarunt contra regulas a Melanctono citatos, sed peccavit Melanctonus in hoc Jovinianum secutus, qui nihil meriti putabat iis accrescere, qui pro amore castigandi corporis, a vino, vel carnibus abstinebant, & Melanctoni erratum Calvinus corrigit in l. 3. Instit. c. 3. §. 15. asserens *quo severiores in nos sumus, & acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium, ac misericordem Deum*, quod post Tertullianum, ante Calvinum, docuere Pacianus in Paræneti ad pœnitentiam, & Augustinus apud Bedam in Commentar. cap. 11. 1. ad Cor. & Magn. Gregor. in l. 9. Moral. c. 27. & Chrysost. hom. 42. in Matthæum.

XX. Ad verba Scripturæ, quæ afferuntur a Melanctono, dicimus Matthæi

thæi 15. aut Isaiæ 29. ex quibus locis prima sententia petitur non agi de actibus illis, qui ad satisfaciendum Deo pro peccatis sponte eliguntur, sed de quibusdam judaicis cæremoniis, quæ pugnabant cum mandato Dei, quales erant ut filii donarent Sacerdotibus, quæ necessaria fuissent Parentibus, ut toties lavarent manus &c. quæ res fundamentum habebant in persuasione non Divinitus tradita sed humana, ac futili. Videtur itaque quantum abest illorum verborum sensus, a sensu præsentis controversiæ, quæ statuit posse Deo exhiberi opera illa, quæ tamquam bona, honesta, & licita sunt approbata non ab hominibus, sed a Deo ipso, & liberæ hominum electioni relicta, ut illis, si voluerint, utantur ut pro peccatis satisfaciant. Omnino vero supervacaneum esse, 2. dicimus quod Melanctonus addat illa verba non occides cum in assumendis laboriosis pœnitentiæ operibus, modus ille observari debeat, qui a Canonicis præscribitur regulis, ut quisque illa subeat, ad quæ subeunda idoneus judicatur. Pro certis peccatis certæ sunt pœnæ injunctæ, & aliæ prohibitæ, ut infra notabimus, singulæ vero hominis avvertunt interitum & discretione, & prudentia mensurantur, & si quæ his regulis contrariæ eligerentur, non pœnitentium culpas tollerent, sed augerent. 3. Dicimus Apostolum Paulum verbis illis, quæ ex capite 2. suæ epist. ad Coloss. repetit Melanctonus, voluisse reprehendere eos, qui abominando ea negligunt, quæ ipse Deus creavit, non vero illos, qui hæc negligunt, si ipsi propositum habeant dure tractare corpus, neque carni obsequi ad saturitatem. Honor carnis est *cura, quæ carni præstatur*, ut idem Apostolus scripsit etiam in 1. ad Cor. 12. & in 1. ad Tim. 5. in qua cura ille deficit, qui *Pythagoricas abstinentias, non quod ea re exerceatur, eligit, sed quod contrarium abominetur*, ut loquitur Canon Apostolicus 51. *si ob id contemnantur alii, si non minus laute habeatur corpus ex herbis, leguminibus, pomis ad delicias coctis. Si quem ergo invenies* (Philo ait in libro Pejorem insidiari meliori) *qui cibum, potumve ubi tempus postulat non admittat, qui lavari, ungive recuset, tegi vix curet, humi cubet, incommode habitet seque hac cum faciat temperantem putet, huic tu errorem misertus, quæ vere agat ad temperantiam via ostende. Quidquid enim hic fecit infinitus, atque adeo inanis labor fuit, qui fame, aliisque malis male habitum animam non minus fere, quam corpus frangeret. Nec qui cum mentem sordere patiatur corpus sæpe abluat, expiet, quo id mundius sit curet: nec qui cum abundet opibus Templum aliquod apparatu magnifico, immensoque cum sumptu ædificet, hecatombasve offerat victimarum, nec modum, nec finem faciat: nec qui in ædes sacras, quo eas donariis ornet pretiosissimæ materiæ affatim artis etiam plus inferat, ne hunc quidem eo impiorum numero pone. Aberrat enim & hic a pietate, quod sanctitatem in Cæremoniis collocet, donaque ei dat, qui nec capitur donis, nec sane istiusmodi res unquam admissurus sit: quod denique ei adulatur, quem decipi adulatione fas non est, qui ut vero cultu delectatur* (*est autem verus cultus quem ei animus exhibet, cum solam ei, atque unicam veritatem offert*) *ita falsum omnem cultum* (*sunt autem omnes falsi, qui in externa ista pompa consistunt*) *respuit, atque a se abdicat.* Eruitur itaque ex Apostoli auctoritate, quod corpus necessariis provideri debet, nec ab his juvat quemlibet abstinere secundum præcepta, & doctrinas hominum, sed secundum rationem veræ sapientiæ non illius quæ in superstitione posita est, sed in cultu voluntario, & sincera pietate, ut ob peccata quibus in-

 fer-

modum judicii feratur, quod totam pœnam non semper gratis remittit, certe ad illius judicium spectare debet ut æquitate servata sententiam ferat, delictum puniat & pœnam imponat, & hinc nascitur satisfactionem a Sacerdote impositam, & virtute clavium applicatam, esse partem hujus Sacramenti, ut Tridentini Patres dixerunt, cum pertineat ad perfectionem hujus judicii, & consideretur perfecta medicina peccati; non vero ex illa dependet, quod hoc Sacramentum vere conficiatur, & conferat gratiam, nam hæc sequuntur ante satisfactionem expletam, cum hæc non ordinetur ad culpæ, sed tantum ad pœnæ temporalis remissionem, quem effectum, ut satisfactio operetur, necesse est, quod in statu gratiæ impleatur, quia peccatum mortale huic effectui est contrarium, nullusque per nova debita pro prioribus satisfaciet. Idem dicendum est, si qui satisfacit Deo, affectum habet ad peccatum mortale, caret enim studio placandi Deum, quod requiritur, & quod præsupponit integram peccatoris conversionem ad Deum, quæ integra conversio, cum non sit ratio illius finis, sub quo Ecclesia ex. gr. Jejunium præscribit, sequitur quod jejunans in Quadragesima præceptum implet, etiamsi habeat affectum ad peccatum mortale, & in hoc videtur discrimen quod reperitur inter opus simpliciter bonum, & opus satisfactorium, cum ad illud sola sufficiat finis rectitudo, quæ ad hoc non sufficit.

XXII. Secus vero est dicendum de satisfactione, quæ fit Deo ab illo, qui in reatu peccati mortalis versatur sed caret omni affectu ad illud, nam hujusmodi satisfactiones vetus Ecclesia semper a lapsis exegit, jussitque sæpe Sacerdotibus, ut illas injungerent, expectarentque earumdem exitum antequam pœnitentes absolverent. Hanc ab iis, qui Jobum læserant Deus exegit, ut dicitur Job ultimo, & in cap. 8. Actuum Simoni injungitur ut de peccato suo pœniteat. D. Thomas videtur in hoc dissentire, eo quod opera facta extra charitatem dicat in iv. Senten. dist. 15. a. 5. non esse satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ: hoc tamen non est verum, si intelligatur S. Doctor de Charitate habituali, non item de Charitate actuali. Mens itaque D. Thomæ est, quod opera satisfactoria in tali statu expleta, non merentur de condigno remissionem pœnæ, sed tantum de congruo, quia ad meritum de condigno tria debent concurrere, dignitas operantis, proportio operis, & promissio Dei sub conditione talis operis: nam ex hac promissione, si opus exhibeatur, oritur debitum, seu obligatio justitiæ; in nostro autem casu dignitas offerentis non habetur, nam qui satisfacit Deo, in reatu peccati mortalis esse supponitur: cujus etiam intuitu dicimus hanc satisfactionem non conferre ad augmentum gratiæ sanctificantis ex opere operato provenientis, sed tantum conferre ad gratiam ex opere operantis; nisi velimus asserere in allato casu satisfactionem moraliter permanere, quod tamen necessario non est dicere, cum satisfactio non sit pars essentialis Sacramenti, sed tantum integralis.

XXIII. Colligitur 1. ex his, Jure Divino Satisfactionem necessariam esse post Baptismum iis, qui se peccatis obstrinxerunt, hanc enim Christus Matth. 8. imperavit, Apostoli publicarunt, Concilia Africanum, & Romanum Cypriani, & Cornelii temporibus celebrata, definiverunt contra quorumdam Presbyterorum arrogantiam, qui cum in persecutione Diocletiani Thus Idolis adolevissent, ceteros lapsos incitabant, ut a Ministris sine satisfactione reconcilia-

ciliationem extorquerent. *Stultitia eos deceptos*, inquit Concilium Selegustaviense c. 18. *qui capitali crimine culpati, pœnitentiam a suis Sacerdotibus noluerint acceptare*. Idem onus PP. Concilii IV. Lateranensis fidelibus omnibus imponunt in cap. *Omnis utriusque*, & Concilium Florentinum esse imponendam decernit, quod latius, ut vidimus, Tridentini PP. docuerunt in cap. 8. Sess. XIV. non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam.

XXIV. Colligitur 2. ad implendam obligationem a Confessore impositam sufficere satisfactionem in statu peccati mortalis exhibitam, quia (ut dicitur) Confessor præcipit opus, non modum ejus, quod verum est, etiamsi opus satisfactorium male fieret: itaut ex aliqua circumstantia peccatum esset, puta quia Pœnitens in fine deficit.

C A P U T VII.

DE PUBLICA POENITENTIA.

§. I. *Ab ipsis temporibus Apostolicis in Ecclesia mos fuit corripiendi publica Pœnitentia publica peccata, quæ ceteris scandalo essent.*

I. *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*, suo Timotheo scripsit Apostolus cap. 5. Ab ipsis ergo temporibus Apostolicis in Ecclesia mos derivavit corripiendi publica Pœnitentia peccata publica, quæ ceteris scandalo essent, licet a nascente Ecclesia usque ad hæresim Montani satisfactioni peragendæ nullum tempus esset determinate præfixum. Constat hoc ex incestuoso Corinthio, quem post annum, ex quo illum Paulus Pœnitentiæ addixerat, pace donavit (1. ad Cor. 5.) Ex prædone illo, quem ut scribit Euseb. histor. lib. 2. cap. 17. *uno tantum, aut altero mense purgatum Joannes absolvit*. Demum ex Natalio, quem ab Hæresi reversum, ut idem Euseb. loco citato lib. 6. cap. ultimo narrat *paucis a sua Exomologesi diebus Catholicæ communioni Zephirinus restituit*. Postremo tandem id constat ex Scriptis illorum, qui ante Montanum, vel Montani ætate floruerunt, in quibus temporis impendendi in subeundis Pœnitentiæ laboribus, vel nulla fit mentio, vel nonnullæ tantum hæbdomadæ definiuntur. *Duorum, aut trium, aut quinque, aut septem Hebdomadarum jejunii, ut delicti genus, & ratio poposcerit, castigandum illum, qui deliquerit, ut fiat examen an Pœniteat, fitque dignus, qui in Ecclesiam ex toto admittatur*. Solus, qui legatur Clemens Papa decrevit in cap. 16. lib. 2. suarum Constit. nam Hermes Pauli Discipulus, cujus fœtus traditur liber Pastoris, & Tertullianus in libro de Pœnitentia, & in altero de Pudicitia sæpe Pœnitentiæ necessitatem inculcant, sed de brevitate, vel diuturnitate Satisfactionis silent omninò, quam circumstantiam profecto Tertullianus addidisset, ut eorum excusationes, qui satisfactionem peragere respuebant redderet firmiores. Triennali Communione esse privandum Laicum, qui semetipsum abscinderet, qui alienæ vitæ esset insidiator 24. Apostolorum canon decernit, cum vero perperam Canones hi Apostolis supponantur, quos Canones verissimilius est

est Iconiensis Concilii Patres A. 258. confecisse; satis agnoscitur ex hoc 24. Canone non probari Pœnitentiæ Stadium Apostolicis temporibus fuisse determinatum.

II. Sed quod satisfactioni peragendæ tempus præfixum non fuerat Romanus Clerus in Urbe, cum Martyr occubuisset S. Papa Fabianus Romæ, & S. Cyprianus Carthagine, coacto Concilio sancivit, scilicet, quod protraheretur diu Pœnitentia, & ab Episcopis examinarentur lapsorum caussæ, & voluntates, & necessitates singulorum. Decretum probavit Cornelius Fabiano successor, verum ingruente persecutione sub Gallo, & Volusiano, tempus satisfactionis Cyprianus contraxit ad septem mensium spatium, scilicet ab idibus Maij A. 254. ad ineuntem A. 255. quod tamen tempus neque expectavit Cornelius pro Canonica satisfactione Maximi, Urbani, Synodii, Macarii, & Trophimi, qui omnes Novatiani Schismati consenserant, cum illos statim absolutione donaverit absque injuncta aliqua satisfactione propter ardentissimam eorum contritionem, & publicam proprii criminis Confessionem, patienterque, & humiliter tolleratas suorum scelerum exprobationes, lachrymarumque imbres, quibus suam reconciliationem obsecrabantur. Verum neque hujus disciplinæ evidentissima desunt apud S. Cyprianum argumenta, quoties meminit Libellorum, quibus Martyres Lapsos donabant, ut infra dicemus.

III. Diuturniorem quidem, sed in tempus indefinitum protrahendam satisfactionem citata Concilia Carthaginense, & Romanum sanxerunt, quæ satisfactio in ejectione ab Ecclesia, laboriosisque operibus tota constabat. Sed post exortam Novatianorum hæresim, quatuor in Stationes, sive gradus hæc satisfactio distributa est, quos Antiquitas nuncupavit *Flentes*, *Audientes*, *Substratos*, & *Consistentes*. Horum graduum meminit S. Gregorius Neocæsariensis Episcopus in cap. 11. suæ Epistolæ Canonicæ, & S. Basilius in Epist. ad Amphilochium variis in locis, qui præterea in can. 75. decernit quantum in singulis Stationibus tempus satisfactioni peragendæ lapsus debeat impendere. *Triennio*, inquit, *deleat stans propre fores domus Oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Postea autem alio tertio triennio ad solam auditionem admittatur, & Scripturam, ac doctrinam audiens ejiciatur, & nec Oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacbrymis exquisivit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione supplex procidit, detur ei substratio in aliis tribus annis. Et sic postquam Pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo anno in fidelium Orationes suscipiatur sine oblatione; & cum duobus annis una cum fidelibus ad orationem constiterit, sic deinceps habeatur dignus Boni communione.* Ex his Basilii verbis, quid in tribus Pœnitentiæ gradibus agendum esset, clare, & distincte enuntiatur. Tertium de quo nihil dicit explicat Caput 11. lib. 8. Apostolic. Constit. & canon 80. Concilii 4. Carthagin. ubi dicitur, quod in singulis fere Synaxibus substratis Pœnitentibus manus imponebantur. Quamquam vero hic esset Stationum ordo, & ritus, penes Episcopos erat, ut in can. 16. Ancyranæ Synodi legimus potestas, modum conversationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquirebatur, & ita eis impertiebatur humanitas.

IV. Dum Fletum dicimus primam Pœnitentium Stationem, intelligimus fletum illum, qui pro actione satisfactoria a Sacerdotibus injungebatur, non

vero,

vero, quod ante Novatiani tempora, fletus non esset aliqua Pœnitentiæ nota. Fuit revera semper, etiam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, nam neque tunc ullus ad Pœnitentiam admittebatur, qui eam non fuisset profusis lachrymis deprecatus. Postquam vero Pœnitentiæ statio fletus evasit, flentibus in Ecclesiam ingredi vetitum fuit, sed Sacco induti, & Cinere conspersi, iniquitatem suam palam enuntiabant. In area Ecclesiæ adjacente, aut in Ecclesiæ porticu, vel vestibulo eorum statio collocata erat, ut etiam ex Chrysostomi homilia 17. in Matth. colligitur; unde aliam Pœnitentium Stationem indicat Synodi Ancyranæ canon. 17. quem sic vertit Gentianus Hervetus: *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit S. Synodus inter Hyemantes orare, hoc est extra tectum esse aeris tempestatibus expositos*. *Inter Energumenos* interpretatur Dionysius exiguus, & propterea eumdem canonem sic vertit: *Eos, qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit S. Synodus inter eos orare, qui spiritu pericritantur immundo*, nec discrepat antiqua versio ab Isidoro Mercatore exhibita: *Hos eosdem sane non solum leproso crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate jactantur, qui a nobis Energumeni appellantur*. Hanc interpretationem, quam nonnulli alii probarunt, refellit Albaspinæus in suis notis ad hunc canonem, qui ulterius ostendit Energumenis fuisse peculiarem locum ad orandum in templo. Refellit etiam Balsamonis interpretationem, quæ tenet Hyemantes illos fuisse, qui sub ferula Divinis litteris initiabantur; & demum vult canonem 16. ejusdem Ancyrani Concilii nihil connectere cum supra citato 17. quod etiam dicunt primæ interpretationis Auctores, *sed agi*, inquit, *in can. 17. de integra Pœnitentia propter criminis gravitatem explenda sub dio*: de qua etiam loquitur Tertullianus in c. 4. lib. de Pudicitia: *reliquias libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus, ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus*, inquit, *quia non sunt delicta, sed monstra*.

V. Non ita vero per antiqua fuit altera Pœnitentium Statio, quæ *Auditio* nuncupata est, illius enim neque Tertullianus, neque Cyprianus, neque Augustinus aliique meminerunt, apud quos Audientium nomen Catechumenis primi ordinis imponebatur, ut in Tractatu de Baptismo observavimus. Hujus Stationis primus omnium egit post exortam Novatianorum hæresim laudatus Gregorius Neocæsariensis, postea Basilius, aliique Græci Patres, qui canonibus Pœnitentialibus eam inseruerunt. In Ecclesia Latina nunquam in usu fuit per hoc præcise, quod canon aliquis in Ecclesia Occidentali reperiretur, qui lapsos huic Stationi damnaret. Primus qui Auditionem in Ecclesia Latina pro determinata ab Ecclesia Pœnitentiæ Statione usurpaverit, invenitur Felix Papa III. qui in sua 7. Epist. rebaptizatos omisso flentium gradu per tres sequentes deducit. Pro ratione autem contritionis, & humiliationis, ci ius vel tardius transitus ab hac classe ad tertiam concedebatur. Auditionis locus erat intra portam templi, videlicet in Narthece. Nulla opera laboriosa his Pœnitentibus injungebantur, & nullæ erant super eos manuum impositiones, nullæ orationes, eo quod istarum expiationum adhuc indigni censebantur, sed cum illis agebatur eodem modo, atque cum ignaris mysteriorum fidei.

VI. Tertiam Pœnitentiæ Stationem ita semper universalis agnovit Ecclesia, ut qui illam decurrerent absolute, & simpliciter eosdem vocaret Pœ-

Pœnitentes. Hæc varium nomen sortita est, communiter tamen *Exomologesis, Pœnitentia, plena Pænitentia vocari consuevit*. Non raro etiam dicitur *Substratio*, quia ut Dionysius Areopagita explicat in Eccl. Hier. c. 5. *nihil aliud est, quam genuum flexio una cum ipsius corporis incurvatione*, ea namque ratione Pœnitens submittebat se, succumbebatque, ut loquitur Sozomenus Histor. Eccles. lib. 7. c. 16. Gravissimum hujus substrationis monumentum suppeditat laudata Synodus Ancyrana in supra cit. can. 16. quem idem quoque supra memoratus Gentianus Hervetus ita interpretatur: *Rei crimine pessimo postquam quindecim annis substrati, ac supplices fuerint communionem ad preces assequantur. Deinde, & cum in communione quinque annis perseveraverint oblationem attingant. Examinetur autem, & eorum in substratione vita, & ita humanitatem consequantur*. Substrationis locus intra Templum erat retro Ambonem. Templum ergo Pœnitentes hi ingrediebantur, ceterum more Catechumenorum egrediebantur ante orationes fidelium. Sic canon 19. Concilii Laodiceni, 11. Nicæni, 4. Ancyrani, sic alii omnes, qui simul cum Catechumenis substratos jubent Templo digredi. Quod si quidam canones dicant eos orare una cum Catechumenis, id intelligendum est de tempore, non quod easdem cum iis preces, vel eodem simul loco confusi oraverint, tantum quod eodem etiam tempore suas preces recitaverint. Triennium huic stationi Basilius concessit, sed ex Ancyrano Decreto supra relato substrationis tempus plurium annorum fuisse constat, Balsamon ad Canon. xi. Concilii Nicæni scripsit, *septem annos substerni*: quod scripserat etiam Felix III. loco citato Novennium ponit Nyssenus in Epistola ad Letojum can. 5. tom. 2. & ipse Basilius loco citato can. 73. Christum negantes toto vitæ suæ tempore deflere, & Pœnitentiam agere decernit, quos proinde, nec ad Auditionem, nec ad Consistentiam admittit. Jejuniis, precibus, humicubationibus, aliisque operibus laboriosis affligebantur, atque ut supra diximus, preces super illos in genua procumbentes, cum manuum impositione fundebantur post Missam Catechumenorum, & ante incruenti Sacrificii oblationem.

VII. *Consistentiam* dixerunt Patres ultimam Pœnitentium Stationem. In hac constituti simul cum fidelibus in Ecclesia stabant, neque jam amplius cum Catechumenis exibant, sola participatione mysteriorum ceteris fratribus inferiores. Gabriel Philadelphiæ Metropolita in libello de Pœnitentia hunc gradum ita describit: *Consistentiæ locus est, in quo ii, qui Pœnitentiam egerunt, & sufficienter canonem exsecuti sunt, consistunt, & cum fidelibus precantur*, quod & Scholiastes Græcus in Harmenopulum repetit, & canon 16. Ancyranus, & 11. Nicænus, & 81. Basilii Magni. Cum vero *Sacra cœna nondum dignus Consistens dicatur* in laudatis monumentis, inquiri potest cur ergo idem Basilius in canone 44. scribat: *hujusmodi Pænitentes ad communionem recipi?* difficultatem tamen dirimit Zonaras, qui Canonis Basiliani verba ita explicat: *Per communionem hoc loco intelligi debet consistentia cum fidelibus in precibus*, & huic explicationi cohærens est altera Balsamonis explicatio verborum ejusdem canonis, & cohærent verba, tum Nicæni, tum Ancyrani Concilii, in quibus Conciliis Patres dicunt, Consistentes fidelium orationibus communicare, vel ut Felix III. in sua Epistola 7. scripsit: *Secularibus in oratione sociari*. Imò cohærent etiam ipsi Canones Apostolici, sic enim legitur in illo, qui vigesimus nonus est: *Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui largitionibus suas consecuti sunt dignitates, deponatur & ipse, & qui ordinavit, ac penitus*

abscindatur etiam a communione, cum per hæc verba non tantum intelligatur participatio Sacræ Cœnæ, sed etiam consistentia cum fidelibus, ut laudatus Zonaras ad Canonem 2. Calcedonensis, ex quo prodiit 29. Apostolicus, adnotavit: *Per communionem*, inquiens, *hoc loco intelligi debet, non tantum S. Cœnæ participatio, sed etiam cum fidelibus congregatio, & consistentia, ita ut ex Ecclesia prorsus expellatur, & ejiciatur*. Sedes Consistentium erat ab Ambone versus Sanctuarium, sive permixti fuerint, cum fidelibus, sive ab illis separati, quæ res obscura est. Communis erat hæc Statio illis quoque, qui ob aliquam leviorem culpam Communione privabantur, ut legitur in cap. 2. Concilii Eliberitani, & in cap. 50. *Si quis Clericus, sive fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a Communione abstinere*. Ad eamdem Stationem recta mittebantur ii, qui grave quidem crimen perpetraverant, sed se se sponte ad Episcopum detulerant, ut constat tum ex can. 9. S. Gregorii Neocæsar. tum ex 61. S. Basilii. Item mulieres nuptæ, quæ adulterio pollutæ erant. *Adulterio pollutas Mulieres*, inquit S. Basilius can. 34. *& confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis caussam praberemus, eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ*: & demum omnes illi, qui ubi Pœnitentiam publicam egissent, in illa iterum peccata prolapsi essent, jam per Pœnitentiam purgabantur. Hujus disciplinæ modum Siricius Papa præscripsit sic ad Himerium Tarraconensem rescribens Epist. 1. can. 5. *De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta Pœnitentia tamquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, & Sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur intersint. A Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subveniri*.

VIII. Quamvis autem omnes publici Pœnitentes per quatuor hosce gradus transire cogerentur, nonnullis tamen aliquando eosdem transgredi permittebatur, ut constat ex can. 11. Concilii Nicæni, itemque ex 12. & ex cap. 13. Epist. S. Basilii ad Amphilochium, ejusdemque can. 61. 73. 81. 82. & ex S. Gregorio Nysseno in Epist. ad Letojum, & ex Epist. 7. Felicis III. Utrum vero iis, qui acta publica Pœnitentia nova crimina perpetrabant, omnis aditus Pœnitentiæ ab Ecclesia præcluderetur, utrum scilicet post Pœnitentiam publice peractam jus ad Pœnitentiam publico, & solemni ritu secundo agendam superesset? Videtur dicendum hoc jus nemini unquam patuisse. *Collocavit*, inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 5. *in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam semel, quia non secundo, sed amplius, nunquam, quia proxime frustra. Non enim & hoc semel satis est*. Hujus responsionis quadruplicem rationem idem Tertullianus reddit in eodem cap. 5. Prima est, *quia nullus ignorantiæ prætextus recidivis patrocinatur*. 2. est *Divini timoris in peccatore præsumpta extinctio*. 3. *quia si ignorantes Domi-*

minum nulla exceptio tuetur a pœna (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quanto cognitum despici periculosum est? 4. quia cum æmulo ejus Diabolo Pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus se ipsum facit, ut denuo malus, recuperata præda sua adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, Diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum Pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam Pœnitentiam satisfaciet, eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.

Suffragatur Tertulliano Clemens Alexandrinus, qui libro 2. Stromatum repetit Pœnitentiam unam esse, & semel dumtaxat ab Ecclesia concedi: recitatis enim Apostoli verbis: *Voluntarie enim peccantibus nobis non amplius relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & zelus ignis, qui est devoraturus adversarios, addit, continuo autem, & se vicissim excipientes propter peccata Pœnitentiæ, nihil differunt ab iis, qui omninò non crediderunt, præterquam in eo solo, quod se peccare senserunt; neque scio utrum sit deterius prudentem, ac scientem peccare, an cum pro iis, quæ peccavit, Pœnitentia ductus fuerit, rursus peccare .... est enim rursus meditatio peccatorum sæpe pœnitere, & ad facilem mutationem aptitudo ex defectu exercitationis: apparet ergo, sed non est Pœnitentia sæpe petere veniam de iis, quæ sæpe peccamus.* Non dissentit ab his Ambrosius in cap. 10. lib. 2. de Pœnitentia ubi ait: *Sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* Neque demum discrepat Augustinus in sua Epist. 54. ad Macedonium, unde satis constat propositum.

IX. Optandum esset, quod ex Patribus priorum sæculorum æque perspicue, & concludenter privatæ Pœnitentiæ probaretur usus, ut per hanc curarentur peccata, propter quæ quis jam publicam pœnitentiam subiisset. Ita fieret quod hac in re non decertarent Theologi, ut verus eorum sensus erueretur. Qui Tertulliani, Ambrosii, & Augustini sententias vocant ad trutinam, fatentur ingenue nunquam Pœnitentiæ privatæ usum in Ecclesia fuisse. Ita sentiunt Albaspinæus lib. 2. Observat. 5. Jo. Morinus l. 5. de administratione Sacramenti Pœnit. c. 27. & doctissimus Patavius in Animadvers. in S. Epiphan. ad hæref. 59. aliique viri eruditi, quorum fundamenta prætereo, cum satis esse putem unam Augustini Auctoritatem studiosorum Auditorum examini hic subjicere, quæ complectitur Macedonii quæstionem, propter quam Augustinum consuluit, & Sancti Doctoris solutionem: hoc prænotatur, quod illorum neuter Controversiæ statum attigisset si in Romana, & Africana Ecclesia illa tunc, quæ supponitur Disciplina, invaluisset. *Quæris a me* (hæc Augustinus in cit. epist. 54.) *cur officii sacerdotii nostri esse dicamus intervenire pro reis, & nisi obtineamus, offendi, quasi quod erat officii nostri minime reportemus. Ubi vehementer tu dicis ambigere utrum istud ex Religione descendat: Deinde adjungis qua ratione ita movearis. Nam si a Domino peccata, inquis, adeo prohibentur, ut nec pœnitendi quidem copia post primam Pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex Religione contendere, ne nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur?* Hæc sunt suprema capita Macedonianæ quæstionis. In his quæ se-

ſequuntur, legimus Auguſtini reſponſionem : *ſi iniquis, & ſceleſtis Dominus parcendo, eiſque vitam ſalutemque largiendo etiam pleriſque eorum, quos novit non acturos Pœnitentiam, tamen exhibet pœnitentiam: quanto magis nos in eos, qui correctionem promittunt, & utrum faciant quod promittunt incerti ſumus, miſericordes eſſe debemus, ut rigorem veſtrum pro eis intercedendo flectamus, pro quibus, & Dominum quem nihil de moribus eorum etiam futuris latet, non tamen impudenter, quia hoc ipſe præcepit, oramus. In tantum autem hominum aliquando iniquitas, progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt Altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel graviora committant; & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit quam ante tribuebat largiſſima munera vitæ, ac ſalutis. Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur: ex quorum numero ſi quis nobis dicat: aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor in ſcortis, omnique luxuria damnabili quidem apud Dominum, ſed apud homines pleroſque etiam laudabili: aut ſi me ab hac nequitia avocatis, dicite utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſima voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam licita, & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementius quam prius excruciavero, ſi miſerabilius ingemuero, ſi flevero uberius, ſi vixero melius, ſi pauperes ſuſtentavero largius, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum flagravero ardentiuſque, quis noſtrum ita deſipit, ut huic homini dicat: nihil tibi iſta proderunt impoſterum, vade, ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem, ſacrilegamque dementiam.* Eamdem opinionem legimus apud Origenem homil. 15. explicans illud Levitici 25. *qui vendiderit domum intra urbis muros habebit ergo licentiam redimendi*, in qua explicatione domos quæ ſunt in pagis allegorice interpretatur peccata leviora, & graviora ſcelera domos dicit, quæ ſunt in urbibus, & redemptionem domorum vertit pœnitentiam peccatorum; cum igitur Scriptura doceat tantum ſemel in anno venditionis poſſe redimi domos, quæ ſunt in urbibus, reliquas vero pluries jubilæo redeunte, graviora etiam crimina ſemel tantum unica Pœnitentia expiari ait, ſæpius, vero leviora, ut accuratior eſſet allegoria. *Si vot*, inquit Origenes, *aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei, quæ muro Eccleſiaſtici, & Apoſtolici dogmatis cincta eſt; ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat hoc eſt vendidiſſe domum, quæ in agro eſt, vel in vico, cui murus non eſt. Hæc ergo venditio hujuſmodi culpæ ſemper poteſt reparari, nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis hujuſmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus ſemel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus ſemper Pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Placuit profecto aliquibus poſt hæc Origenis verba, *In gravioribus enim criminibus ſemel tantum addere, vel raro*, ſed hanc additionem non patitur Scripturæ auctoritas, & intentio Origenis, imò neque ſententiæ contextus, quia videretur quod Origenes docere voluiſſet quod non ſemel, ſed iterum gravioribus criminibus concederetur locus publicæ Pœnitentiæ, quod erat contrarium Diſciplinæ Eccleſiarum, nam Origenes, aliam Pœnitentiam reliquit Peccatis communibus, & quæ frequenter incurrimus.

Hoc

Hoc quoque observatione dignum est citari a Magistro Sententiarum in fine distinctionis XIV. libri 4. locum ex 20. Homilia Chrysostomi in verba illa cap. 10. epist. ad Hebræos *voluntariæ peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis hostia* cum tamen locus hic non inveniatur neque in textu græco, neque in versione latina. Magister sic citat Chrysostomum: *sciendum, quod hic quidam exurgunt horum verborum occasione pænitentiam auferentes, quasi per pænitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo & tertio, & deinceps. Verum etiam in hoc Pænitentiam non excludit, nec propitiationem, quæ sæpe fit per pænitentiam, sed secundum baptismum, & hostiam. Ita vero legitur in versione latina. Hic rursus nos adoriuntur, qui tollunt pænitentiam. & quicumque cunctantur venire ad Baptisma, siquidem non est secunda remissio. Illi vèro dicunt non esse tutum eos, qui peccarent impertiri mysteriis, siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus utrisque? Quod hic non tollit Pænitentiam, nec eam, quæ per pænitentiam fit placationem: neque expellit, & dejicit per desperationem eum, qui est lapsus (non enim est adeo inimicus nostræ salutis) sed secundum lavacrum tantum aufert. Non enim dixit: non est amplius Pænitentia, neque est amplius remissio, sed non est amplius hostia, hoc est, non est amplius crux secunda: hoc enim vocat hostiam.* Ex his duabus lectionibus prima est rejicienda, tum ob allatam rationem; tum etiam quia non falsum, sed verum scripsisset Photius in Articulo 6. suæ accusationis, cum Chrysostomum insimulavit, quod aditum aperiebat peccatis, quia dicebat: *si iterum pecces, iterum pænitentiam facito, & quoties peccaveris accede ad me, & ego te curabo*; neque inde potuisset S. Doctori invidiam conciliare, quia illius exhortatio fuisset conformis Ecclesiasticæ regulæ de admittendis lapsis privatæ Pœnitentiæ.

X. Ex mox laudatis SS. Patrum sententiis eruitur, quod cum ab illis negabatur secunda Pœnitentia iis, qui post publicam in eadem, vel æque graviora crimina prolapsi essent, hoc ab illis fieri dicebatur non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ. Ceterum peccatores hujusmodi uni Dei misericordiæ, ac patientiæ laudati Patres committebant. Id apparet cum ex pluribus, tum ex his Augustini verbis, quibus superior sententia concluditur: *Quamvis ergo caute, salubriterque provisum sit ut locus illius humillimæ pænitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pænitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non egi quod Apostolus ait. Ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit?* Hunc Disciplinæ rigorem exhibent Eliberitani Concilii Canones editi contra Idololatras, contra Flamines, contra Delatores, qui per delationem extiterunt alienæ mortis caussa, contra Lenones, & contra Puerorum stupratores; imò & contra eos, qui post pœnitentiam fuerint mœchati, & fornicati, & contra mulieres, quæ usque in finem mortis earum, cum alienis viris essent mœchatæ, in quibus statuebatur, quod nec in fine vitæ danda illis esset Communio, idest Sacramentalis absolutio. Hæc pro hac sententia notatu digna credidimus ut quibus præcipue argumentis initeretur, claresceret.

Contraria huic est Scholasticorum sententia, qui peccata, de quibus lo-

loquimur, per aliam pœnitentiam fuisse curata asseveranter tenent, & hanc fuisse acerbiorem publica, ut in utrisque esset compensatio. Videatur Magister Sententiarum lib. 4. dist. 14. & S. Thomas 3. par, q. 84. a. 10. & videantur ceteri, qui disciplinam suis temporibus in Ecclesia vigentem tradunt. In hac itaque Controversia videtur dicendum, usque ad tempora Siricii Papæ, hoc est usque ad A. 385. suffragium pœnitendi hujusmodi lapsis defuisse, sed ipsis in se sua errata corrigendi relictum arbitrium, hac sola districtione ab Ecclesia correpti, quod a Dominicæ mensæ convivio segregarentur, quousque ad Dominum proficisci cœpissent. Colligitur hæc responsio ex supra laudato Siricii decreto, quod extendendum esse ad singula peccata, quæ contra Decalogum committuntur, & contra Ecclesiasticas Constitutiones, ex ejusdem Decreti verbis cumulatissime demonstratur.

§. II. *Non omnium peccatorum mortalium reos pœnitentiæ Ecclesia addixit, sed illos tantum, qui Idololatriam, Homicidium, Moechiam, aliaque gravissima scelera perpetrabant; quæ sæculi Leges sanguine vindicabant.*

XI. Tria hæc crimina complectitur Canon 2. Eliberitani Concilii A. 313. in quo sic legitur: *Flamines qui post fidem lavacri, & regenerationis sacrificaverint, vel geminaverint scelera accedente homicidio, vel triplicaverint facinus coharente moachia placuit eos nec in fine accipere communionem.* Aevo Tertulliani A. 217. tribus tantum his criminibus pœnitentia publica imponebatur. Temporibus Ancyranæ Synodi, A 314. & Synodi Neocæsariensis, & ætate S. Paciani Episcopi Barcinonensis. eadem imponebatur. Videntur certe Eliberitani, Ancyrani, & Neocæsarienses Patres plura alia crimina huic pœnitentiæ subjacere, nam ad illa tria facile revocantur hæc alia, ut S. Pacianus tria ipsa memorata repetit ex epistola Apostolorum in Concilio Jerosolymitano data ad Christianos ex gentibus conversos, quæ Actuum 15. sic exarantur. *Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione.* Quod si Patres alium ordinem, alium numerum peccatorum inseruerunt, quæ publica pœnitentia expiari oportuisset, puta alias infidelitatis species furtum violentum, sepulchrorum violationem, sacrilegium, perjurium, divinationes, ut in sua Canonica epistola ad Letojum recenset Nyssenus, & Basilius in sua ad Amphylochium scribit, tamen illud semper est certum non omnium peccatorum mortalium reos publicæ pœnitentiæ legibus Ecclesiam subiecisse.

Hujus certitudinis argumentum canon 4. Neocæsarien. Concilii suppeditat, ubi legitur: *si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea concumbere* (quis ignorat propositum fornicationis lethale esse peccatum?) *& cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus est.* Antiquis Canonibus numquam fuisse animadversum in reos avaritiæ, usuræ, & occulti furti, in sua laudata epistola copiose scripsit Nyssenus. Auctor est S. Basilius de his, qui rapiunt, canonem quidem antiquum non fuisse, qui pœnitentia publica raptum hujusmodi mulctaret, quando nec stuprum, nec furtum non præcessisset. Pluraque alia peccata gravia recenset Augustinus in epist. 64. ad Aurelium, in qua agit de Commessationibus, & Ebrietatibus, etiam, quæ fiebant in templis in honorem Martyrum in cap. 80. Enchiridii, ubi agit de gravissimis Clericorum peccatis,

pro-

propter quæ debuissent exauctorari, & Episcopi dissimulabant, propter quæ Laici debuissent excommunicari, & Præsules non audebant; in lib. 83. Quæst. quæst. 26. & clarius adhuc in lib. de Fide, & Operibus c. 26. in quo notat inter peccata mortalia etiam esse illa, quibus publica pœnitentia infligi non debet, sic enim ait: *nisi essent quædam peccata, non ex humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit, lucratus esse fratrem tuum*. Patet igitur quod Augustini ævo non erant addicti publicæ pœnitentiæ plurimi eorum, qui lethalibus criminibus inquinabantur; quod confirmat tum inter Laodicenos canones qui septimus est, a quo decernitur: *quod absque publica pœnitentia hæretici in Ecclesiam recipiantur postquam omnes hæreses anathematizaverint, & præcipue illam, qua detinebantur, & unsti sacro Chrismate sic Mysteriis communicarent Sacrosanctis*: tum Athanasius in epistola ad Rufinianum: tum Joannes Climacus in gradu Scalæ suæ 15. & tamdem S. Pontifex Leo in epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. ultimo, in quo legitur; *Qui convivio solo Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari, ut deinceps ab Idolothytis abstinentes, Sacramentorum Christi possint esse participes*.

XII. Rem itaque agunt supervacaneam qui contra hunc ritum Ecclesiæ, Ecclesiasticorum Auctorum testimonium adhibent, ut omnia omnino lethalia peccata probent fuisse antiquitus publicæ pœnitentiæ subjecta. Si enim putant nos posse convinci Tertulliani auctoritate, quæ legitur in cap. 4. lib. de Pœnitentia ubi ait: *omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit*, oportet quod primo ipsi animadvertant, utrum scripserit hæc Tertullianus pro baptizatis, an pro Chatechumenis. Constat autem ex eodem Tertulliano a primo hujus libri capite usque ad exordium capitis 7. illum non egisse de pœnitentia peccatorum, quæ post Baptismum commissa fuerant, sed de pœnitentia assumenda ante Baptismum. Ergo clarum est ex his verbis non inficiari nostram sententiam. Sic Tertullianus exorditur Caput 7. hujus libri: *hucusque Christe Domine de pœnitentiæ disciplina servis tuis discere, vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus, vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget secundæ, imò jam ultimæ spei subtexere mentionem, ne tractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur*. Quid clarius ad propositum nostrum afferri potest hoc ipso Tertulliani testimonio? verum quidem est quod Cathecumeni omnia peccata vitæ prioris, sive carnalia, sive spiritualia, sive facto, sive sola voluntate commissa palam detestabantur, ut ad eorum per Baptismum aspersionem, piis se operibus disponerent, tamen pœnitentia hæc alterius generis, & speciei erat ab illa, de qua postea Tertullianus agit in cap. 8. 9. & 10. libri de Pœnitentia. Illa tantum virtus erat, Præpostera virtus erat ad Sacramentum: quod eo tutius asserimus, quo certi sumus Tertullianum in loco ab adversariis citato agere de Pœnitentia, quæ a Deo præcipitur, ut perspicuum est ex verbis, quæ in eodem capite 4. leguntur statim post verba ab adversariis citata. *Deus autem non præcipit publicam pœnitentiam, sed pœnitentiam secundum se, & absolute, Ecclesia postea pro aliquibus peccatis pa-*

publicam decrevit, pro reliquis solam privatam injunxit. Nec etiam quidquam probant, qui Cypriani auctoritatem ex ejus Epistola 10. deprompta obiiciunt, ubi pro *minoribus peccatis agere peccatores pœnitentiam*, ait, *justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesim venire, & per manus impositionem Episcopi, & Cleri jus communicationis accipere*, facile enim est intelligere hæc minora peccata, quorum S. Cyprianus meminit, illa esse, quæ respectu aliorum, quæ graviora vocat, ut sunt Idololatria, & Libellaticorum crimen, esse minus gravia fatetur, ut deinde inferat, quod si pro illis publica agitur Pœnitentia, multo magis hæc est subeunda pro reliquis.

XIII. Oppositæ opinioni maximum robur suppeditat Augustini testimonium, qui Sanctus Doctor non nisi in humilitate majoris Pœnitentiæ illa peccata remitti ait, quæ Baptismate, & oratione non curantur, & hujusmodi sunt, ut cuilibet patet, peccata singula actualia mortalia, quæ sunt commissa post Baptismum. Primum testimonium legitur in capite 7. & 8. libri de Symbolo ad Catechumenos. Secundum habetur in libro 50. Homiliarum homil. 27. Tertium profertur ex eodem libro in homil. quinquagesima capite 2. 3. & 4. Nihilominus tamen sententiam, cui assensi sumus non deserimus, quia licet Augustinus his tantum tribus modis dimitti peccata asserat in locis laudatis, quartum non excludit in libro supra citato de Fide, & Operibus, ex cujus capite 26. documentum hausimus, ut nostram tueremur opinionem. Ibi igitur asserit quædam esse peccata ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint, quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, alia item, sine quibus hæc vita non agitur, & quorum quotidianam medelam posuit Christus in oratione, quam docuit. Videtur itaque quod Augustinus his mendicamentis correptionum vult inesse hanc vim, quæ dimittat peccata mortalia, quæ non sunt Canonica, quæ non sunt excommunicatione plectenda, quæ publica Pœnitentia eluebantur. Nec aliud dicendum est potuisse Augustinum intelligere, quam correptionem illam, quæ a Sacerdote fit, qui minister est Sacramenti Pœnitentiæ, cum correptio fraterna, cujus præceptum fidelibus omnibus a Christo impositum est, non habeat hanc vim remittendi peccata; quod corroboratur ex eo, quod idem S. Doctor ad calcem citati libri de Symbolo ad Catechumenos scripsit. *Nolite illa committere, pro quibus necesse est ut a Christi Corpore separamini* (quod iis accidebat, qui Flentium Stadium percurrebant) unde sequitur: *quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere Pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania, inde agunt Pœnitentiam*, hac restrictione non opus fuisset Augustino, si de lethalibus omnibus omninò peccatis sententiam suam aperuisset. Ideo vero in hoc primo loco ab Adversariis citato hoc quartum remedium siluit S. Doctor, quia ad Catechumenos loquebatur, quibus non inserviebat; secundo quia satis erat, quod ipsi ea scirent, quæ pertinebant ad efficaciam Baptismi, quem suscepturi erant, ad vim Orationis, in qua instruebantur, & Ecclesiæ disciplinam erga illos Pœnitentes, cum quibus in Ecclesiis versabantur, ut audirent Scripturæ lectionem, & publicas tum Episcopi, tum Parochi conciones, quæ fieri consueverant, dum Missa Catechumenorum celebraretur, & cum quibus dimittebantur, ne celebrationi

in-

intereſſent Sacrorum Myſteriorum, nam privatam Pœnitentiam, & alia plurima illos ſcire non expediebat, & propterea in his non erudiebantur.

XIV. Neque efficaciter probat oppoſitam opinionem alterum Auguſtini teſtimonium depromptum ex homilia 27. Primo quia luctuoſam Pœnitentiam tribus tantummodo gravioribus peccatis imponit, Adulterio, Homicidio, Sacrilegio, ſic enim ait: *Illa vero Pœnitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt. Adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod Sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens Medicus*. Tria autem hæc non ſunt omnia peccata mortalia: ergo luctuoſa illa Pœnitentia lethalibus omnibus peccatis non imponebatur ex Sententia Auguſtini. Id poteſt ſecundo probari ex verbis Sancti Doctoris, quæ immediate ſequuntur: *Jam poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, conſenſionem, & perpetrationem, quaſi quatriduanus mortuus putet, ſed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamavit. Lazare prodi foras &c.* Luctuoſa igitur Pœnitentia imponebatur juxta S. Auguſtinum peccatis graviſſimis opere conſummatis, non illis, quæ interna tantum delectatione, & conſenſione aliquis commiſiſſet. Idem tertio convincitur ex eodem illo teſtimonio, quod tandem pro ſua Sententia protulerunt ii, qui a nobis diſſentiunt, cum in laudato loco Auguſtinus Antiſtitis relinquat arbitrio peccata quædam luctuoſæ illi Pœnitentiæ ſubmittere, & ſine illa, cetera per Eccleſiæ claves remittere. Hæc ſunt ejus verba ex citata homil. 50. *Si peccatum non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque expedire, utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam, non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem*. Nec quiſquam inferat ex hoc, quod Auguſtinus, hic affirmet per Eccleſiaſticam Diſciplinam a Sacramento cœleſtis panis illum ſeparari, qui crimina illa agit, de quibus ad Galatas dicit Apoſtolus, *qui talia agunt Regnum Dei non poſſidebunt*, hujuſmodi peccata fuiſſe per publicam Pœnitentiam mulctata, nam licet publicæ Pœnitentiæ effectus eſſet Peccatorem ab Euchariſtia ſeparare, non tamen e contrario ſeparatio ab Euchariſtia indicium erat publicæ Pœnitentiæ. A Communione Euchariſtica plurimi ſæpe abſtinebant, non per Antiſtitum Sententiam, ſed ſponte, quia ſe indignos judicabant participatione Corporis, & Sanguinis Domini, vel ut conſiliis Sacerdotis parerent, apud quem peccata depoſuerant, quod infrequens non eſt, etiam in hodierna Eccleſiæ diſciplina.

XV. Non unum tamen eſt Auguſtini Teſtimonium, quo utuntur Adverſarii contra noſtram Sententiam. Confidunt quoque plurimum in auctoritate S. Eligii Novionenſis Epiſcopi, & S. Cæſarii Arelatenſis, qui Sancti Patres peccata omnia dividentes in Capitalia, & Minuta, illa inquiunt Pœnitentiæ publicæ obnoxia fuiſſe. Eligii teſtimonium legitur in ſua homilia 7. & 13. illud Cæſarii in ſua homil. 1. & 8. Addunt inſuper Fulberti Carnotenſis Epiſcopi ex ejus Sermone 2. ad Populum teſtimonium, & addunt ea, quæ ſcribit Gennadius in libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 53. ubi ait: *quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica Pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere*. Verum neque ex his Patrum Sententiis adverſariorum cauſſa fit melior, quidquid enim legatur in homil. 7. 11. & 13 S. Eligii hæc unum ſolum evin-

cit

cit illum non asseruisse omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ subdita fuisse, sed ex illis sola graviora crimina; quod autem apud Sanctos Patres crimina, seu facinora, & peccata distinguantur, auctor est Augustinus in Enchiridio cap. 65. cum dicit: *Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum*, qui etiam advertit in Tract. 41. in Jo. Apostolum Paulum quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos non dixisse: *si quis sine peccato est*, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed dixisse: *si quis sine crimine est*, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, Sacrilegium, & cetera hujusmodi. Super quæ Apostoli verba etiam Præceptor Angelicus in lectione 2. sui Commentarii scripsit: *quod aliud est crimen, & aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, & infame*. Quod vero S. Eligius ipse quoque id intellexerit, ex ejus homil. 13. eruitur, & præcipue ex illis verbis, quibus postquam publicos Pœnitentes est allocutus, ad ceteros fidelium suum sermonem convertit. *Vos etiam fratres* (sic ille) *post exhortationem, quam habuimus ad Pœnitentes mecum admoneo, ut unusquisque nostrum recurrat ad conscientiæ suæ secreta, & interroget semetipsum qualiter per totum annum, maxime his sacris diebus conversatus est. Et si invenerit in corde suo spinas, & tribulos delictorum, studeat auxiliante Deo quantocyus evellere, & evellendo eradicare, hisque eradicatis, fodiat vomere salutari, ac stercora, idest bona opera immittat, ut possit facere fructum, & si vel hodie pariter Confessus, ac devote conversus fuerit, ut valeat dignus interesse solemnitati præsentis diei, quæ quia Dominus in ea cum Apostolis suis cœnavit, Cœna vocatur, videat summopere, ut Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini digne recipere queat, quatenus potius salutem, quam damnationem sibi acquirat. Lavet prius lachrymis pedes cordis, & postea pedes pauperis, quia peccatorum vita jam indigna esse non potest, quæ fletibus lavatur*. Hactenus Sanctus Eligius, qui cum fere similia repetat in 7. homilia, & in 11. argumento hæc sunt, ut cuilibet citata verba perpendenti patere potest, de Pœnitentia privata ibi eum loqui, qua descripta peccata poterant fideles expiare, & Sacramentali Confessione diluere.

Facit hæc responsio etiam satis auctoritati S. Cæsarii ex homilia 1. petita, ubi secreta satisfactione expiari non posse dicit, si quisque conscientiam suam interrogans, facinus aliquod capitale commisit, quia inquit: *graves caussæ, graviores, & acriores publicas caussas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat*. Ceterum ab hac publica Pœnitentia illum eximit, qui vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, aut oculo peccavit, aut corde, & hæc peccata (quorum plurima constat esse mortalia) inquit, *quod privata compunctione terrenda sunt*. Insuper ubi in homilia 8. proponit remedia quibus peccata, tum venialia, tum mortalia expiantur, attingit quidem publicæ Pœnitentiæ remedium pro lethalibus, sed ad modum consilii, non vero præcepti, ut clare probant hæc verba, quibus suam Sententiam concludit: *ultra nos ipsos a Communione Ecclesiæ removentes in luctu, & tristitia multo tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publice agentes*; Ideo vero dixit procrastinandam esse nostram tristitiam, nostrumque luctum, ne quis sibi persuaderet ad peccatorum mortalium veniam impetrandam, sufficere quamcumque ta-

satisfactionem , quod non solus docuit , sed ii omnes docuerunt , qui tantam Deo esse exhibendam satisfactionem dixerunt , quanta multitudini , & gravitati peccatorum responderet , juxta ea quæ diximus agentes de hac ipsa Satisfactione in superiori Capite VI. §. III.

Non minus inefficax est argumentum , quod quidam repetunt ex S. Fulberti auctoritate illa , in qua inquit : *propter homicidia , adulteria , fornicationes , sacrilegia , rapinas , falsa testimonia , superbiam , invidiam , avaritiam , diuturnam iracundiam , ebrietatem assiduam peccatores ab Ecclesia separari* . Quis enim nesciat S. Fulbertum in laudato loco de illa separatione loqui quæ interna est , per quam qui Christi Spiritu non sunt , Christo capiti Ecclesiæ non conjunguntur ? Hoc idem ante ipsum Augustinus docuerat in lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 41. *Nec ita sunt in Domo Dei , ut etiam sint ipsi eadem Domus Dei , sed ita sunt in domo , ut non pertineant ad compagem Domus , nec ad societatem fructiferam , pacificæque justitiæ , carnaliter , & animaliter vivunt , sed spiritaliter separati sunt* . Quod S. Fulbertus ita senserit constat ex ejus Breviculo duplici Pœnitentiarum , in quo plura quidem recenset crimina publica Pœnitentia luenda , sed inter hæc non recenset superbiam , invidiam , avaritiam , iracundiam , & ebrietatem .

Demum ad Gennadii testimonium nulla opportunior afferri potest responsio , illa quam ipse Gennadius subjicit , postquam enim illos , quos mortalia crimina post Baptismum commissa præmerent , hortatus esset prius publicæ Pœnitentiæ satisfacere , & ita Sacerdotis judicio reconciliatos , Communioni sociari , hæc addit . *Sed , & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus , sed mutato prius sæculari habitu , & confesso Religionis studio per vitæ correctionem , & jugi , imò perpetuo luctu , miserante Deo , ita dumtaxat , ut contraria pro iis , quæ pœnitet agat , & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex , submissus , ad mortem usque percipiat* .

XVI. Quæ hactenus tradidimus de gravissimis criminibus publicæ Pœnitentiæ subjectis primis Ecclesiæ sæculis , nunc extendimus ad ejusdem generis , & speciei peccata , etiamsi essent occulta , quæ ex pluribus documentis constat subdita fuisse ejusdem publicæ Pœnitentiæ legibus . Adulterio pollutas mulieres prohibuisse Patres publicari , Basilii auctoritas superius citata satis demonstravit . Primus item Innocentius Victricio Episcopo Rothomagensi rescribens in cap. 12. secundæ Epistolæ decrevit illas , quæ Christo spiritaliter nupserunt , & velari a Sacerdote meruerunt , si postea , vel publice nupsissent , vel se clanculo corrupissent , non esse admittendas ad agendam Pœnitentiam , nisi is , cui se junxissent de sæculo recessisset . His casibus exclusis , pro reliquis stat Ambrosii , Augustini , & Sancti Leonis auctoritas . Ambrosius pro criminibus occultis publicam Pœnitentiam agendam esse scripsit in lib. 1. de Pœnitentia cap. 16. Augustinus hoc idem scripsit in homil. 50. Libri quinquaginta Homiliarum , & S. Leo hoc docuit in cap. ultimo suæ Epistolæ 92. ad Rusticum Narbonensem , neque decrevit oppositum in 80. Epistola ad Campaniæ Episcopos , quamquam in illa irreprobaverit , & abrogaverit occultorum peccatorum publicam Confessionem . Ejusdem Ecclesiasticæ Disciplinæ ritum tenuerunt Toletani x. Concilii Patres erga Potamium Bracarensem Episcopum , quem occultissimæ fornicationis reum per Epistolam Patribus ipsis Confessum , Episcopatu abdicarunt , & perpetuæ Pœnitentiæ officiis , & laboribus addixerunt . Eidemque usui inhærens , S. Remigius Remen-

mensis Archiepiscopus Genebladum Laudonensium Episcopum humillime confessum se filium, & filiam sui Episcopatus tempore suscepisse ex ejusdem Remigii Nepte, quæ ante Episcopatum illi legitima mulier extiterat facta mansiuncula, ut Hincmarus scribit in vita Sancti Antistitis, cum lecto in modum sepulchri, & parvissimis fenestellis, ac Oratoria, in ea Pœnitentiæ caussa reclusit usque ad septennium, donec ab Angelo liberaretur.

XVII. Exinde tamen nulla ipsis pœnitentibus irrogabatur infamia, imò potius accedebat honos, siquidem eorum peccata non vulgabantur a Sacerdotibus, sed peccatorum dumtaxat emendatio ad notitiam perducebatur. Deo autem palam satisfacere, & Fideles ædificare, quis turpe esse dixerit? Neque ulla erat in hoc sigilli fractio. Primo quidem quia multi vitæ integræ, & scelere puri Pœnitentiam publicam amplectebantur, & propterea caussa certa hujus publicæ Pœnitentiæ ignorabatur. Secundo vero quia ipsis Pœnitentibus consentientibus, ac volentibus id notum fiebat, & quamquam post acceptam pœnam, illam tenerentur subire, non cogebantur tamen, nec a Communione arcebantur, si interesse voluissent. Non ultra Sæculum VIII. progressus est hic ritus pro peccatis occultis publicam Pœnitentiam imponendi, ut constat ex cap. 1. libelli de remediis peccatorum, quem scripsit Beda VII. Sæculi Auctor. Idem constat ex lib. 5. Capitularium cap. 52. & ex Concilio Liptinensi anni 743. & ex VI. Arelatensi A. 813. can. 26. & ex can. 15. Concilii Cabilonensis ejusdem anni. His accedit Concilium Moguntinum A. 847. in cujus can. 31. dicitur *Discretio servanda est inter Pœnitentes, qui publice, & qui absconse pœnitere debent. Nam qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur Pœnitentia.* Etiam Isaccus Lingonien. Episcopus in sua Collectione titulo 3. cap. 9. & titulo 6. cap. 2. idem confirmat, nec recedit Burchardus Wormatiensis Episcopus in cap. 36. libri 19. suæ Collectionis, ubi ait: *Si quis incestum occulte commiserit, & Sacerdoti occulte Confessionem egerit, indicetur ei remedium Canonicum, quod subire debuisset si ejus facinus publicatum fuisset. Verum quia latet commissum, detur ei a Sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ pro occulta sua Pœnitentia proficiat.* In Oriente perdurasse hunc morem usque ad Nectarium quidam scripserunt, quod a quibusdam non admittitur, qui contrarium probant cum auctoritate can. 87. Trullani Concilii de Adulteris, quibus indicitur, *ut annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant*; & præterea addunt testimonium Joan. Abbatis Rehitu, qui in Scholiis ad Scalam S. Joannis Climaci Auctoris Sæculi VII. Pœnitentium classes, & gradus ennumerat: cum vero Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus Origine Græcus, utpotequi Tharsis natus urbe Ciliciæ, ritum eumdem, qui multo ante ejus ætatem invaluerat in suo Pœnitentiali descripserit, & juxta peccatorum conditionem, publicam, & occultam Pœnitentiam imponat, & ab hoc tempore, ab anno scilicet 690. altum sit apud Auctores reliquos silentium, colligitur Pœnitentium gradus in Orientali Ecclesia obsoletos fuisse ab hoc tempore, aut saltem paucissimis in locis usum, & rigorem obtinuisse.

XVIII. Publicæ etiam Pœnitentiæ disciplina, si non omnem prorsus, maximam saltem jacturam passa est Sæculo IX. in Occidentali Ecclesia. Singulare est quod hac in re scripsit Jonas Aurelianensis Episcopus in cap. 10. libri 1. de Institutione laicali. *Perrari sunt*, inquit, *hodie in Ecclesia, qui talem agant Pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum Pœnitentium exempla, & Au-*

& Auctoritas canonica sancit. Quis namque criminis reus, qui utique Pœnitentia publica debuit multari, cingulum militiæ deponit, & a liminibus Ecclesiæ, cœtuque fidelium arcetur, & a Christi Corpore separatur? Quis porro in cinere, & cilicio more Pœnitentium antiquorum lamenta pœnitudinis suscipit? & post pauca subdit: *unde colligitur, quia religionis nostræ priscis temporibus dum quis secundum constitutum sibi a Sacerdote usque ad satisfactionem cilicio indutus, & cinere conspersus, habitu incultus, humique prostratus, lachrymisque profusus videbatur, statim pœnitens agnoscebatur, ut ei a Domino ignosceretur ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Christiano idcirco vix pœnitens agnoscitur, quia pene nihil horum erga pœnitentes agitur. Quapropter credibile est, ut sicut alia multa in Religione Christiana viluerunt, ita quoque præmissus Pœnitentiæ modus ab usu, quod formidolosum est, recesserit. Et idcirco a multis diversa flagitia perpetrantur andacter. Verum etiamsi quisquam nostri temporis Christianus hodie, aut homicidium, aut aliquid aliud admiserit, quia hujusmodi Pœnitentia non plectitur, ideo cras conventui fidelium irreverenter se adjungere non veretur. Hujus in exemplum narrat Surius in Actis S. Nili die 26. Septembris cap. 15. quod Sæculo X. contigit, cum Aloara Pandulphi Capuani Principis conjux pro perpetrato homicidio psalterium ter in hebdomada legendum in Pœnitentiam obtinuit, & eleemosinas egentibus erogandas.* Pœnitentium itaque stationes integræ permanserunt usque ad Sæculum IX. ut Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitularia testantur in cap. 136. libri 5. Tertia exolevit circiter medium Sæculum IX. cum post hæc tempora de illa sileant omnino tum Pontificum Epistolæ, tum Conciliorum Decreta. Prope finem ejusdem Sæculi cœpit etiam quarta relaxari, eo quòd solemnibus saltem diebus permitteretur Communio Eucharistica. Sed licet stationes desierint, publica tamen Pœnitentia pro publicis peccatis imponenda non desiit, quæ quolibet Ecclesiæ Sæculo semper injuncta fuit, & injungitur adhuc, nisi per Episcopum in hac fuerit dispensatum, aut dispensare expediens judicaverit. Et ut præteream Coloniensis, & Augustensis Concilii canones editi A. 1536. & A. 1548. satis est Tridentini Concilii Decretum legere, quod in cap. 8. Sess. XXIV. de Reformatione sic loquitur: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Ubicumque Concilium Tridentinum specialiter promulgatum fuit, videlicet in tota Italia, Hispania, Belgio, variisque aliis Orbis Christiani regionibus hæc praxis remansit in posterum, quæ tractu temporis, aliorum Provincialium Conciliorum Decretis, identidem restaurata est; quod contigit etiam aliis in locis, præsertim in Lusitania, per Concilium Barcinonense A. 1556. in Belgio per Concilium Mechliniense A. 1570. in Gallia non solum per plura Concilia variis in locis celebrata, Melodunense scilicet A. 1579 Burdigalense, & Remense A. 1583. Byturicense A. 1584. & Aquense 1585. sed per ipsum etiam Tridentinum Concilium, cujus citatum Decretum ad instantiam Episcoporum Galliarum, & ipsius Regis Caroli IX. editum fuit; imò & Oratorum ejus, qui in Generali Sess. ita PP. sunt allocuti totius

Regni

Regni nomine. *Quoniam ſæpe ob unius enorme delictum affligitur univerſus populus, quem de proximi peccatis ſollicitum, & anxium eſſe oportet, reſtituantur Eccleſiæ Catholicæ non ſolum antiqua illa propter graves, & publicas offenſas Pœnitentia publica, ſed etiam ad iram Dei placanda jejunia, & luctus publici*: Eamdem conteſtationem tum ſuo, omniumque Gallicanorum Præſulum nomine præſtiterat quoque Lotharingius Cardinalis.

§. III. *Tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis Laici omnes, & quilibet Clericorum gradus publica Pœnitentia caſtigabatur: Deinde vero Laici, ac ſolum Clerici minores.*

XIX. Hujus praxis in Oriente teſtes ſunt Apoſtolici Canones, & inter cæteros 15. 30. & 62. *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt deponatur, non tamen communione privetur; dicit enim Scriptura: non vindicabit Dominus bis in idipſum. Si quis Epiſcopus ſæcularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur, & omnes qui illi communicant. Si quis Clericus propter metum humanum & negaverit, ſi quidem nomen Chriſti ejiciatur, ſi autem nomen Clerici deponatur. Cum autem poenitentiam egerit, ut Laicus recipiatur.* Ejuſdem diſciplinæ in Occidentali Eccleſia uſum Eliberitani Concilii Canon 76. aperte demonſtrat. *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima poenitentia poſt triennium accipere communionem, quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta Poenitentia, accipere Communionem Laicam debere.* Idem ſtatuerunt Neocœſarieenſis Concilii PP. in 1. can. quo decreverunt, *quod Presbyter, ſi uxorem duxerit ordine ſuo moveatur: ſi autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit poenitus extrudatur, & ad poenitentiam deducatur.* Invaluiſſe etiam in Africa hanc diſciplinam S. Cyprianus in Epiſt. 68. ad Clerum, & Plebes in Hiſpania conſiſtentes ſcribit, referens Baſilidem nefandis criminibus pollutum, & in infirmitate decumbentem Epiſcopatu pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte depoſito, ad agendam pœnitentiam eſſe converſum, Deum deprecatum, & ſatis gratulatum fuiſſe ſi ſibi. vel Laico communicari contingeret: & in epiſt. 59. ad Fidum conqueritur, quod Thærapio Epiſcopus Victorem quemdam Presbyterum, antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat ſatisfeciſſet, immaturo tempore, & præpropera feſtinatione pace donaverit. *Quæ res*, inquit, *nos ſatis movit receſſum eſſe a Decreti noſtri auctoritate, ne ante legittimum, & plenum, tempus ſatisfactionis, & ſine petita conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur*, Nec aliud eruitur ex ejuſdem Epiſt. 52. ad Antonianum, in qua Trophimi reditum ad Eccleſiam & Pœnitentiam narrat, quod cum etiam ſcripſerit S. Papa Cornelius ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. cap. 43. narrans quommodo unus ex Epiſcopis, qui crapula oppreſſi Novatianum ordinaverant, poſt ſui criminis confeſſionem, poſt multas lachrymas, & impetratam pro ipſo a Populo veniam, ad Communionem Laicam fuerit ſuſceptus, evidentiſſimum eſt primis tribus Eccleſiæ ſæculis, lapſos omnes, tam Clericos majores, quam Laicos pœnitentiæ publicæ addictos æque fuiſſe ex Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis Diſciplina.

XX. Quod

XX. Quod vero tertium Sæculum hæc disciplina prætergressa non sit, inferimus, ex Epist. 48. S. Hieronymi ad Sabinianum Diaconum data, quem plurium Virginum corruptorem hortatur, ut Pœnitentiam agat, ut in cilicio, & cinere se volutet, ut solitudinem petat, ut vivat in Monasterio, ut Dei misericordiam jugibus lachrymis imploret: tum ex Augustini auctoritate in lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. tum ex can. 2. quinti Concilii Carthaginensis A. 398. & ex Epist. 92. S. Leonis ad Rusticum, in cujus cap. 2. sic inquit: *Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod sine dubio ex Aposto. . Traditione descendit, secundum quod scriptum est. Sacerdos si peccaveri. . is orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

XXI. Licet tamen post prima tria Ecclesiæ sæcula majores Clerici publicæ pœnitentiæ obnoxii non essent, nihil tamen prohibebat, quod illis imponeretur, si eam pietatis, & humilitatis animo postulassent, ut decreverunt primi Arausicani Concilii Patres in can. 4. his verbis: *Poenitentiam desiderantibus Clericis non negandam*, & rursus Aurelianenses Patres in 1. Concilio A. 511. & Patres Toletani XIII. canone 10. Hoc unum notare oportet, quod ubi majores Clerici publicæ Pœnitentiæ stadium percurrissent ritus impositionis manuum super Pœnitentes frequentari, & celebrari solitus in gradu substrationis erga illos nunquam usurpatus est, quod superiora verba ex S. Leone relata intendunt, & variis in locis recensuit Optatus Milevitanus scilicet l. 1. contra Donatistas ubi scribit S. Melchiadem de consensu octodecim Episcoporum proscripsisse Donatum, quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. Eadem scribit ad finem libri 2. Ut vero æquivocatio omnis tollatur, tum ex verbis citatis S. Leonis, tum ex aliis, quæ proferri possent ex lib. 2. Optati contra usum publicæ Pœnitentiæ pro majoribus Clericis.

XXII. Notandum est S. Leonem noluisse asserere nusquam Ecclesiam ex Traditione Apostolica addixisse majores Clericos publicæ Pœnitentiæ, quod aliquis crediderat, sed vel solum indicavit S. Leo ab Apostolis esse derivatum, ut Clericis majoribus lapsis manus non imponerentur, ut non imponebantur aliis, qui privatam agerent pœnitentiam; vel Traditionem Apostolicam in medium attulit tamquam centenariam consuetudinem, quæ in Ecclesia Romana vigebat juxta Hieronymi dictum in Epist. 28. ad Licinium. *Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta Majorum, leges Apostolicas arbitretur*. Neque auctoritas, quam retulit ex 1. Regum. 2. *Sacerdos si, peccaverit, quis orabit pro eo?* Quidquam infert contra usum Publicæ Pœnitentiæ Majoribus Clericis olim impositæ, sed explicatam traditionem confirmat, dicente Augustino lib. 3. contra Donatistas c. 19. *Quid est aliud impositio manuum, quam Oratio super hominem Exorcismis, & expiatoriis precibus plena, & propterea Spiritui S. in Sacerdotibus residenti maxime injuriosa?* Merito igitur Carthaginenses Patres in quinta Synodo prædicti A. 398. hunc secundum Canonem ediderunt: *si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus, tamquam Pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur.*

XXIII

XXIII. Notandum est etiam Optatum Milevitanum, dum in citato libro 2. exprobrabat Donatistis, quod Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Pœnitentiæ publicæ subjecissent, reprehendisse quod absque caussa, & absque crimine id fecissent, & occasione boni operis, quia nimirum ad Catholicam unitatem reversi erant. Colligitur hoc ex circumstantiis, quæ in auctoritate Optati leguntur. Coarguit Optatus Donatistas, quod exautoraverint Sacerdotes. Illum profecto latere non poterat pœnam hanc a Sacris Canonibus Clericis majoribus gravissimorum criminum reis impositam fuisse. Dolebat, quod cum essent quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum Diaconorum, & Fidelium, nec uni parcere voluissent: quis autem inde colliget fidelem populum juxta Ecclesiasticas leges tunc non fuisse Pœnitentiæ laboribus obnoxium? Patet igitur non fuisse Optati mentem reprehendere Donatistarum factum, quia Ecclesiasticæ disciplinæ esset contrarium, sed quia fuerat intempestivum, cum nulla culpa illud præcessisset, & Sacerdotum unctioni maxime contrarium; & revera ait: *quid iniquius, quam exorcizare Spirit. Sanctum? Docete ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum* (putabant enim ita potuisse Sacram, si fas esset abolere unctionem) *cum e contrario sint tot exempla proposita fieri non debere*; Ceterum idem Optatus eumdem morem supposuit, cum in libro 1. de Donatistarum schismate, narrat, quod consentiente Cæciliano, ut ejus Ordinatio reiteraretur, Purpurius solita malitia fretus exclamavit. *Exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de Pœnitentia*, injungatur scilicet illi publica Pœnitentia, sicque alteri Ordinationi ineptus fiat.

Unica superest explicanda Felicis III. sententia, qua videtur decernere, nequidem Laica Communione, nisi in ultimo vitæ discrimine, donari debere Episcopos illos, & Presbyteros, qui consensissent in reiteratione sui Batismi, & convenire eosdem in Pœnitentia jacere usque ad exitus sui diem. *Quid quæso*, inquiunt nonnulli, *Felix III. his verbis decrevit, nisi quod tam sua ætate, scilicet supra* III. *Sæculum, imò supra* IV. *& prope exitum* V. (*nam objit hic Pontifex* A. 492.) *Publica Pœnitentia majores Clerici essent corrigendi, si illorum crimen hoc postulasset?*

XXIV. Verum aliud statuit Felix III. in sua 7. Epistola ab eo quod aliqui crediderunt, nam Pœnitentiam indixit quidem his Majoribus Clericis, sed non illam, quam essent acturi in facie Ecclesiæ, sed peragendam ab illis sub oculis probatissimi Sacerdotis, videlicet occultam. Hæc ejus verba sunt ex citata Epistola transcripta, in qua diversos Pœnitentiæ Luctuosæ gradus pro diversis Personarum statibus describens, ita exorditur. *Ut ergo ab Ecclesiæ summatibus incohamus, eos, quos Episcopos Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos lavacri illius unici, salutarisque claruerit fecisse jacturam, & Christum, quem non solum Dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris induerant, exuisse, cum constet neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palam Christianum negaverit, & professus fuerit se esse Paganum. Quod cum generaliter sit in omnibus execrandum, multo magis in Episcopis, Presbyteris, Diaconibus auditu saltem, dictuque probatur horrendum. Sed quia idem Dominus, atque Salvator clementissimus est, & neminem vult perire, usque ad exitus sui diem, in Pœnitentia (si resipiscunt) jacere conveniet; nec Orationi non modo Fidelium, sed ne Catechumenorum modis omnibus interesse,*

quibus

quibus communio laica tantum in morte reddenda est. Quam rem diligentius explorare, vel facere probatissimi Sacerdotis cura debebit. Constat igitur quod erat probandum.

XXV. Reliquum est, ut postrema Propositionis principalis pars demonstretur, quo nihil facilius, cum clarissima sint tum ejusdem Felicis III. verba, quæ superioribus jam recensitis subjiciuntur, tum illa S. Isidori in l. 2. de Eccles. Offic. cap. 16. *De Clericis autem*, sic loquitur Felix III. *& Monachis, aut Puellis Dei, aut Sæcularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui lapsi sunt, vel fuerunt, servandum esse constituit, ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se ut rebaptizentur, Hæreticis impie dediderunt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes fiut, septem autem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum, duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur*. S. vero Isidorus ita scribit *bonorum dumtaxat dignitate servata, ita ut a Sacerdotibus, & Levitis, Deo tantum teste fiat; a cæteris vero adstante coram Deo solemniter Sacerdote*. Dubium ergo non est pertinuisse ad Ecclesiæ disciplinam quod nullum esset discrimen in pœnitentiæ laboribus subeundis vel a Laico, vel a Clerico ex minoribus. Conditionis disparitas aliquando operabatur quod puniretur crimen in Clerico pœna depositionis, illud idem quod multabatur in Laico publica pœnitentia, & raro accidebat quod Clericus tum depositione, tum segregatione damnaretur, quod enim prohibuit canon 25. ex Apostolicis pro majoribus Clericis, vetuit pro minoribus 26. *similiter, & reliqui Clerici huic conditioni subjaceant*. Illud etiam circa hos singulare decrevit Papa Siricius in sua epist. 1. cap. 14. quod Laici, qui publica Pœnitentia propter crimina perfuncti sunt ad honorem gradus non possint ascendere, sic enim ait: *Sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci: quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum*.

XXVI. Crimina, & criminosos homines publica pœnitentia multatos superiora, quæ huc usque diximus exhibuerunt. Unum omissum est delicti, & delinquentium genus, cujus sæpe meminit S. Cyprianus, quod pariter ejusdem Pœnitentiæ legibus erat obnoxium, ut pauca de illo nunc adderemus. Libellaticorum hoc crimen erat. Libellatici vero vocabantur, quia cum Idolis sacrificare cogerentur, & muneribus, & pecunia Ethnicos Magistratus corrupisent, & ita tum vitæ, tum exterioris idololatriæ, & infamiæ suæ periculum redemissent, libellum obtinebant, quo se se suosque a Persecutorum audacia, & militum furore tuerentur. Hujus sceleris enormitatem ellevat Tertullianus in libro de Fuga in Persecutione cap. 12. & 13. illudque insectatur quod nullum habeat in Scriptura exemplum, imò potius contrarium ab ipsa doceatur. *Apostoli tractantes*, inquit, *persecutionibus agitati, quando se pecunia liberaverunt? Quæ illis utique non deerat ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis, certe multis locupletibus credentibus viris, ac fœminis, quæ his etiam refrigeria subministrabant. Quando Onosiphorus, aut Stephanus hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem, tum*

Felix Præses pecunias accepturum se pro eo a Discipulis sperasset, de quo & ipse in secreto tractavit cum ipso: neque ipse pro se, neque Discipuli cum eo numeraverunt. Illi utique Discipuli, qui flentes quod Jerosolymam tendere perseveraret, & persecutiones prædicatas illic non præcaveret, postremo inquiunt fiat voluntas Dei. Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini non ut redimeretur. Et cum infra addidisset: *Quomodo & martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo licentiam Sectæ compensaremus?* concludit: *itaque qui eam præmio paciscitur dispositioni Divinæ adversatur*. Adeo gravissimum scelus hoc agnovit etiam Cyprianus, ut post idololatriam primum dicat & maximum ceterorum, & propterea gravissimæ illud Pœnitentiæ addicit, exposcitque a Confessoribus, & Martyribus ut pro ipsis non intercedant, ne ab hac severiori, & duriori pœna ab Episcopis absolvantur. Harum litterarum exemplum citat Cyprianus in Epistola 15. quam scripsit ad Episcopos, & Diaconos Urbis Romæ. Neque Eliberitani Patres prætcrierunt in hos deliquentes animadvertere, nam canone 3. dixerunt: *Flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se funestis abstinuerint Sacrificiis. placuit in fine præstari eis communionem, facta tamen legitima Pœnitentia*.

XXVII. Sed videntur aliqui huic Disciplinæ contradicere nixi testimonio S. Petri Alexandrini, qui canone 12. decernit. *Iis qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non posse. Damnum enim*, inquit, *& jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimentu afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alii propter turpe lucrum non fecerunt*. Verum Libellatici, de quibus loquitur S. Petrus, alii sunt a Libellaticis, quos vetus Ecclesia, publica, & quidem secretissima pœnitentia cohercuit. Ii, de quibus loquitur S. Petrus, Christi fidem palam confessi pecunias dabant ne ad aras traherentur, & propterea nullum illis crimen intendi potuit. Libellatici vero de quibus loquitur Cyprianus se Christianos non esse coram judicibus contestati erant, & pecunia numerata libellos obtinuerant, ne ulterius propter hoc inquirerentur quod essent Christiani cum jam Principum Edictis de Idolorum cultu paruissent, & de his ita scribit in suo libro de Lapsis. *Nec sibi quominus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverant, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat abnegantis, fecisse se dixit quicquid alius faciendo commisit. Cumque scriptum sit: non potestis duobus Dominis servire, servivit sæculari Domino, obtemperavit ejus dicto magis obaudivit humano imperio, quam Deo*. Nec aliud tradidit Romanus Clerus de hac re ad S. Cyprianum scribens, qui etiam suam sententiam dilucida expositione protulit adversus illos, qui Acta fecissent, licet præsentes cum fierent non adfuissent, cum præsentiam suam utique ut sic scriberetur, mandando fecissent. *Non est enim*, inquit, *immunis a scelere, qui ut fieret imperavit, nec est alienus a crimine, cujus consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur, & cum totum fidei Sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit negavit, & qui vult videri propositis adversus Evangelium, vel Edictis, vel Legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit*. De alio etiam Libellaticorum genere agens Cyprianus in 52. Epistola ad Antonia-

nianum illorum scilicet, qui se Christianus esse confitebantur & cum viderent Judicum animos pecunia posse tentari, illa oblata, libellum securitatis obtinebant, ne facerent id quod illis non licuisset. Hujusmodi igitur Christianos Sanctus Cyprianus *libello fuisse maculatos* expresse tradidit, *neque hoc illos facere debuisse, & si eorum manus puræ essent, & ora eorum feralis cibi contagia nulla polluissent, conscientiam tamen eorum fuisse pollutam, oportuisse propterea & illos flere, & lamentari, & quod deliquissent admoneri, & non tam crimine quam errore fuisse deceptos*. Non solum in eadem Epistola advertit diversas Lapsorum caussas, sed illas inter se comparans, multo graviorem, & pejorem esse Mœchi quam hujus Libellatici caussam ait. *cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit. Hic existimans sibi satis esse quod non sacrificaverit, errore deceptus sit, ille Matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus, ad Cloacam, & cœnosam voraginem vulgi sanctificatum corpus, & Dei templum detestabili colluvione violaverit*. De aliis vero in Epistola 68. ad Clerum, & Plebes in Hispania eorum Actis publice habitis, inquit, *contestati sunt obtemperasse se Idololatriæ, & Christum negasse, unde gravissimum illorum crimen esse, & gravissima exomologesi corrigendum*. Neque obstat etiam exemplum, quod idem S. Petrus Alexandrinus ex Actibus Apostolorum repetit, eorum scilicet qui pro Paulo, & Sila Thessalonicæ ad Magistratus trahebantur, de quibus scribitur cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen multum onerassent, & multitudinem, Magistratumque perturbassent *ab Jasone*, inquit, *& reliquis satisfactione accepta dimiserunt eos*. Non obstat inquam exemplum hoc 1. quia Scriptura clare non dicit hanc pecuniarum enumerationem, sed satisfactionem, hoc autem nihil aliud est, quam quod Jason pro Paulo se Vadem constituit; aut certe ut habet Syrus: *acceperunt fidejussores a Jasone*, quem ut Scriptura dixerat versiculo 6. *volebant opprimere, quia apud illum Paulus divertebat*. 2. Quod si pro pecunia etiam hunc locum interpetrari voluerimus, ita ut revera Jason, & ceteri pecunia numerata se ipsos a Judæorum insidiis eriperent, hoc illis illicitum non fuit, nam ab illa redemptione abfuit quodcumque Fidei periculum, Religionis, Ecclesiæ, & Fratrum offendiculum, imò uberior ex illa, non solum in eos, qui pecuniam dederant sperabatur fructus, sed etiam in universam Ecclesiam redundaturus. Præter hos casus pecuniarum largitio illicita omnino est, & non sine gravissima culpa numeratur.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTALI ABSOLUTIONE.

PRæcipuam Sacramenti Pœnitentiæ vim in ejusdem Forma sitam esse, & in illius Ministri verbis: *Ego te absolvo* &c. positam esse Tridentini Patres dixerunt in cap. 3. sess. XIV. accomodatur enim significationi ejus, cum Sacramentum hoc efficiat id quod significat, remissionem scilicet Peccatorum. Quibus quidem verbis, cum de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter semper conjunctæ sint, quæ olim manibus super Pœnitentem

extensis proreferebantur; hinc fieri debuit, quod hæc forma a quibusdam impositio manuum appellata inveniatur. Morem hunc super Pœnitentes orandi demonstrat S. Leo in epist. 139. quam scribit ad Timotheum Episcopum Alexandrinum: *Eos qui veritati aliquatenus restiterunt reconciliandos Deo per preces Ecclesiæ instanter requiras*. Nec ab illo abstinuit S. Hilarius Arelatensis Episcopus, qui ut scribit Honoratus Massiliensis Episcopus in ejus vita: *accepta peccatorum confessione, & admonitione completa, cum lacbrymis supplicationum sumebat exordia, ut pœnitentiæ fructum, quem monendo contulerat, orando firmaret*. Eundem ritum S. Bonifacius Episcopus Moguntinus in suis Statutis observandum cap. 31. imperavit: & Guillelmus Parisiensis descripsit in cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ, & antiqui omnes utriusque Ecclesiæ Rituales eodem usi sunt in Pœnitentium reconciliatione. In aliquibus tamen eorum hoc singulare observari potuit, quod una cum Orationibus formulæ absolutionis indicativæ leguntur. Tales formas exhibet Pontificale Egiberti Heboracensis Episcopi, Anglicanum Monasterii Gemmaticensis, Gelonense, & Remense. Deprecatoriæ formulæ post medium Sæculum XIII. obsoleverunt, & forma absoluta adhiberi cœpit, cujus usus adeo progressus est, ut deinceps fuerit dubitatum de formulæ deprecatoriæ validitate. In Africa tamen S. Augustini ætate indicativa prohibebatur omnino: exeerabantur, sanctissimi illarum Ecclesiarum Episcopi quorumdam Ministrorum audaciam, qui nimium de se superbientes, se ipsos prædicabant, quasi ipsi peccata dimitterent, quos propterea Sanctus Doctor insectatur in libro quinquaginta Homiliarum, homil. 23. c. 7. Neque temporibus Magni Gregorii, & sequentibus eædem formæ Romæ audiebantur, aut alibi, ubi Sacramenta administrabantur secundum ritum præscriptum in Ordine Romano, in libro Alcuini de Divinis Officiis, in Pœnitentiali Halytgarii, & in Decreto Burchardi, & arduum est velle de hujusmodi Scriptorum intentione disputare, aut velle eamdem aliter interpretari, cum prudentes satis fuerint, & circumspecti in iis præscribendis regulis, quas scire tantum Sacerdotes oportebat, quorum instructioni inserviebant, & ad quorum usum tantum sua Opera exaraverant pro administratione non unius Sacramenti Pœnitentiæ, sed omnium, quorum tum partes essentiales indicaverant, tum debitas formas, ut valide, & licite ea administrarent. Ceterum quamquam in omnibus retro Sæculis infrequens esset in Ecclesiis Occidentalibus hic usus, solus postea provectus est, & D. Thomæ temporibus communis evasit, adeo ut in 2. capite sui Opusculi 22. scriberet; *absque his verbis: ego te absolvo &c. absolutionem non esse per solam deprecativam Orationem*: quod quam vere sit dictum nunc examinandum assumpsimus.

§. I. *Hæc forma absolvat te Deus in sensu deprecandi non est sufficiens ad Sacramentum in Ecclesia Latina constituendum.*

I. Veritatem hujus Propositionis ostendunt illa verba, quæ Tridentini Patres inserunt cap. 6. sess. XIV. ubi cum agere incipiunt de Sacramentali Absolutione ita loquuntur: *Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a Judice sententia pronuntiatur*. Habent ergo

hoc

hoc peculiare verba Absolutionis, ut Judicis sententiam contineant, & declarent. Porro præterquamquod illusoria esset illa sententia, quæ per modum deprecationis pronuntiaretur, Judicii etiam regulas perverteret, & Judicis majestati multum detraheret, qui auctoritate illa fultus, quam Christus Dominus in illum transtulit, ut ligaret quæ liganda essent, & ea solveret, quæ essent solvenda non indiget ut iterum eamdem auctoritatem, vel sibi precetur, vel alteri, cum sciat jam esse in Cœlo soluta ea, quæ ipse in terra solverit, & in Cœlis ea esse ligata, quæ super terram ligari oportere cognoverit. Qui aliud quamquod a nobis hic dicitur, se id posse tuto, infallibiliterque affirmare arbitrabitur, affirmabit ergo Pœnitentis peccata dimitti cum super ipsum hæc deprecatoria verba Sacerdos proferet *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & Misericors Dominus*. Quod si certum est, & ita credi debet, cum cetera verba deinde proferet: *Ego te absolvo a Peccatis tuis*, Pœnitentem jam fuisse absolutum declarabit, quod est incidere in Reformatorum errorem, quem Tridentinum Concilium damnat in canone 9. laudatæ Sess. XIV. Non valet igitur in Ecclesia Latina absolutio verbis deprecantibus prolata, quia multo distat a ratione Judicii, deinde aliena etiam est a verbis Christi, qui non dixit Apostolis: quibus postulaveritis remissionem peccatorum, impetrabitis, sed *quorum remiseritis remittuntur*: demum non significat id quod Minister facit contra naturam Sacramenti novæ legis, in quo Sacramento forma significare debet id quod Minister facit, quia Sacramenta efficiunt id, quod significant & significant id quod efficiunt: unde inquit, D. Thomas p. 3. q. 84. a. 3. ad 5. *Sicut Sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interius ablutum per verba & facta, & non solum significative, sed etiam effective; ita etiam cum dicit, ego te absolvo, ostendit hominem absolutum, non solum significative, sed etiam effective*. Neque hinc sequitur 1. quod sic loquendo Sacerdos, tanquam de re incerta loquatur, *quia* subdit D. Thomas, *sicut alia Sacramenta Novæ Legis habent de se certum effectum ex virtute Passionis Christi (licet possit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc Sacramento*; unde Augustinus dicit in lib. de Adulter. Coniugiis: *non est turpis, nec difficilis post patrata, & purgata adulteria reconciliatio Conjugii, ubi per claves Regni Cœiorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum: unde nec Sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata, quæ dicitur Petro facta fuisse Matth. 16. cui antequam diceretur: quodcumque solveris super terram &c. dictum est ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*.

II. Neque 2. sequitur, quod Sacerdos sic dicendo profiteatur se absolvere tamquam principalem Auctorem, cum nihil aliud intendat, quam se gerere ministeriale munus a Christo sibi demandatum, non divinam auctoritatem, nec potestatem excellentiæ; quare non intendit hoc facere ut principale agens, sed utitur hoc modo loquendi, quia vere Judex est, eo quia ejus sententia ex Christi institutione infallibilis est, & simul cum ipso, & per ipsum judicat, & hinc fit, quod ejus sententia firma omnino est, & irrevocabilis, & definitiva, quia vere est sententia Dei, ut Judicis principalis, ipsius vero Sacerdotis, ut Ministri.

III. Neq

III. Nec prodest Adversariis, quod forma Sacramenti Extremæ Unctionis deprecatoria sit, quia hoc pendet ex Christi institutione, cui propterea sic placuit instituere formam hujus Sacramenti, & pro alio Sacramento aliam instituere, & ita Christum fecisse, traditio Ecclesiæ in Scriptura fundata sufficienter probat. Quod vero talem formam non instituerit pro Sacramento Pœnitentiæ patet non solum ex natura utriusque Sacramenti, sed etiam ex fine institutionis eorumdem. In Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos se gerit ut Judex, in Sacramento extremæ Unctionis ut Medicus; per illud confertur id quod semper expedit conferri, peccatoris scilicet justificatio; per hoc petitur salus corporis, & propter hoc D. Thomas in laudato opusculo c. 1. dicit: *quia non semper expedit quod hæc conferatur, precatio adhibetur*. Propter hoc tamen non negamus utilitatem deprecationis cum Pœnitentiæ Sacramentum administratur. Sacerdotis supplicationem, & utilem, & opportunam dicimus, ut Sacerdos majori cum fructu, & Pœnitentis utilitate suum munus exerceat; per hanc enim, & mediator, & intercessor fit inter Deum, & homines, ut Scriptura loquitur, quapropter Ecclesia has Supplicationes, & Orationes præmittendas absolutioni præscribit, ut per illas Sacerdos a Deo obtineat id quod intendit; ex quo ritu postea factum est, quod quidam Ecclesiæ Patres hoc Sacerdotis ministerium interdum Orationis, & Deprecationis nomine appellarunt, sicuti alii appellarunt manuum impositionem ab hac cæremonia, quæ olim in usu erat cum hoc Sacramentum Pœnitentiæ administrabatur: sicuti ergo hæc de illius necessitate non erat, ita Tridentini Patres loco supra citato asseruerunt preces illas adjunctas formæ *Ego te absolvo* ad ipsius essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius Sacramenti administrationem esse necessarias. Caveat itaque Sacramenti Pœnitentiæ Minister ne forma deprecativa utatur, alioquin non conficiet Sacramentum; neque ad rem facit, quod antiquitus absolutio his verbis prolata valeret, non enim Ecclesia a suis Ministris, sed ab ipsa Ministri conditiones debent accipere, quas hæc præcipit observandas, ut licite, & valide Sacramenta administrentur. Etiam contractus Clandestinus olim erat idonea Sacramenti Matrimonii materia, qui postea factus est insufficiens sic definiente Ecclesia in Tridentino Concilio congregata. Quare igitur non potuit irritam decernere absolutionis formam verbis deprecantibus prolatam? In Sacramento Matrimonii Contractus conditiones Ecclesia decrevit, non validitatem Contractus quam Christus pro materia ejusdem Sacramenti instituerat; ita cum Christus actum judicialem juridice exercendum instituisset pro forma Sacramenti Pœnitentiæ, non vetuit, imò permisit quod hujus actus conditiones per Ecclesiam determinarentur: unde ille solus hanc formam valide proferet, qui illam exprimet verbis absolutis, & indicativis post impetratam ab Episcopo potestatem, vel Ordinariam, vel Delegatam, ut suo loco dictum est. Neque aliud sensit Eugenius IV. in suo Decreto Unionis, Concilium item Moguntinum in cap. 4. Leo X. in condemnatione articuli 11. & 12. Lutheri, & est communis in Schola Theologorum.

IV. Sed quid inquies dicendum erit de forma qua vix alia quam deprecativa hactenus Græci usi sunt, & adhuc utuntur, ut consulenti eorum antiquissimos Rituales patebit, in quibus meræ Orationes leguntur? Solas has Orationes exhibet Euchologium Cryptæ Ferratæ, cujus scriptio annos plusquam

quam sexcentos excedit, neque alias exhibet Barberinum illo adhuc multo antiquius. Testis etiam est Clemens VIII. in sua Instructione super Ritibus Græcorum, quam edidit A 1585 ubi scripsit: *In casu necessitatis Presbyteri Greci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant Orationem illam deprecatoriam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.* Nec aliam formulam exhibet Euchologium Venetiis editum A. 1638. neque aliam demum indicat Jeremias Patriarcha CST. in cap.11. suæ Censuræ ubi asserit: *Peccatorum reatibus supplicationibus Sacerdotum veniam obtineri.*

V. Ad instantiam respondemus validam, & licitam esse hanc Græcorum formam si in Ecclesia Græca adhibeatur, invalida, & illicita est si adhibeatur in Ecclesia Latina propter rationes allatas. In Ecclesia vero Græca ideo valida est, quia a nullo jure prohibetur, & conditiones, quæ ex Decreto Ecclesiæ requiruntur ad valorem alicujus Sacramenti, non sunt ubique necessariæ, sed in illis tantum Ecclesiis, pro quibus præcipiuntur. Non improbatum autem Sacramenti cujusquam conferendi usum Ecclesiam Orientalem huc usque tenuisse agnovit Ecclesia Romana. In Concilio siquidem Florentino, in quo leviorum rituum momenta, rationesque a Græcis expoposcit, nullum de Sacramentis cum eis examen constituere proposuit, quasi Sacramenti cujuscumque ab eis administrati normam, formam, sententiamque approbatam censeret, ac ratam. Conditiones vero non ubique requiri patet in præsentia Parochi respectu Matrimonii.

Ingenue tamen fatendum est, quod quamquam apud Grecos forma hujus Sacramenti deprecativa sit, non excludit actionem Ministri, imò illam continet, sicque ad indicativam facile reduci potest; nam qui dicit *dimitte, relaxa, condona,* subintelligit *per me*, & qui dicit, *complaceat tibi hunc servum tuum verbo solvi*, subintelligit *meo*: ex quo fit quod etiam in prædictis orationibus judiciaria potestas a Sacerdote exercetur, dum super Pœnitentem orans, hæc Christi verba pronuntiat: *Tu enim dixisti Domine quæcumque solveritis super terram &c.* quibus agnoscit potestatem solvendi peccata sibi fuisse a Deo concessam, & se orationibus, absolutione, & pœnitentiis impositis exercere.

Non desunt qui ex Arcudii testimonio in Ecclesia Græca formulam absolutionis reperiri putent aliam a Deprecatoria, quæ formula latine explicata ita sonat: *Habeo te venia donatum, aut condonatum*, & æquivalet alteri *Ego te absolvo*, nam ut asserit D. Thomas in laudato Opuscolo 22. *condonare peccatum est illud absolvere.* Arcudius hoc scripsit in cap. 3. lib. 4. de Concordia utriusque Ecclesiæ innixus testimonio Pachomii Patriarchæ Constantinopolitani, Michaelis Patriachæ Antiocheni, & Gabrielis Philadelphiæ Metropolitani, qui hanc Absolutionis formam tradit in suo Tractatu de Sacramentis: *Gratia SS. Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & absolutum.* Pluribus tamen hæc responsio non placet, quæ multis obnoxia est difficultatibus, quarum præcipuæ sunt 1. quod illæ voces *donatum*, & *absolutum*, rem præteritam significant, scilicet Peccatorum remissionem jam impetratam declarant, quod repugnat formæ Absolutionis, ut supra diximus ex can. 9. Sess. XIV. Concilii Tridentini. 2. quia Auctores, a quibus ritum absolutionis Arcudius mutuavit, Pachomius præsertim, & Michael sunt Schismatici, & omnes Recentiores. Praxis hodierna Græcorum peti debet ab Aucto-

ctoribus Catholicis, & non a scriptis quorumdam Recentiorum Episcoporum, sed ex Euchologiis, Pœnitentialibus, & Ritualibus libris, quibus Græci utuntur Sacerdotes in administratione Sacramentorum, & in his libris, ut diximus, nihil reperire est, quod modum indicativum sapiat, nihil quod non sit deprecativum. 3. quia multum verissimile est Gabrielem Philadelphium non ritum, & formam Sacramenti Pœnitentiæ tradidisse, ut tradebatur a Græcis in Ecclesia Orientali, sed ut tradebatur a Latinis, cum quibus Patavii versabatur in Scholastica Theologia initiandus.

Addendum vero est eadem verba, quæ possunt proferri in sensu deprecandi, possunt etiam proferri modo, & intentione imperandi, in quo casu virtutis eorum nihil excidit. Nam & absoluta loquutio omnis in imperativa fundari potest, & tunc quod significant efficiunt. Exemplum habemus in his verbis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo*, quæ his aliis æquivalent: *Do tibi potestatem offerendi Deo Sacrificium*. Item in his *Baptizetur Servus Christi*; quæ idem significant, quod hæc alia verba, *ego baptizo Servum Christi*, Græci autem passivis potius, quam activis gaudent loquutionibus in administratione Sacramentorum, ne eorum Minister auctoritatis quidquam circa illa sibi arroget. Posset itaque in rigore hæc formula sufficere: *Absolvatur Titius*, sed præsumptuosum, & valde illicitum esset illa uti, quia in Sacramentis administrandis servandus est ritus ab Ecclesia præscriptus.

VI. Difficultas modo oritur utrum verba omnia, quæ habentur in forma Sacramenti Pœnitentiæ sint necessaria, & præcipue quæstio est de illis verbis *a peccatis tuis*, & de ceteris, in quibus legitur invocatio Sanctissimæ Trinitatis.

Patres Tridentini, ut constat ex eorum sententia relata in exordio hujus Capitis, non declarant certe post hæc verba: *Ego te absolvo*, necessarium esse aliquid addere, sed tamen indicant posse aliquid desiderari cum subjiciant hanc particulam *&c.* quæ certe credendum non est, quod frustra sit posita. Durandus itaque vult esse de necessitate hujus Formæ invocationem SS. Trinitatis, & alii Theologi non dissentiunt, ut Sacerdos declaret se non operari, ut caussam præcipuam, sed ut Ministrum illius, eo modo quo est necessaria ejusdem invocatio cum profertur forma Baptismi. Utrumque autem fundamentum inefficax est: Primum quidem cum de necessitate Sacramenti non sit, quod caussa ministerii exprimatur, nihil enim hoc conducit ad Sacramenti effectum, quem oportet quod verba formæ significent, & si id esset necesse, propter eamdem rationem deberet exprimi in omnibus aliis formis Sacramentorum, quod non est verum. Non minus inefficax est alterum fundamentum, quia non sumus in eadem suppositione, non militat enim eadem ratio congruentiæ, nec eadem institutio. In Baptismo invocatio Trinitatis necessaria est, quia per hoc Sacramentum fit solemnis Professio illius fidei, quæ in lege valde necessaria est, & quæ præcipue reducitur ad Confessionem Trinitatis: hæc Confessio non requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, cujus etiam institutio, sive considerentur verba Joannis cap. 20. sive Ecclesiæ traditio, vel auctoritas hoc non requirit, quia non est determinatum ex verbis Christi sicut in Baptismo, cum ait: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Accedit quod per XII. priora Ecclesiæ Secula invocatio Trinitatis non fuit in usu, nec adhuc est in Ecclesia Græca.

Alii igitur Theologi putant hæc verba necessario addenda esse *a pec-*

ca-

catis tuis, quia inquiunt, sine illis non est satis completus sensus locutionis, nec satis determinata significatio illius verbi *Absolvo*, sed D. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 21. §. 1. Cajetanus, & alii contrarium tenent, quia inquiunt, hæc verba *Absolvo te* satis determinantur per Confessionem Pœnitentis, proprium enim est materiæ determinare formam, & proprium est formæ determinare materiam. Præterea in hoc judicio Sacramentali illud debet contingere, quod contingit in aliis humanis. In his autem non requiritur, quod culpa exprimatur, igitur neque requiritur in præsenti, cum præsertim usus Ecclesiæ proferendi hæc verba post Confessionem peccatorum significet absolutionem eorumdem, quod confirmari potest exemplo Christi Domini, qui absque facta specifica mentione peccatorum dixit: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.*

Communis ergo Sententia est particulam *&c.* qua usum est Concilium in præsenti post illa verba: *Ego te absolvo*, non addi ad ostendendum alia verba esse de essentia, sed ad indicandum alia posse adjungi, quæ de more adjunguntur, & non sunt de essentia, vel ut indicaret, se non definire an alia verba requirantur, sed hoc relinquere Doctoribus disputandum. Integram certe formam repetunt Moguntini Patres, sed non declarant singula ejus verba essentialia esse. Monent tantummodo Sacerdotes, ut consueto modo absolvant.

VII. Patet ex his reliqua omnia verba, quæ vel præcedunt hujus Sacramenti formam, & hujusmodi sunt, *misereatur tui &c.* & reliqua, quæ subsequuntur. *Passio Domini nostri &c*: non pertinere ad ejusdem formæ substantiam, vel essentiam. *Hujusmodi absolutiones in publico facta*, inquit D. Thomas hic q. 84. a. 3. ad 1 *non sunt Sacramentales, sed sunt Orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium Peccatorum. Unde in Sacramentali absolutione non sufficeret dicere: Misereatur tui Omnipotens Deus, vel Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Deus, quia per hæc verba Sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. Præmittitur tamen in Sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus Sacramenti ex parte Pœnitentis.* Cujus etiam effectus intuitu præmittitur a Sacerdote absolutio a Censuris, ne etiam ex hoc capite Sacramentum impediatur; & ne quis arbitraretur agere Sacerdotem in hoc foro caussam principalem, præmittuntur etiam ab eodem hæc verba: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius*, quibus significat se exercere actum, ut aiunt, Ministerialem. Posteriora demum verba: *Passio D. N. J. C. &c.* adduntur, vel ut impetretur Pœnitenti perseverantia in bono, vel ut deserviant ad majorem satisfactionem. Singula hæc verba omittere sine justa, & rationabili caussa, nemini licet, vel si scandalum timeatur; urgente vero aliqua necessitate, non constat de præcepto quod omitti non possint, imò fert usus, quod si multi fuerint fideles, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accesserint, ut Confessarius omnibus præsto sit, illa possit omittere absque ulla pœna peccati.

VIII. Age nunc videamus quinam sit sensus horum verborum: *Ego te Absolvo*, quæ D. Thomas explicat per hæc alia. *Ego Sacramentum Absolutionis tibi impendo*, & alii per hæc alia: *Do tibi quantum in me est gratiam reconciliativam, seu peccatorum remissivam*. Varias Theologi iniere vias, ut horum verborum sensum ostenderent. Plerique tamen, aut apertissime erraverunt, aut id dixerunt, quod pluribus difficultatibus implicatur, Magi-

 stri

stri Sententiarum explicationem. *Ego te Absolvo* idest, *absolutum ostendo, & declaro*, satis erroris revincit Richardus a S. Victore in lib. de Potestate ligandi, & solvendi cap. 21. ita scribens: *Extat quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda potius, quam refellenda videatur: putant enim Sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos; sed numquid Dominus dixit: Quod solutum ostenderitis erit solutum? dicunt Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cum Dominus hoc dicat, & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cum Dominus hoc non dicat*, eamdemque reprobant inter ceteros Hugo Victorinus in lib. 2. de Sacram. par. 15. cap. 8. & D. Thomas, tum in IV. dist. 18. q. 1. a. 4. quæstiunc. 1. & dist. 22. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. tum in parte 3. q. 84. a. 3. & dicerem etiam eamdem explicationem proscripsisse Tridentinos Patres in cap. 16. & can. 9. Sess. XIV. nisi Magister, & Guillelmus Altissiodorensis, S. Bonaventura, & Durandus, aliique qui eumdem Magistrum sequuntur tribuissent absolutioni vim augendi gratiam sanctificantem in homine per contritionem jam justificato, & nisi assererent absolutionem vere remittere peccata, cum est in voto Pœnitentis contriti, quæ sunt suprema illa capita, per quæ horum Theologorum sententia discrepat a Sententia Lutheranorum a Concilio Tridentino loco citato damnata. Hujus explicationis errorem ostendunt verba Christi Domini, *quorum remiseritis peccata remittentur eis*, similia his: *Quæcumque solveritis super terram erunt soluta, & in cœlis*, quæ sane verba Magistri explicationem non patiuntur, sine periculo totius Ecclesiasticæ Potestatis, quæ cum maxime emineat in Dispensationum concessione, & Censurarum comminatione, si dispensare nihil est aliud, quam declarare non obligare, & Censuras infligere nihil aliud, quam declarare ligatum, parum est, quod Pontificia auctoritas non periclitetur omninò, cumque hoc dicere erroneum sit, erroneum quoque erit interpretari verba illa, ex quibus absolutionis forma nata est pro sola declaratione, quod peccata sint remissa, cum utriusque sententiæ eadem sit ratio, & semper eodem modo utramque sententiam Ecclesia pro potestate faciendi intellexerit, & usurpaverit, nec circumstantia Litteræ aliter intelligendam esse requirat.

IX. Æque erronea est illorum Theologorum explicatio, quæ dicit verba hæc: *Ego te Absolvo*, exprimere *absolutionem ab obligatione culpas subjiciendi clavibus Ecclesiæ*, tum propter rationes superius expositas, tum etiam quia ignoratur cui bono inservire possit hæc absolutio, si Confessio sit de solis peccatis venialibus, quæ etiam ante absolutionem homo confiteri non cogitur, aut si fiat Confessio de reservatis, a quorum Confessione quis non eximitur, dum adest copia Confessarii approbati quo ad ista, quamquam alteri fuissent Confessa; præterquamquod ex vi significationis illorum verborum nulla conferretur gratia, quod est maximum absurdum, & contrarium naturæ Sacramenti, cujus proprium est efficere quod significat.

X. Neque sufficiunt explicationes aliorum, qui interpretantur verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ *pro remissione pœnæ, vel æternæ, vel temporalis*. vel si tota culpa, & tota pœna sit *remissa per absolutionem*, inquiunt *liberari hominem a reliquiis peccatorum*, aut saltem compleri, & consummari per hanc absolutionis remissionem maculam illorum peccatorum, quæ jam fuerunt per contritionem remissa, tamen cum ordine ad ipsam absolutionem. 1. quidem quia fieri potest, quod peccata, quæ iterum clavibus subjiciuntur fue-

fuerint jam remissa, tum per contritionem, tum per priorem absolutionem, & quoad culpam, & quoad pœnam æternam, si fuerint mortalia, & si sint Venialia, non opus est quod hæc æterna pœna remittatur, cum neque illam mereantur, neque in verbis formæ hæc remissio exprimatur. 2. quia non intelligitur unde nam oriatur hæc necessitas, quod reliquiæ peccatorum actualium remaneant; præsertim si pauca venialia peccata præcesserint, vel si multa, possunt etiam omnes eorum reliquiæ esse abolitæ, maxime si fuissent, vel habitus pravi, vel pravæ dispositiones animi aut corporis, quæ sæpe solent esse veluti quidam impulsus in malum; imò cum hujusmodi reliquiæ peccata non sint, etiam in hoc casu absolutio, quæ de primario, & simpliciter peccata respicit, nugatoria esset, & sensum illum haberet, quem numquam intellexit Ecclesiæ. 3. demum, quia ex illa postrema explicatione sequeretur, quod in vi illius formæ nullus occasione hujus Sacramenti effectus novus produceretur. Exemplum est in antiquis Patribus defunctis ante Christi mortem, quibus, cum fuissent jam justificati, & liberati a peccato ante hanc mortem, quamquam in virtute pretii, quod Christus postea solvit, nullus collatus est novus gratiæ effectus in ipsa Christi Passione, sed tantum effectus gloriæ. Applicatio meritorum non reservatur, sed tunc fit quando datur effectus, cum nunc ex parte Christi solutio jam sufficienter facta est, & consequenter absolutio Sacramentalis non sibi arrogat, quod consumet Redemptionem, quæ jam facta est.

XI. Ex probata harum explicationum insufficientia, clarum est illa verba: *Ego te absolvo* vere exprimere remissionem peccatorum, quod adeo certum est, ut Concilium Tridentinum ex potestate, quæ est in Ecclesia remittendi peccata, colligat hanc vim inesse huic formæ. Sicuti igitur ex potestate remittendi peccata oritur, quod expulsa culpa mortali iofunditur gratia; hinc sequitur in primario effectu hujus formæ contineri etiam gratiam sanctificantem, quam gratiam conferet in casu etiam, quod Confessio fit de solis venialibus, quamvis ad eorum remissionem hæc per se necessaria non sit; quia licet propter ipsa non sit necessaria, tamen propter excellentiam virtutis ipsius, & Sacramenti necessaria est. Spectat etiam ad vim hujus formæ restitutio virtutum, & gratiæ deperditæ, & instauratio meritorum omnium, quæ singula consequuntur remissionem peccati mortalis. Ad ejusdem formæ virtutem spectat etiam remissio pœnæ æternæ propter superiorem rationem, & remissio alicujus pœnæ temporalis, si per opera satisfactoria ante remissa non fuerit, vel commutari potest in minorem, quam alias commutaretur. Postremo tandem, quod prius remissum non est propter carentiam Sacramenti, postea virtute absolutionis conceditur.

XII. Ut autem intelligamus quomodo hæc forma recensitos effectus operetur, Advertendum est Sacramenta omnia novæ legis per se gratiam conferre, nisi ea suscipiens obicem ponat, in quo casu nulla hæc Sacramenta sumentibus gratia conferretur, quare Hugo de S. Victore lib 2. de Sacramentis par. 14. cap. 8. formas docuit Sacramentorum magis significare virtutes suas, quam eventum, & de hac forma scribens S. Thomas illius verba, ut diximus per hæc alia explicavit: ***Sacramentum Absolutionis tibi impendo, quod idem est ac dicere, tibi exhibeo Sacramentum, quod ex se peccata remittit, ex se solvit a vinculis peccatorum.***

XIII. Advertendum est etiam ulterius duo hæc inter se differre, efficere

re gratiam, & remittere culpam. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, si impedimenta omnia tollantur, gratiam infallibiliter operatur, quæ per se sufficit ad remissionem peccatorum, non tamen semper sequitur, quod peccatum actu remittatur, quod tunc contingit quando non verificatur conditio si in homine sit hoc peccatum. Ex quibus ita notatis intelligitur, quod semper hæc forma: *Ego te absolvo*, vera est, & quando Pœnitens solum attritus, & in statu peccati mortalis ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, & quando accedit contritus, & justificatus, aut quando absolvitur a peccatis alias rite confessis, & absolutis, quia in his casibus Pœnitens illam gratiam recipit, quæ per se potest peccata remittere, licet actu non remittat propter præcedentem ipsius justificationem.

XIV. Solet inquiri utrum valeret hæc forma: *Ego remitto peccata tua*, aut si loco verbi *Absolvo* quis diceret: *Ego te mundo* a peccatis. Primum creditur: de secundo plurimum dubitatur, & ratio est, quia prima mutatio formæ non est in incertam, & dubiam, valetque ad significandum actum judicialem, & est conformis Christi verbis: *Quorum remiseritis peccata &c.* Altera vero mutatio non significat illam actionem per modum judicialis sententiæ. In hac igitur re, & usus, & proprietas verborum attendi debet, ut possit intelligi qualitas mutationis, quæ numquam sine peccato fit, quia hæc verba: *Ego te Absolvo* necessaria sunt non solum propter universalem usum Ecclesiæ, sed necessaria sunt necessitate præcepti, propter Conciliorum doctrinam, & quia hoc exigit reverentia, quæ Sacramentis debetur, & onus ea evitandi in Sacramentorum collatione, quæ dubia sunt, & quæ eorumdem Sacramentorum validitati possunt officere; quare talium verborum mutatio non sine culpa mortali fiet, cum nulla in praxi rationabilis caussa assignari possit ad illam faciendam.

§. II. *Absolutio lapsis post Baptismum est ad salutem necessaria necessitate Medii.*

XV. Frustra nunc inquiritur an hæc Absolutio lapsis post Baptismum sit ad salutem necessaria necessitate medii, cum hoc satis eruatur ex necessitate Confessionis, de qua jam diximus in Capite II. §. IV. & Cap. V. §. II. & ex ritu Ecclesiæ, quæ post datam confitentibus Pœnitentiæ actionem, eosdemque salutari satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis consuevit admittere. Hujus rei clarissimum reddidit testimonium pro Ecclesia Romana S. Leo in sua Epistola 82. ad Theodorum Forojuliensem, & Sozomenus in cap. 16. suæ Histor. Eccles. Pro Ecclesia Mediolanensi S. Ambrosius in cap. 3. & 9. libri 2. de Pœniten. Pro Ecclesia Hispaniæ S. Pacianus in Epistola 2. ad Sempronianum, & Concilium Toletanum III. can. 11. Pro Ecclesia Africæ S. Cyprianus in libro de Lapsis, & Epistola 59. ad Fidum. Pro Ecclesia Galliarum Gennadius in libro de Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 53. & pro Ecclesia Anglicana Theodorus Cantuariensis, ut prætercam testimonia Basilii, Gregorii Nysseni, Joannis Abbatis Raithu, aliorumque, quibus demonstratur in Ecclesia Orientali non dissimilem Disciplinam floruisse. Solum dubitatum ab aliquibus est, an semper pro quibuscumque sceleribus Sacramentalis Absolutio impendi consueverit? Et certe contra hanc Praxim nullum potest documentum afferri usque ad tempora Ze-

Zepherini, ut patet, tum ex Epiſtola 2. ad Corinth. c. 2. in qua Paulus dat pacem fideli, qui poſt Baptiſmum in inceſtum lapſus fuerat, tum ex cap. 12. & 23. Conſtitutionum Apoſtolicarum, in quibus præcipitur, ut nullo excepto crimine, Epiſcopi ad Divinorum participationem veros pœnitentes admittant, tum ex libro Paſtoris Mandato 4. ubi Pœnitentia, & poſt Pœnitentiam venia ex Angeli mandato quibuslibet peccatis, & ſingillatim Mœchiæ conceditur; & demum, ut reliqua documenta, quæ plurima afferri poſſent, omittam, ex canone 51. Apoſtolorum, in quo ſic legitur: *ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter a peccato revertentem non recipit, ſed rejicit deponatur, quoniam Chriſtum moleſtia afficit, qui dixit: gaudium eſt in cœlo propter unum peccatorem Pœnitentiam agentem*, & ex canone 60. quo decernitur *ſi adverſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur*.

Poſt hæc vero tempora Canonicorum criminum reis, ſi in infirmitate dumtaxat Pœnitentiam poſtulaſſent, in ipſo exitu vitæ Abſolutionem Sacramentalem fuiſſe negatam, ſcripſit S. Cyprianus in epiſtola 52. ad Antonianum, & Decrevit Concilium Arelatenſe I. canone ultimo, & teſtatum reliquit Primus Innocentius in cap. 2. epiſt. 3. ad Exuperium. Hæc ſunt Cypriani verba: *Frater Chariſſime Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti Pœnitentia, ſed morbi urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. Patres Arelatenſes ſic inquiunt: *De his, qui Apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repreſentant, nequidem Pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus Pœnitentiæ*. Verum quidem eſt, quod ritum hunc Innocentius *duriorem* appellavit, ſed non propter hoc reprobavit, imò *a ratione alienum non eſſe* dixit, *nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito Communio eſt, conceſſa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio*.

XVI. Audiendi, hic non ſunt, qui Communicationis, vel Communionis, & Pacis nomine, inquiunt, non intellexiſſe Patres abſolutionem a peccatis, ſed ſolum Eucharistiam, quia id poſtulabant Canonicorum criminum rei per quod in Communionem reciperentur; non recipiebantur autem in Communionem, niſi prævia reconciliatione, ſive Abſolutione, ergo Reconciliatio, & Abſolutio illis negabatur, & merito, quia non niſi illis concedebatur, qui dignos Pœnitentiæ fructus egiſſent, quos fructus cum prærequirerent Arelatenſes Patres, dubitari de eorum mente non poteſt, quod nimirum apud illos hæc vox *Communio* Abſolutionem Sacramentalem ſignificaret, quod eo certius cognoſcimus in hoc ſenſu fuiſſe uſurpatam a S. Innocentio propter circumſtantias, quas in ſua reſponſione ad Exuperium notavit, quarum altera eſt, quod deſcribens recentiorem Eccleſiæ morem introductum poſtquam Dominus pacem Eccleſiis ſuis reddidit; *jam depulſo*, ait, *terrore Communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi Viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam aſperitatem, & duri-*

tiem

tiem subsequi videamur. At Novatiani non contendebant de Communione tantum, sed de negatione Absolutionis Sacramentalis, & veniæ. Ergo posterior Ecclesiæ ritus invexit utrumque. Prior itaque negabat utrumque. Plurimum etiam facit altera circumstantia, quam in Conclusione suæ responsionis exponens, inquit: *Tribuetur ergo cum Pænitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pænitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitiò vindicentur*: Vindicantur enim a perpetuo exitio peccatores per Absolutionem a peccatis, non per negationem Communionis Eucharisticæ, cum non solum ætate Innocentii, sed his quoque temporibus in aliquibus casibus observaretur sine Eucharistia plures decedere, quos tamen propter hoc non credit Ecclesia a Regno Cœlorum excludendos, & unitati fidelium præcipit sociandos. Ex hoc itaque solo intuitu prior disciplina non potuit durior appellari, & posterior inclinatior, nisi quia illa denegabat Absolutionem; alioquin etiam nunc durior esset, cum aliquando contingat etiam nunc aliquos ab Eucharistiæ sumptione prohiberi, quibus tamen non prohibetur reconciliatio, nec peccatorum Absolutio differtur.

XVII. Irrationabiliter tamen nonnulli inferunt ex hoc Innocentii testimonio consuevisse Romanam Ecclesiam Canonicorum criminum reis in supremo vitæ discrimine Absolutionem negare, cum hoc numquam scripserit S. Pontifex, sed sic se ipsum expresserit: *Qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti in extremo vitæ suæ, Pænitentiam simul, & reconciliationem Communionis exposcunt observatio prior tenuit, ut concederetur eis Pænitentia, sed Communio negaretur*, ex quibus verbis, tum apertissima fit Romanæ Ecclesiæ praxis ineunte Sæculo x. plurimum ab illa diversa, de qua hic loquitur S. Innocentius: tum refellitur prava quorumdam opinio sentientium Veterem Ecclesiam in illum, quem damnaverat Novatiani errorem incidisse, dum recedentibus de corpore Absolutionem denegavit; ab hoc enim errore semper absfuit longissime, cum Novatiani, & eorum Asseclæ omnibus, sine discretione, vel Pœnitentibus, vel Impœnitentibus inficiarentur posse absolutionem concedi, Ecclesia vero iis solum (duriore illa veteri disciplina florente) absolutionem non impertiebatur, qui in supremo vitæ discrimine ad Sacerdotes confugiebant, & Pœnitentiam, & reconciliationem simul flagitabant; eo quod ut S. Cyprianus admonuit. *Rogare, illos non delicti Pænitentia, sed mortis urgentis admonitio compellebat*. Quare posterioribus etiam temporibus quibus cum his Pœnitentibus mitius actum est, eoquod Sacramenti Communionis participes facti sunt, id expedire censuit Ecclesia, quod si ejusmodi convaluissent, iterum Pœnitentiæ publicæ subjicerentur, ut legitur in 1. Canone Epistolæ canonicæ S. Gregorii Nysseni ad Letojum, in canone 76. Carthaginensis iv. Concilii, in canone 3 Arausicani, & 36. Epaonensis, quia semper Ecclesia dubitavit de valore Pœnitentiæ actæ in extremis, & de efficacia Absolutionis in his circumstantiis concessæ: valet enim hic plurimum aurea illa Augustini Sententia: *Si tunc vis agere Pænitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*. Præter itaque circumstantias hujus casus, de quo scripsimus, Ecclesiastica Historia non abundat exemplis Pœnitentium, in quorum exitu, damnationis constituta tempora relaxata non fuerint. Dixi *Ecclesiasticam Historiam his exemplis non abundare*, ut adverterem ante S. Cyprianum in Africa quosdam fuisse Episcopos, qui Mœchis etiam in exitu Sacramentalem Absolu-

solutionem negarent, cujus severissimæ disciplinæ idem S. Cyprianus est testis in supra laudata Epistola, in qua scribit: *Et quidem apud Antecessores nostros, quidam de Episcopis istic in Provincia nostra dandam pacem Mœchis non curaverunt, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen a Coepiscoporum suorum Collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritiæ, vel Censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur.* Sic enim de illorum Episcoporum facto ratiocinabatur: *nam manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento, actum suum disponit, & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.*

XVIII. Extra mortis articulum graviorum peccatorum reis Absolutio Sacramentalis ordinaria lege concedebatur antiquitus post peractam dumtaxat Pœnitentiam, & completam satisfactionem.

Probant hanc propositionem illa singula testimonia quæ apud Cyprianum leguntur, & illa præsertim, in quibus conqueritur, quod citius nimis quam necessitas postulasset, & crudo tempore peccatores ad Communionem admitterentur, & offerretur nomen eorum, nondum Pœnitentia acta, nondum Exomologesi facta, & nondum manus eis ab Episcopo, & Clero imposita. Sic in Epist. 59. ad Fidum Therasii Factum reprehendit, quod Victori Presbytero antequam Pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliqnerat satisfecisset, temere, immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederat, contra Decreti illius auctoritatem, quod LXVI. Episcopi Carthagine in Concilio congregati ediderat, & in libro de Lapsis contra illos omnes invehit, quorum temeritate laxabatur incautis Communicatio, & pax, quam *irritam, & falsam* appellat, *periculosam dantibus, & nihil accipientibus profuturam*. Igitur temporibus S. Cypriani Africana Ecclesia adsolebat post impletam satisfactionem lapsis reconciliationem, & pacem concedere, ut temporibus Paciani morem eumdem servabat Barcinonensis Ecclesia, & temporibus Ambrosii Ecclesia Medolanensis, & ut Innocentii I ætate eumdem tenebat Ecclesia Romana, & communem fuisse confirmant priorum Conciliorum Canones, quibus decernebatur, quod pluribus annis peccatores in Fletu, Auditione, & Substratione permanerent, antequam cum fidelibus in Ecclesia consisterent, & per absolutionem Sacramentalem Communioni precum fidelium ingererentur.

Dixi *ordinaria lege*, nam Caussæ plures contrariam hanc praxim excipiebant, ut si in discrimen versabatur Pœnitentium salus, si in hæresim, vel Schisma Diabolo invitante raperentur, si quis desperatione defecisset, dure, & crudeliter segregatus ad gentiles se vias, & sæcularia opera illum converti periculum fuisset. Si ex reditu lapsorum ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundaret, ut schismatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad Ecclesiam reductio. Si lapsi post scelus commissum, arduum aliquid, & eximium edidissent, aut pro Christi gloria contumelias, irrisiones, & exilia sustulissent, aut fortiter stetissent, & adversarios in congressione rostravissent, in his casibus omnibus lapsis absolutionem fuisse concessam ante satisfactionem idem Cyprianus asseruit in citata Epistola ad Antonianum, in 54. ad Cornelium, in responsione ad Caldonium, & confirmavit Augustinus in capite 2. libri 3. contra Epistolam Parmeniani. Verum non solum id asseruit Cyprianus, imò & suo facto confirmavit S. Cornelius Papa, cum nullis Pœnitentiæ la-

laboribus impositis Confessores a Schismate Novatiani redeuntes ad Ecclesiæ unitatem, recepit, absolvitque ut quoque remisit Ecclesiasticæ Disciplinæ severitatem erga Trophimum illum, qui ab Ecclesia defecerat, multosque ab ea abduxerat, quia rediens, multorum ad Ecclesiam revocatione lapsorum compensabatur quod ipsius Pœnitentiæ de plenitudine satisfactionis deerat.

XIX. Falsum vero suspicantur illi, qui absolutionem hanc non fuisse Sacramentalem contendunt, sed cæremonialem tantum, eoquod peccatorem justificatum supponeret, ut videtur erui ex S. Leonis Verbis in Epist. 91. ad Theodorum: *Mediator Dei &c. hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*; nam S. Leo non loquitur de purgatione perfecta, sed de præparatoria, ut satis constat ex allato textu, ex quo bene concluditur satisfactionem præcessisse absolutionem etiam S. Leonis ætate. Quod si purgationem hanc adhuc voluerint interpretari pro tota reconciliatione hominis cum Deo, per nos liceat, qui certe fatemur debere aliquid vitæ præcedere per contritionem ex Dei amore profectam emundationem a peccati macula, quæ fit cum Peccator a Sacerdote visibiliter absolvitur. Quod ut Sanctus Magnus Gregorius, inquit homilia 26. in Evangelia, *bene quatriduani mortui resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat, quia Dominus prius mortuum vocavit, & vivificavit dicens: Lazare veni foras, & postmodum is, qui vivens egressus fuerat a Discipulis est solutus*, sed tamen negari non poterit ab Ecclesia fuisse desideratam satisfactionem, ut dispositionem ad obtinendam Absolutionem Sacramentalem, quia per hanc probare consuevit conversionis sinceritatem, ne illius Ministri mortuos solverent peccatores, sed solum illos qui saltem aliquid vitæ initium per contritionem essent consecuti. Hujus expositionis auctor est Augustinus in c. 65. Enchiridii ubi ait: *in actione Pœnitentiæ ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum, & humilitatum Deus non despiciet. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, aut quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur Gemitus meus a te non est absconditus, recte constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur peccata*. Id autem mirum esse non debet, ut quos Christus a peccato liberat, eos Ecclesia diu sub pœna peccati ligatos retineat, *cum enim criminalis culpa delinquentem separet a Capite, & a Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interius. Judex vero, qui tantum videt in facie usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum Pœnitentiæ fructum, qui sit Pœnitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno judici, & idcirco sudilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna Conversio. Ecclesia vero, quia occulta cordis ignorat non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, idest publica satisfactione purgatum. Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes a Sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur si jam sunt intus vivificati, cum fuerint longa Pœnitentiæ macerati one purgati*. Ita Ivo Carnotensis Episcopus sui Sæculi praxim nitida ratione

ne descripsit in Epistola 228. quam scripsit ad Gonerium Presbyterum.

XX. Illud tamen negare nolumus veterem Ecclesiam aliquando usurpasse illam etiam absolutionem, quam Caeremonialem appellare injuriosum non est. Id autem cum iis solum agebatur, qui postquam repente convaluissent ex gravissima illa infirmitate, in qua propter instans mortis periculum Sacramentaliter fuerant absoluti, suae stationi restituti Poenitentiae stadium fuissent emensi, & hac Caeremoniali reconciliatione Poenitentialium operum labore soluti declarabantur. Agunt de hac Caeremonia supra laudata Concilia Carthaginense IV. Arausicanum I. Secundum Arelatense, & alia. Alludunt etiam huic ritui haec verba Allatiani Codicis: *Alia ratio ad solvendum canonem Excommunicato impositum*, nam in hoc solo casu post sextum Saeculum Orientalis Ecclesia consuevit canonicam Absolutionem impendere post peractam satisfactionem.

XXI. Neque illud contendimus, quod temere olim, scilicet tempore Xisti IV. contendebat Petrus Oxomiensis Poenitentes absolvi non debere nisi peracta imposita sibi satisfactione. Expediet certe hoc aliquando praesertim cum judicabit Sacerdos Poenitentem suo oneri non satisfacturum, si statim absolvatur. Verum extra hunc casum ordo Poenitentiae non erit inversus praemittendi absolutionem satisfactioni, & quia inversus non est, revera pluribus ab hinc Saeculis absolutio lapsis impenditur antequam injunctam sibi satisfactionem impleverint. Quid Concilium Tridentinum censuerit a nonnullis Scriptoribus varie disputatum est. Alii aperte scribunt Tridentinum Concilium decrevisse, ut prius ea, quae in Sacramento Poenitentiae imponitur satisfactio peragatur, quam detur absolutio, & nisi fiat, unam vel alteram rerum conditionem si excipias, cassum, atque irritum absolutionis beneficium futurum, si impertiatur. Volunt alii Concilium sex, vel septem aperuisse vias, quibus agendae ante absolutionem satisfactionis modus restituatur. Sed neutrum a Concilio factum esse in sequenti §. ostendemus, & Adversarios, ut suam opinionem stabiliant, Concilio Tridentino abuti, quod in similibus Controversiis novum non est.

§. III. *Concilium Tridentinum non suffragatur Sententiae quae asserit Satisfactionem esse praemittendam Absolutioni, nec vias illas aperit, in quibus plurimum nonnulli confidunt.*

XXII. Controversiam hanc uberrime pertractavit vir eruditissimus Joannes Launojus in peculiari Dissertatione, quam inscripsit de Mente Concilii Tridentini circa satisfactionem in Sacramento Poenitentiae. Itaque argumenta quibus ille adversarios urget, nostram expositam propositionem probabunt. Palmarium Launoj argumentum est ipse textus Concilii, quem exhibet petitum ex cap. 14. Sess. VI. & in quo advertit hoc ordine Sacramenti Poenitentiae partes recenseri, ut prima sit Contritio, altera Confessio, tertia Absolutio, & postrema Satisfactio. Ergo Tridentinum Concilium praeponit satisfactioni absolutionem. *Docendum est*, inquiunt Tridentini Patres, *Christiani hominis Poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem,* item-

itemque satisfactionem per Jejunia, Eleemosinas, Orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia.

Quod vero ordo hic, & non alius ex Concilii verbis eruatur docent illi Patres, qui statim post publicatam Concilii Sessionem VI. & ante publicatam Sessionem XIV. scripserunt. Ex his laudatur a Launojo Francisci Urgelitani Episcopi Manuale editum anno 1548. laudatur Rituale secundum usum Lugdunensem, quod eodem anno editum est: laudatur Concilii Moguntini A. 1549. methodus Christianæ Doctrinæ in cap. 30. de satisfactionibus: & demum laudatur institutio ad Pietatem Christianam in hoc Provinciali Concilio promissa, & in his omnibus documentis de satisfactione agitur post absolutionem peragenda, aut de impertienda absolutione postquam ii, qui gravia confessi fuerint crimina, se suam impleturos satisfactionem promiserint. *Ultimo post injunctionem pœnitentiæ*, inquit Urgellitanus Episcopus, *Sacerdos absolvat eum* (scilicet pœnitentem) *modo sequenti &c. Sacerdos caute corrigat*, inquit liber de Sacramentis secundum usum Lugdunensem, *& pœnitentia illi imposita salutari dicat: & super hoc Dominus Noster J. C. qui est verus, & Summus Pontifex per merita suæ Passionis te absolvat &c. Sacerdotes etiam Confessarios monemus*, decreverunt Moguntini Patres, *iisque præcipiendo injungimus, ne in usura, furto, rapina, aut fraude, absolutionem confitenti impertiantur, nisi ea quæ injuste abstulis, quatenus illius facultates permittunt, se restituturum promiserit. Ecclesiæ Sacerdotes*, inquit tandem Institutio ad pietatem Christianam, *in virtute, & gratia Domini Nostri J. C. confitentes absolvant, eosque de sola Dei misericordia remissionem peccatorum suorum sperare jubeant, non ex fiducia satisfactionis, quæ sæculo nostro, demum post absolutionem implenda ipsis imponitur.* Profecto si Tridentinum Concilium aliter decrevisset, aut velle se pristinum instaurare morem innuisset, hi Sacrorum Rituum Libri post absolutionem agendam satisfactionem non præscripsissent.

XXIII. Quod si nunc consulantur ea, quæ iidem Tridentini Patres in XIV. Sessione decreverunt distribuentes Doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ in novem capita, & Canones XV. perspicuum fiet, in hoc more, & ritu nihil plane mutatum fuisse a Concilii Patribus, ac de eo mutando fuisse quidquam actum, aut etiam cogitatum. Tota igitur Doctrina Sacramenti Pœnitentiæ per illa IX. capita sic distributa est, ut in primo agerent Patres de hujus Sacramenti institutione, & necessitate, in secundo de ejusdem a Baptismo discrimine, in tertio de ejusdem partibus, & quasi materia, in quarto de perfecta, & imperfecta contritione, in quinto de Divina institutione Confessionis, in sexto de Ministro & absolutione, in septimo de graviorum criminum reservatione, in octavo, & nono de satisfactione, ejus fructu, & operibus satisfactoriis. Quod vero spectat ad Canones: omissis iis, quæ nonum Canonem præcedunt, in hoc Patres decreverunt, quod pertinet ad fidem in sententia reconciliatoria, scilicet in Absolutione. In XII. XIII. & XIV. Anathema dixerunt iis, qui aliter, quamquod ex fide credendum est, sentiunt circa naturam, effectus, & materiam satisfactionis. Constat igitur ex hac serie, Patres in præponenda exequendæ satisfactioni absolutione, supposuisse ritum, & ordinem, qui nunc in Ecclesia Dei viget, per quem satisfactioni postremus locus reservatur. Postremum locum satisfactioni certe reliquit Fredericus Nausea Viennensis in Germania Episcopus, illorum unus qui in hac

XIV. Ses-

xiv. Sessione sententiam tulit , ut constat ex ejus verbis , quæ leguntur in c. 38. sui Catechismi lib. 3. de Pœnitentia . Eumdem locum satisfactioni concessit Jacobus Naclantus Clodiensis, & Nicolaus Psalmius Virdunensis, ille in suo Tractatu de Indulgentiis, quem anno 1567. edidit, hic in Manuali Ecclesiæ suæ, quod Typis mandavit A. 1554. Credendum ne est hos Antistites aliter in Synodo , aliter extra Synodum sensisse ? aut suas sententias noluisse cum Synodi sententia commutare ? & quem ipsi ritum in Concilio abrogassent , postea in suis Scriptis retinuissent ? Hoc mihi nemo persuadebit , quemadmodum neque id sibi persuaserunt reliqui , qui Concilio interfuerunt quamvis in Sessione xiv. sententiam tulisse non legantur . Honoris gratia recenseo Osium Vvarmiensem Episcopum in Tridentino Concilio Sedis Apostolicæ Cardinalem Legatum, Nicolaum de Pelve Archiepiscopum Senonensem, & Cardinalem, Eustachium Bellajum Parisiensem Episcopum , Guillelmum Cassadorum Barcinonensem, Franciscum Richardotum Atrebatensem , Hieronymum Burgensem Catadonensium Episcopum , Joannem Venatorem Lexoviensem , Martinum Rithovium Iprensem, Simonem Vigoreum , Claudium Sanctesium , Joannem Soarem , Petrum Sotum , Melchiorem Canum , Dominicum Sotum , Gentianum Hervetum, Cornelium Jansenium, & tandem Alfonsum Salmeronem , quorum quilibet receptam in agenda satisfactione consuetudinem post absolutionem , non solum non revocavit , sed ut statim ab indicta satisfactione absolvatur Pœnitens in suis Scriptis singuli docuerunt .

Huc etiam faciunt auctoritates illorum Theologorum , qui a publicata hac Concilii xiv. Sessione de Pœnitentia scripserunt, quorum longum Cathalogum exhibet citatus Launojus in cap. 6. suæ Dissertationis: cum itaque plurimorum testimonia recenseat Launojus, unicum eligimus Catechismi Romani , qui Concilii Tridentini doctrinam complectitur . Agens Catechismus de modo Absolutionis impertiendæ , primo dicit : *Nemo absolvendus est , nisi prius quæ cujusque fuerint restituere polliceatur* . Secundo dicit : *si Sacerdos audita Confessione judicaverit in enumerandis peccatis diligentiam , aut in detestandis dolorem pœnitenti defuisse , eum sine absolutione dimittet* . Commune est pronunciatum , quod regulæ exceptionibus firmantur ; cum itaque Catechismus duplicem tantummodo exceptionem ponat , harum utraque contrariam plane disciplinam, non significat modo , sed etiam præscribit . Et revera non inquit Catechismus quod pœnæ, quæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui Pœnitentiales vocantur , constitutæ sunt , pœnitentibus imponantur , & non prius pœnitentes absolvantur , quam ejusmodi satisfactiones obierint, sed vult quod ex veterum Canonum præscripto accomodæ delictis satisfactiones imponantur, & si audita Confessione Sacerdos judicaverit , neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, quod ille absolvi possit . Integra Cathechismi sententia ita legitur sub Titulo de Satisfactione numero 79. *Sed illud in primis a Sacerdotibus observari oportet ut audita confessione peccatorum antequam pœnitentem a peccatis absolvant, diligenter curent si quid ille forte de se , aut de existimatione proximi detraxerit , cujus peccati merito damnandus esse videatur , cumulata satisfactione compenset . Nemo enim absolvendus est , nisi prius quæ cujusque fuerint restituere polliceatur* . Et numero 80. *In erroganda autem satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitia , prudentia , & pietate dirigenda*

 exi-

existimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & Pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit interdum eis significare quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto qui Pœnitentiales vocantur, constitutæ sint. Igitur universæ satisfactionis modum, culpæ ratio temperabit; & sub Titulo de Confessione numero 61. prope finem: *si audita Confessione judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit, sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit, auctor illi, & suasor erit, ut majorem caussam in excutienda conscientia adhibeat, hominemque vel blandissimæ quoad poterit tractatum dimittet*. Hactenus Cathechismus, cujus verba apertissime evincunt Patrum Tridentinorum mentem non fuisse de restituenda veteri Ecclesiæ Consuetudine, quæ expletam satisfactionem ante absolutionem sæpius exegit, nec esse potuit; quia sola hæreticorum dogmata damnare voluit, & Lutheranorum præsertim, ad quos nihil attinebat ritus agendæ satisfactionis post absolutionem. Supervacaneum est addere testimonia illorum Theologorum, qui ab anno 1599. usque ad nostra hæc tempora de propositæ Dissertationis argumento scripserunt, quod tamen fecit idem Launojus, & alii præstiterunt, nam ex illorum scriptis communis Ecclesiæ usus confirmatur, nec alia ab illis pœnitentiæ disciplina proponitur, quam quæ a Concilio Tridentino proposita est. Tantum additur eidem Disciplinæ suffragatas esse plures Synodos Provinciales, & inter ceteras Neapolitanam A. 1576. Meldensem A. 1589. Burdigalensem A. 1582. Spoletanam A. 1583. Thelspergensem, & Remensem ejusdem anni, & Bituricensem A. 1584. His accenseri possunt Diœcesana Pistoriensis A. 1587. Vicentina A. 1583. Picentina A. 1592. & Collensis A. 1594. Planum itaque factum est ex tot tantisque monumentis ex illorum Patrum Operibus repetitis, qui vel Tridentino Concilio interfuerunt, vel ab iis qui non interfuerunt edocti sunt, quique variis in locis, ac temporibus de ritu agendæ post absolutionem pœnitentiæ scripserunt, illud quod asseruimus, tum doctrinæ Concilii esse consentaneum, tum totius Ecclesiæ consensione esse firmatum. Verum quid in contrarium objici possit videamus.

XXV. Nostram Propositionem urgere videntur verba illa, quæ in 3. cap. XIV. Sessionis sic leguntur: *Forma Sacramenti Pœnitentiæ est absolutio, ejusque quasi materia sunt actus Pœnitentis, Contritio videlicet, Confessio, & Satisfactio*. Consonant verbis his illa, quæ in 4. canone ejusdem Sessionis definita, sic proponuntur: *si quis negaverit ad integram, perfectamque peccatorum remissionem reperiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit*. Rursus difficultas potest augeri ex iis, quæ decernuntur in cap. 8. citatæ Sess. in quo Tridentini FP. cognoscunt satisfactionem eam esse, *quæ a Patribus nostris Christiano Populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate inquiunt, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt*; quare sic licet argumentari: eodem modo Concilium loquitur de Satisfactione, ut loquitur de Confessione, & Contritione, sed nullus potest absolvi, qui non præmiserit absolutioni Contritionem, & Confessionem, ergo neque illi impendi poterit absolutio, qui culpam & pœnam per satisfactionem non expiaverit. Præterea Actus Pœniten-

tentis sunt quasi materia, absolutio est forma, & Sacramentum Pœnitentiæ est compositum ex utrisque; composita autem non prius essentialiter perficiuntur, quam materia, & forma simul uniantur, nec forma materiæ advenit, nisi materia præexistat: igitur satisfactio, quæ cum Contritione, & Confessione est quasi materia debet præexistere prius quam Absolutio, quæ est forma impendatur.

. Abuti Concilio Tridentino Theologos illos, qui absolutionem nonnisi peracta satisfactione dandam esse astruunt, Facultas Parisiensis agnovit, neque difficile est hoc probare. Illud tamen cum Maldonato Tomo 2. de Pœnitentia Thesi VII. præmittendum est, sensum Ecclesiæ non esse revocandum ad regulas Philosophorum, sed potius ad vulgarem, & communem loquendi consuetudinem. Vocat ergo Concilium tres partes Pœnitentiæ, non quod intelligat ita esse partes, sicut materia, & forma sunt partes rei naturalis; nam si ita loqueretur, non tantum tres partes, sed etiam quatuor agnovisset, numerans etiam absolutionem. Porro non aliunde melius vulgaris, communis, & simplex loquendi modus Concilii potest intelligi, quam ex iis quæ in superioribus argumentis complexi sumus, aut si ex aliis fontibus illum inquirimus facile deduci potest ex recta intelligentia eorum, quæ in citato capite 3. laudatæ Sess. XIV. leguntur, in quo dum tria hæc, Contritio nimirum, Confessio, & Satisfactio dicuntur quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ, materiales Sacramenti partes non una ratione dicuntur, cum Contritio, & Confessio sint essentiales, & Satisfactio sit tantum integrans, ut jam variis in locis demonstravimus. Accedit insuper quod si Contritio, & Confessio inter se conferantur, diverso modo concurrunt ad essentiam Sacramenti; siquidem in moribundo nonnulla contritionis indicia sufficiunt, neque necessaria est explicita peccatorum confessio, non item satisfactio, quæ nulla in eo casu imponitur, quemadmodum in illo qui bene valet tum contritio, tum confessio necessaria est, ut valide absolvatur; satisfactio tamen quia proportionari debet & gravitati, & contritioni peccatorum, cum fieri possit quod Contritio tanta sit, ut pœnam omnem cum culpa tollat, necesse non est quod a Ministro Sacramenti imponatur. Cum hæc certissima sint, & communem Ecclesiæ praxim demonstrent palam omnibus fit perperam citari Caput 3. Concilii Tridentini ad ostendendum tres pœnitentis actus ad essentiam Sacramenti pari ratione spectare, nullum omitti posse, & illum esse invalide absolutum, si non peracta satisfactione absolvatur. Petrus Paludanus in IV. Sententiarum dist. XVII. q. 1. a. 3. solus quod sciam docuit Confessionem, & Satisfactionem eodem modo spectare ad Sacramentum Pœnitentiæ, nihilominus parum solicitus est, sive satisfactio antecedat, sive absolutionem sequatur, aut hic aut alibi compleatur. Neque ullum adversariis suffragium quæritur ex verbis capitis octavi ejusdem Sessionis, cum non concludant non esse dandam pœnitentibus absolutionem quin ante imposita satisfactio impleatur, sed citata verba solum docent Satisfactionem semper fuisse a Patribus Christiano populo commendatam, quod nos ultro concedimus, qui etiam concedimus singula alia loca quæ proferuntur ex Sacro Concilio optima esse ad vindicandam ab Hæreticorum insultibus, & profanis novitatibus Catholicam Sacramenti Pœnitentiæ doctrinam, non vero ut per illa demonstretur nonnisi peracta Satisfactione dandam esse absolutionem. Quod si Tridentini Patres asseruissent, maximo adjumento fuisset hæc assertio Benedicto Aretio, ut hoc

gra-

graviſſimo teſtimonio hujus temporis Eccleſiam accuſaret, quam a veteri conqueritur deſciviſſe in ea, quæ eſt de ſatisfactione doctrina Verum Aretius hoc argumentum omiſit, & motus auctoritate Eccleſiæ veteris ait: *poſteriora hæc ſæcula doctrinam de ſatisfactione bene a veteri Eccleſia traditam, erroribus, variiſque abuſibus corrupiſſe*: & Joannes Lenſæus in libro de Eccleſiaſtica Satisfactione pœnitentis, quem adverſus Aretium ſcripſit tantum abeſt quod antiquatam in agenda pœnitentia veterem Diſciplinam dixerit Concilium Tridentinum reſtituiſſe, quin potius tum poſteriorum, tum priorum Sæculorum Eccleſiæ conſuetudinem in agenda ſatisfactione non minoris facit, additque momenta, quibus probat non fieri præjudicium veteri de ſatisfactione doctrinæ, quod poſt abſolutionem nunc ſatisfactiones expleantur. Inter cetera itaque hæc ſcribit in cap.24. ſui Tractatus: *quamvis unius ejuſdemque Chriſti Eccleſia utraque conſuetudo eſt, non debet improbari poſterior quod diverſa prior extiterit; quemadmodum nec in medico reprehendi uno debet ſi ingraveſcente cujuſpiam ætate alia velit medicamenta præſcribere, quam antea ſolitus ſit ægri corpore valentiore. Nec in eodem homine ſi parcius cœnet, aut exercitiis utatur ſenior, quam junior conſueverat. Atque ſimilem in modum in hac de ſatisfactione cauſſa, ſic illa prior conſuetudo laudanda eſt, ut iſta non vituperetur. Eſt enim unius, ejuſdemque Eccleſiæ, & Sponſa Chriſti conſuetudo diverſa, ubi ſi hanc improbes, illam quoque ut improbandam putare poſſis, in proclivi erit, quoniam cujus Eccleſiæ hæc poſterior eſt conſuetudo, eiſdem omnino prior illa fuit. Eò fit ut iſti, quamvis hanc ſe Romanam Eccleſiam dumtaxat oppugnare velle profiteantur, tamen in illius auctoritatem impingant, ejuſque ſimul, & eadem opera, ſcita, & conſtituta convellant. Tenendum proinde in utraque conſuetudine illud Beati Gentium Apoſtoli: ſi quis vult contentioſus eſſe nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. Gratis igitur dictum eſt Concilium re ipſa ſtatuiſſe, ut quæ a Sacerdotibus audita Confeſſione imponitur ſatisfactio ante abſolutionem fiat, & niſi fiat irritum abſolutionis beneficium fore, quod impertiretur, aut Tridentinos Patres veterem agendæ ſatisfactionis morem reſtituiſſe.

XXVI. Reliquum eſt ut videamus utrum Tridentinum Concilium ſex, aut ſeptem aperuerit vias, quibus agendæ ante abſolutionem ſatisfactionis modus reſtituatur, quod eſt alterum, quod nonnulli ſe demonſtrare poſſe non dubitarunt. Hoc autem ut præſtent Principio objiciunt Concilium Tridentinum teſtari ſe Apoſtolicas omnes Traditiones reſtituere, ſeque nihil aliud in votis habere, quam veterem Eccleſiæ diſciplinam in ſtatum priſtinum revocare. Undenam vero dicant hoc Tridentini Patres nos non docent, neque aliquam, quod ipſis certe prodeſſe potuiſſet, ſententiam citant, ita ut dubitare liceat de hac illorum aſſertione. Placuit nihilominus Concilii Tridentini decreta pervolvere, & diligentius ſcrutari; unde factum eſt quod aliqua invenimus, quæ hic ſubjicimus, ut quiſque cognoſcat quanti ponderis ſint futura.

In Decreto de Canonicis Scripturis quod Patres Tridentini in Seſſione IV. promulgarunt hoc legitur: *quod cum perſpectum eſſet Synodo veritatem omnem, & morum diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, ipſa* Syne-

Synodus Orthodoxorum Patrum exempla secuta, se omnes libros, tam veteris, quam novi Testamenti, nec non Traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur. In Decreto item de Justificatione quod exhibet Proœmium Sessionis VI. dicitur, quod exponere intendit Concilium *veram, sanamque Doctrinam ipsius justificationis, quam J. C: docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia perpetuo tenuit*. Postremo in capite 8. Sess. XIV. ubi Concilium agit de Satisfactione, inquit: *Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*.

Hæ sunt Concilii sententiæ. Quid tum vero? Ex his ne argumentari licet esse priorem illam inventam viam, qua duce Concilio recta perveniri possit ad probationem Propositionis Adversariorum? Nemo certe id sibi persuadebit ex his verbis Concilium viam ullam aperuisse, qua prædicta satisfaciendi ratio in usum admittatur. 1. Quia nihil hujus moris in citatis locis a Concilio ex Traditione concluditur. 2. Quia in cap. 14. Sess. VI. agens Concilium de lapsis, & eorum reparatione, *docendum est*, inquit, *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem saltem in voto, & tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosinas &c.* Ubi videmus non tam ritum, quam ordinem actionum Pœnitentiæ, quibus hic ritus perficitur, esse a Concilio præscriptum. 3. Quia in citato capite 8. Sess. XIV. inquiens concilium, quod Divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ostendit, quod non peracta, sed imposita satisfactione decet illa dimittere, quod onus satisfactionis post alia, quæ in hoc capite sunt notata, Concilium repetit cum antiquis Patribus a virtute clavium data non ad solvendum dumtaxat, sed etiam ad ligandum, quia & tenentur Pœnitentes injunctam satisfactionem suscipere, & susceptam executioni demandare, quatenus ergo Sacerdos peccatorem obbligat ad hanc satisfactionem, dicitur retinere, seu ligare, & hoc modo positive, ac directe ligat ad hanc pœnam determinatam, per quam vult talem reatum expiari. Hoc insuper addimus id non sufficere quod in contrarium quis objicit, nisi in casu, quod ulterius demonstretur Concilium Apostolicas traditiones omnes voluisse restituere, & universos veteris pœnitentiæ ritus inter Apostolicas traditiones contineri. Desideratur itaque hujus rei aliquod efficax argumentum, non secus ac desideratur quod aliquis probet inter universos veteris Pœnitentiæ ritus eum maxime contineri, ut non possit vetus Pœnitentia restitui, quin & peculiaris ille ritus revocetur.

XXVII. Ex iis, quæ primæ viæ deesse jam animadvertimus, alterius viæ tramites occluduntur omnino, cum falsissimum sit Concilium antiquos omnes de moribus Canones innovasse, & de muneribus Ecclesiasticorum; desunt enim documenta, quibus id possit probari, & quod citatur caput primum Sessionis XXII. in Decreto Reformationis, de re, quæ controvertitur nihil agit omnino. Laudari potuisset caput 1. Sess. VI. in Decreto Reformationis, ubi Concilium ait: *ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam* -id

disciplinam, depravatosque in Clero, & populo Christiano mores emendandos se accingere; sed cum Concilium in hoc capite agat de qualitatibus eorum, qui ad Episcopatum assumi debent, & de residentia Episcoporum, pro qua stabilienda, placuit Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum incuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, & sileat penitus Satisfactionem esse absolutioni præponendam, quisque videt, quo se tenebrarum recipiant, qui Concilium suam in sententiam traducunt. In proemio Sessionis XIV. pollicentur quidem Tridentini Patres se velle demonstrare, & convellere Spiritus Sancti præsidio universos errores, qui circa Sacramentum Pœnitentiæ emerserant: Verum inter hos errores esse accensendum inductum pluribus ab hinc sæculis morem, qui injunctam satisfactionem complet post acceptam reconciliationem, nullus sanæ mentis Theologus affirmabit. Quidquid fuit in Ecclesiæ moribus positum Nicolaus Thuanus Carnotensis Episcopus in sua Collectione Institutionum ad Sacramentorum Catholicæ Ecclesiæ intelligentiam descripsit, testatus se se omnia Concilii Tridentini Decretis accomodare; differens itaque de Sacramento Pœnitentiæ, *quandonam*, inquit, *indicitur Satisfactio? Illa proponitur*, respondet, *& indicitur ante absolutionem, sed post eam re ipsa perficitur*. Si aliud a Concilio Tridentino fuisset statutum, profecto aliud docuisset Thuanus, nec ipse Thuanus solus, sed etiam Manuale Parisiensis Ecclesiæ anni 1601. Manuale Ecclesiæ Carnotensis A. 1604. Cabillonensis 1605. Sacramentale Ferrariensis Ecclesiæ A. 1616. Burdigalensis A. 1611. & Genevensis editum a S. Francisco Salesio ad præscriptum Romanæ Ecclesiæ A. 1612. qui omnes Rituales Libri in ordine satisfactionis nihil mutant, quia illorum Auctores mutandum nihil ab eis, qui Tridentino interfuerunt, acceperant. Neque Antistes Sanctissimus Franciscus Salesius Commonitorium scribens anno 1617. ad suæ Diœcesis Confessarios in capite 9. ordinem eumdem commendasset, si omnis retro a Concilium Traditio, aliud sensisset, & Concilium ipsum in danda reconciliationis gratia aliam Disciplinam sanxisset. Nugas itaque potius habemus, quam Vias esse oblatas ad veritatem inveniendam, tum duas recensitas, tum ceteras, quas sibi aliquis pollicetur se posse invenire iter faciendo per caput 5. Sess. XIV. deinde progrediendo ad 8. & aliquantisper persistendo in Canone 13. & 14. tandem gressum ultimum movendo ad caput octavum Decreti de Reformatione Matrimonii in Sessione XXIV. editi, cum in singulis his locis ad alia se convertat Concilii sententia, ut cuilibet patebit citata loca consulenti. Omne ergo evanuit jam effugium contrariæ Opinionis, dum vias omnes occlusimus, quas observavimus nullo munitas testimonio eorum Theologorum, qui vel Concilio interfuerunt, vel Tridentino Concilio suppares fuerunt, quoniam testis nullus allatus est, & plures pro nostra sententia supra enumeravimus, & adhuc uni Corcirensi Archiepiscopo locum relinquimus, ut suam Caussam tueatur contra Lutherum de hoc agendæ pœnitentiæ ritu disputantem in libro 1. de Auctoritate Papæ cap. 17. ut clarius, & uberius confirmetur nullius esse roboris quæcumque illa momenta, quæ contra eamdem consuetudinem excogitari, & objici nunc possunt. Titulus Disputationis sic exponitur: *Cur primis Ecclesiæ temporibus solebant Pœnitentiæ ante absolutionem infligi?* Affirmabat enim Lutherus vanum fuisse agendarum satisfactionum morem, qui suo tempore in Ecclesia observabatur, quia non erat is, qui olim fuit, & addebat hæc 4. argumenta.

I, Pri-

I. Priscus erat Ecclesiæ mos pro peccatis pœnitentiam prius injungere, qua peracta absolutio sequebatur, quoniam pœnitentiæ finis absolutio esse videtur. cum itaque modo oppositum fiat, vanum esse morem istum cognoscimus, quia finem præponit iis, quæ ad illum sunt suo jure directa. Illum autem fuisse Ecclesiæ morem, docet quæ observatur homicidii pœnitentia.

II. Id auctoritas Hieronymi probat, qui suam Fabiolam in hunc modum scribit absolutam fuisse, & D. Ambrosii, qui eodem pacto Theodosium Imperatorem absolvit. Ita Cyprianus 3. epistolarum libro fieri docuit; ita Tripartita, & Ecclesiastica historia; ita Dionysius Areopagita factum esse commemorat.

III. Neque Christus Jesus nisi post lachrymas, & humilimam afflictionem Magdalenam absolvit.

IV. Joseph legitur multis afflictionibus Fratres suos tentasse, ut exploraret an erga illum affecti essent, & denique in gratiam illos suscepit.

His argumentis ita occurrit Corcyreusis Archiepiscopus. *Ad primum nihil absurdi est pœnitentiam gratiam præcedere, aut sequi. Etsi enim gratia finis est, cum tamen pœnitentiæ acres magna cum difficultate ferantur, atque ideo sæpius omittantur, hinc rectius factum est, ut per satisfactionem, confirmationem accipiant. Neque finis iis, quæ ad ipsum directa sunt, ea ratione præponitur, quod necesse sit, ut aliqua interior pœnitentia gratiæ consecutionem præcedat. Satisfactio autem, quæ subit pœnitentiæ nomen, gratiam pro fine non habet, sed pœnarum diminutionem in Purgatorio, aut præcedentis gratiæ augmentum, ut dictum est.*

Ad 2. Institutionis illius observationem negare non possumus, quæ una ex parte, ut constat, melior videbatur, sed durior ex alia, nostra hæc mitior, tutior, atque ideo simpliciter melior judicanda. Quæ tamen parum, ut scias, imò nullatenus differunt. Nam Confessionis judicium in utrâque satisfactionis sententia sequitur, & pœnitentia ante absolutionem erat satisfactio, veluti modò post absolutionem. Siquidem ante pœnæ dilationem Confessionis judicium præcessisse opere pretium est. In quo judicio pro satisfactione a Canone, aut ab homine pœna erat inflicta, quæ ut verisimile est gratiam sequebatur, & absolutio postmodum facta, non erat nisi præcedentis gratiæ signum, quam peccator sibi ex acri pœnitentia comparaverat.

Ad 3. dici similiter potest per contritionem Mariam Magdalenam fuisse gratiam consecutam: Deinde lachrymas effudisse, & denique Dominum illi solutionis signum dedisse, quando Contritionis mensuram ipse cognoverat. Quod quidem signum illius gratiam auxit.

Ad 4. Si Joseph fratres suos, ut de eorum benevolentia tentaret afflixit, memineris se eos ob peccata, quæ in illum commiserant, tot & tanta mala pati dixisse, ut 42. Geneseos capite commemoratur, atque ideo agentes pœnitentiam, a Deo sunt gratiam consecuti antequam Joseph illos ipsos in propriam acceptaret,

XXVIII. His responsionibus quæcumque solvitur Lutheri difficultas, & ulterius convincitur satisfactionis necessitas in utraque consuetudine, ex quo fit agendæ satisfactionis morem introductum, non favere generali omnium hominum impœnitentiæ, quod alicui Recentiori Theologo visum est. Concluditur etiam quod si veterum Patrum consuetudo non sine ratione introducta est, ita alia rationabili causa accedente, nova introduci potuit, quæ licet (ut idem ait Recentior Theologus) *ab originali praxi: ab Apostolica praxi: ab*

 omnium

omnium Patrum praxi: *ab universali Ecclesia per Sæcula fere* XII. *praxi recedat*, non propterea, qui illam sequuntur, recessisse creduntur ab una è præcipuis Ecclesiæ notis, antiquitate nimirum, & successione Doctrinæ, cum hanc constantissime tueantur, dum ea proponit, quæ Divinæ institutionis sunt, vel præcepti; ut quod in Sacramento Pœnitentiæ imponatur satisfactio (quod testantur verba S. Leonis alibi citata) & quod imposita satisfactio peragatur; & ab illa tunc solum recedant, dum ea proponit, & præcipit, quæ pertinent ad disciplinam, quæ infirmitati fidelium se se accomodat, ut in sua ad Exuperium epistola scripsit Innocentius I. Unde sequitur, quod unum, & idem non est asserere aliquid esse in veteri disciplina, & traditione, ac eam disciplinam, & traditionem esse Divinam, ut inter cetera hoc demonstrant pleraque eorum, quæ in ordine Baptismi olim peragebantur, & adhuc fiunt ex antiquissima certe traditione profecta, sed non a Divina, ut Ecclesiæ Patres, & consentientes Theologi declararunt.

XXIX. Addo postremo quod si Concilium Tridentinum censuisset revocandam esse veterem illam disciplinam, vel illius revocandæ viam aliquam aperuisset, Joannes Gropperus Coloniensis Ecclesiæ Archidiaconus, qui sententiam de Satisfactione ante Absolutionem implenda prius docuerat in Christianæ Institutionis Enchiridio, quod nomine Concili Coloniensis anno 1536. ediderat, & postea retractavit in sua Institutione Catholica, quam vulgavit anno 1557. scribens sub hoc titulo: *Non relaxari in Ecclesia gravia crimina, nisi satisfactione suscepta, & peracta*: *In summa hoc constat non relaxari rite per Sacerdotes gravia a baptismo commissa crimina, nisi facta exomologesi, & peracta publica, si publica sint crimina, vel privata, si secreta sint, Satisfactione ab ipsis Sacerdotibus suscepta*, Concilii Tridentini auctoritate alteram hanc opinionem confirmasset, tum ut assertionem suam, quæ tunc inter Catholicos Auctores erat maxime singularis, efficacius tueretur a novitatis invidia, tum ne videretur auctor, & Propugnator Sententiæ, quæ haberi poterat a suis Adversariis tamquam hæretica. Si igitur ab hoc testimonio Gropperus abstinuit, qui, tamen aliquando non abstinuit Tridenti de Appellationibus disputare (ut narratur) non alia id ratione præstitit, nisi quia, nihil statuisse cognovit Concilium, ut satisfactio ante absolutionem expleretur, neque Concilium ipsum plures aperuisse vias, quibus hic agendæ satisfactionis modus injungeretur.

XXX. Nostrum non est nunc inquirere utilius ne sit quod antea, aut post absolutionem impleatur satisfactio, cum certum sit ea in melius mutari quæ in Ecclesia mutantur, ut scripsit Bonifacius VIII. extra de Sentent. Excom. *Alma mater Ecclesia nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subditorum utilitate postmodum revocat, & in melius commutat*. Notari solum potest recentiorem hanc disciplinam ab Indulgentiarum largitione originem desumpsisse, quæ ubi passim Sæculo duodecimo concessæ sunt, statim pœnitentibus post Confessionem donari cœpit Absolutio, & sensim secuta est Canonicarum pœnarum fere omnimoda relaxatio, accedente maxime humana Christianorum consequentium temporum fragilitate, quæ satisfactionem exhibere non poterat numeris omnibus absolutam, & tanto charitatis animatam fervore, quantus ad placandam Majestatem Divinam Canonum Pœnitentialium usu par esset. Illud etiam in caussa esse potuit, quod cum probe sciret sæculi posterioris Ecclesia satisfactiones injungi solere propter Deum propi-

piandum pœnitenti, neque tamen tantam disciplinæ severitatem propter solum reatum mortis æternæ dissolvendum necessariam fuisse, sed sufficere, quod plena quoad posset remissio peccatorum obtineretur, pristinumque in statum peccator restitueretur, aut ad id certe quam proxime accederet; iis de causis sine præjudicio sanæ, veterisque doctrinæ fieri posse putavit, ut satisfactio post absolutionem Sacramentalem imponeretur, aut imposita compleretur. Neque enim sic minus fructus consecuturi erant fideles de pœnitentia, cum & vi Sacramenti absolverentur a reatu damnationis æternæ, & quod reliquum erat in temporariis pœnis, id postea satisfaciendi sedulitate diluerent, idque tanto efficacius, quanto esset pretiosior ipsa coram Deo satisfactio, quam & Filius offerret, & inhabitans Christi Spiritus produceret, & charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta commendaret.

§. IV. *Ab effectibus absolutionis, quos supra recensuimus in* I. §. *aliæ Conclusiones examinandæ seliguntur.*

XXXI. Inter Absolutionis effectus, quos supra recensuimus in 1. §. ennumeravimus instaurationem omnium meritorum, quæ per subsequens peccatum jam fuerunt deperdita. Explicatione indiget hæc propositio, non secus ac altera, quæ huic præmittitur: Spectat etiam ad vim hujus formæ restitutio virtutum, & gratiæ deperditæ, quæ singulæ propositiones contrarias patiuntur difficultates, hoc itaque in loco de illis breviter agemus, ut sic tota hæc de Absolutione Controversia perficiatur. Primo itaque dum dicimus quod *Absolutionis virtute, qua remanserunt per Peccatum subsequens mortificata merita, omnia reviviscunt*, statim præsupponimus peccata semel remissa per subsequens aliquod Scelus redire, quod ut intelligatur advertendum est, non redire hæc peccata quoad esse Physicum, neque redire quoad esse Morale, alioquin frustra apud Ezechielem 18. Deus promisisset: *Si impius egerit Pœnitentiam omnium iniquitatum ejus non recordabor;* & verba ipsa Absolutionis sui effectus suspensionem non exprimunt ex conditione subsequentis peccati. Quodcumque igitur illud sit, quod in peccato consideretur sive actio ipsa inordinata, sive reatus culpæ, sive reatus pœnæ æternæ, nihil horum reviviscit, aut, ut ajunt, formaliter redit, si quis post Pœnitentiam iterum labatur; nec paritas ex reviviscentia virtutum quidquam probat propter conditionem principii, a quo illæ prodeunt, nam restitutio virtutum est opus Dei, Deus autem peccati auctor esse non potest. Itaque Peccata præterita reviviscere nihil aliud est, quam nova peccata exurgere graviora, & rationem reddit hujus majoris gravitatis Apostolus Petrus in sua 2. Epist. c. 2: *melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, Sancto mandato:* contingit enim eis illud veri proverbii: *Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti*; unde postea de his, qui semel illuminati prolapsi sunt scribens Apostolus ad Hebr. 6. *Impossibile eos esse*, ait, *rursus renovari ad Pœnitentiam*. Hanc reviviscentiam explicans D. Thomas p. 3. q. 88. a. 2. inquit: *Peccata redire dicuntur in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti. Ingratitudo autem potest committi dupliciter. Uno modo ex eoquod aliquid fit contra beneficium. Et hoc modo per omne peccatum mortale, quod Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui pecca-*

ea remisit. Et sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa ratione ingratitudinis. Alio modo committitur ingratitudo, non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii præstiti. Quæ quidem forma, si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum: unde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet. Si autem attendatur ex parte Pœnitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur ex parte ejus duplex motus liberi arbitrii. Quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ, & contra hoc facit homo apostatando a fide. Secundus autem est motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus Pœnitentiæ. Ad quem primo pertinet, ut supra dictum est, quod homo detestetur peccata præterita, & contra hoc facit ille, qui dolet se pœnituisse. Secundo pertinet ad actum Pœnitentiæ, ut pœnitens proponat se subjicere clavibus Ecclesiæ, per Confessionem, secundum illud Psalmi 31. Dixi Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat. Et ideo dicitur, quod specialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa. Quod explicat D. Thomas in his quatuor peccatorum speciebus propter graviorem eorumdem malitiam extendi potest ad omnia, ita ut ex hoc fonte repeti possit omnium in quacumque specie reviviscentia, si quis post Pœnitentiam quomodocumque peccaverit. Hanc majorem gravitatem repetebat Tertullianus in cap. 5. libri de Pœnitentia ex Divino contemtu, quòd qui rursum peccat Diabolum Domino præponat, qui tamen contemptus facile ad ingratitudinem revocatur. Huic ipsi gravitati alludunt illa Christi verba Joannis 5. *Vade noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat*, & illa quæ apud Lucam capite 11. leguntur, quibus Dominus infelicem illius hominis statum exponens, qui in secunda relabitur scelera inquit: *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

XXXII. Ex hoc quod ostensum est peccata reviviscere, sequitur modo ut explicemus eorum reatum non integre reviviscere per peccatum subsequens. *Manifestum est*, inquit laudatus S. Thomas loco cit. a. 3. quod *non est necesse, quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum, sed necesse est, quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa plura fuerunt, & majora, tanto redeat major reatus per qualecumque sequens peccatum mortale, licet enim ceteris paribus, quo majus est beneficium, & major fit ingratitudo, tamen ubi cetera non sunt paria, & respectu ejusdem beneficii, & respectu minoris potest esse major in gratitudo ex majori contemptu, vel majori offensione; unde sequitur, quod quamvis ille, cui plura, & majora peccata remissa sunt, ex eo capite graviter peccet post Pœnitentiam iterum relabendo, quam cui minora, vel pauciora fuerant remissa peccata, non tamen necesse est, ut tantum in ea ingratitudine peccet quantum prius offenderat in peccatis dimissis, quia poterant esse in illis peccatis alia circumstantia, vel rationes majorem gravitatem conferentes.*

Iis, quæ diximus non adversantur, nec Scripturarum, nec Patrum testimonia, quamquam id putent illi Theologi, qui docent reatum peccatorum remissorum integre reviviscere per peccatum subsequens, quod præsertim probant ex verbis illis Mulieris Sareptanæ, quibus sic Reg. 3. cap. 17. Eliam al-

alloquitur: *Quid mihi, & tibi vir Dei ingressus es ad me, ut rememorarentur, iniquitates meæ*: & ex illis Psalmi 108. *in memoriam redeat iniquitas patrum ejus*: & rursus ex illis Psalmi 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ*, & iterum ex verbis Matth. 18. *Omne debitum remisi tibi, quia rogasti me*: *Non exeat inde, donec solvat universum debitum*; quæ verba repetens Ambrosius in cap. 4. ad Ephes. in fine ita scripsit: *Donate invicem si alter in alterum peccat, alioquin Deus repetet dimissa*; *quemadmodum* scripsit etiam Augustinus in caput 6. Sermonis 15. de verbis Domini eamdem sententiam exponens: *Si non dimiseris revocabo te, & quidquid tibi dimiseram replicabo*.

XXXIII. Neminem latet hæc duo maxime oportere esse distincta remittere pœnam, & non punire peccata, sæpe enim accidit peccatorum culpas esse remissas, non vero iis debitas temporales pœnas, quarum multo tempore aliquando executio differtur, etiam usque ad Posteros eisdem afficiendos, præsertim si peccata Parentum imitati fuerint, ut Augustinus contra Adamantum scribens capite 7. notavit, & notavit Hieronymus in 18. Ezechielis.

Latere etiam neminem potest Deum oblivisci peccatorum, non significare Deum peccata remittere, quo ad illam pœnam respectu cujus dicitur Deus oblitus talium peccatorum, quia scilicet talem pœnam propter illa non operatur; sed significat diuturnam dilationem talis pœnæ, quæ cum executioni non mandetur, a nobis consideratur tamquam oblita, præsertim si peccantibus nobis Deus patiens sit, dissimulet, & aliquando etiam beneficiis nos repleat.

XXXIV. His adnotatis facilis est intelligentia Scripturarum, quæ præcipuum Adversariorum argumentum componunt. Mortem Filii sui Sareptana mulier lamentabatur, quia illam contigisse verebatur in suarum præteritarum culparum pœnam, propterea dubitantis instar Eliam, quem in domum suam hospitio receperat sciscitatur: *Quid mihi, & tibi vir Dei ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum*? Sic quoque David Divinam ultionem petens in quemlibet hostium suorum, suamque postulans declarari innocentiam propter calumnias (quarum multas passus erat) orat quod in memoriam revocetur nequitia Majorum ejus apud Creatorem, nec etiam nequitia ejus Matris oblivioni mandetur, ut quemadmodum ipse promiserat Exodi 20. se *visitaturum peccata Patrum in Filios*, in illos tandem animadverteret graviore supplicio dignos, quod pertinaciter Majorum suorum impietatem essent imitati. Ceteroqui bono viro nemo pœnas Majoribus suis debitas infligi a Deo optare potest, ut tamen potest optare exemplo ejusdem Davidis, quod propter hæc peccata non meminerit Deus iniquitatum nostrarum antiquarum: Si igitur in his Scripturis nihil aliud exprimitur, quam quædam vindictæ species, quæ a Deo reservatur, ut peccata, quæ jam fuerunt remissa, quoad culpam, & pœnam æternam temporaliter puniantur, quia tali pœna nondum fuerant punita, patet non posse ex iisdem Scripturis probari, quod vetera peccata reviviscant. Quamquam nihil etiam prohibet, quod dicamus reviviscentiam peccatorum, si hæc erui debeat ex citatis Scripturis, non esse illorum, quæ jam fuerunt remissa, sed aliorum, quæ denuo patrata sunt gravitate eadem, & eadem malitia, ut fuerant patrata illa, quorum oratur Deus, ut recordetur, aut quorum dicitur Deus recordari, ita ut id, quod reviviscit, & redit sit malitia, & gra-

vitas

vitas peccati, quæ fuerat jam in remissis, & quorum Deus fuerat oblitus, & sic etiam possunt intelligi peccata redire secundum specificam rationem. Non inferioris notæ Theologi probarunt hanc explicationem, quæ (rem attente consideranti) non rejicitur ab Evangelicis verbis citatis, neque a Patrum doctrina. *Et iratus Dominus*, scribit Matthæus, *tradidit eum tortoribus quoad usque redderet universum debitum*, quid per universum debitum nisi debitum de novo contractum per novam ingratitudinem? Loquitur autem Christus Dominus de hoc debito, tamquam de eodem, quia respectu Dei secundum substantiam idem debitum æternæ pœnæ contrahitur, & quoad culpam incurritur eadem avversio a Deo. Ita pariter Augustinus redire interdum dicit dissimilia peccata, ut sunt Schisma, hæresis &c. aliquando ait redire similia, quæ vocat eadem, non quia eadem iterum imputentur, sed quia similia iterum committuntur, vel virtute per ingratitudinem, vel formaliter permittente Deo, & quasi deserente, & ita intelligendus est Chrysostomus cum homil. 62. in Matth. ait: *Charismata irrevocabilia propter hanc malignitatem revocat*, & ita intelligendus est Ambrosius in loco ab Adversariis citato, licet illa verba Ambrosii non sint, qui tamen in loco citato hæc scribit: *Si Dominus per filium suum servorum misertus est, quanto magis servi ipsi, sui debent invicem misereri, & donare, si alter in alterum peccet? Hæc præcepta ejus sunt, qui miseratus est, qui si in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam*, scilicet justitiam prius collatam auferet, vel ut. alii interpretautur, quoad pœnam temporalem nondum executioni demandatam. Unicam dicimus Scripturam ex Psalmo 37. excerptam sine ullo fundamento ab Adversariis opponi, cum constet illis verbis sicuti, & præcedentibus, & insequentibus excurrere S. Prophetam ad explicandam infelicitatem, miseriam, & ærumnas peccantium, & in recensendo mala illa, quæ vel in anima, vel in corpore sequuntur post peccata: quare ad litteram hæc verba *putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*, id sonant: quæ erant livida in corpore meo in pus conversa sunt fœtens, & tabidum, idest fluens propter insaniam meam, quia leges tuas perfregi. Sed quid hæc cum peccatis remissis? Quod si Augustinus peccata Cicatrices appellat, notat tamen sic appellari non peccata remissa, sed inveterata, & exteriori tantum specie curata: quamquam Cassiodorus in Glossa interlineari potius has Cicatrices interpretetur, per reliquias peccatorum; quia inquit, *planè per baptismum sanatæ computruerunt, & jam peccato consentitur*.

XXXV. Principali propositioni Præsupponitur 2. per peccatum subsequens priora merita manere mortificata, quod nihil aliud est, quam respectu talis personæ inefficacia reddi ad vitam æternam consequendam propter impedimentum peccati. *Dicuntur*, inquit D. Thomas hic q. 89 a. 4. *res mortificari, quando impediuntur a suo proprio effectu, vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad vitam æternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundum hoc opera in charitate facta mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale*, seu ut ait in responsione ad 3. *non propter fortitudinem operum peccati, sed propter libertatem voluntatis, quæ potest a bono in malum deflecti*. Ex mortificatis meritis sequitur, quod operationibus meritoriis vita adimatur a subsequentibus peccatis, & statim maximum esse discrimen inter hujusmodi opera, & reliqua, quæ vel mortua, vel mortifera dicuntur. Mortua

enim

enim sunt, quae ponuntur ab homine gratia destituto, quae vita animae appellatur, mortifera vero sunt, quae illa agentem separant a Deo, & sunt omnia peccata mortalia. De his posterioribus operibus perperam quaeritur utrum revivifcant, reviviscere enim non potest, qui numquam vixit, & ita opera mortua, non possunt reviviscere, & illa quae formaliter vitam excludunt, & vitae penitus sunt incapaces, ut peccata: ita vero responderi non potest de operibus mortificatis, quamquam contrarium aliqui dixerint, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint, haec autem ratio incongrua est, nam non propter hoc talia opera reviviscunt, sed secundum quod remanent in acceptatione Divina, quia ut docet D. Thom. loco citato a. 5. *Sic remanent quantum est de se, quia semper Deus illa opera pro ut facta fuerunt acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt secundum illud Apocal.* 2. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, & hinc assignat idem S. Doctor discrimen inter peccata, quae per Poenitentiam dimissa non redeunt, & bona opera, quae per subsequens peccatum mortificata per Poenitentiam reviviscunt, quia merita non abolentur, seu destruuntur in se, sed solum ex parte hominis ponitur impedimentum. Peccatum vero cum remittitur, in se ipso destruitur, ac aboletur, & aufertur ab homine in quo erat.

XXXVI. Hanc bonorum operum reviviscentiam a Deo promissam fuisse in Capite 2. Joelis legit Hjeronymus. Cum enim dixerit Deus per Prophetam. *Convertimini ad me in toto corde vestro .... & reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*, illa sic interpretatur: *Annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, erucaque consumpserant, Deus vobis perire non passus est: tunc comedetis fructus justitiae, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia*. Rem eamdem agnovit Ambrosius agens de Filio prodigo, & Augustinus in Epistola ad Macedonium dicens, *quod super peccatores facit Deus oriri solem suum*, & addit, *nec minus tribuit, quam ante tribuerat muneravita, & salutis*, nec discrepat Chrysostomus relatus in dist. 3. de Poenit. c. *talis*, ubi de Poenitente loquens inter alia inquit, *quod Deus suscipit illum, & libenter amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum*. Facit ad idem Glossa super Leviticum 7. dicens, *aeque places Deo virtus justorum, & Poenitentia peccatorum, quae restituit in gradum pristinum David, & Petrum*: Idem repetit Glossa super Epist. ad Hebr. 6. scilicet, *quod opera priora, quae per subsequentia peccata mortificata sunt per Poenitentiam reviviscunt*.

XXXVII. Videntur quidem aliquibus haec non tuto affirmari si considerentur casus illi, in quibus totum id non restuitur, quod irreparabiliter dolemus ammissum. Certe in Baptismo, per quem peccatum remittitur, non restituuntur bona, quibus homines ob peccatum privati fuerunt; nullus enim est, qui affirmare possit, quod restituatur Justitia originalis, Immortalitas, & universale rerum omnium Dominium, quibus rebus in Statu innocentiae homines fruebantur, & ob peccatum privati sunt. Nullus etiam affirmabit, quod quantum homo poeniteat, & satisfaciat, si post Baptismum fuerit lapsus, illi Baptismalis innocentia restituatur. Numquid Virginitatis Laureola iis, qui illam per peccatum ammiserint, quamquam plene Poenitentibus restituetur? Concludi ergo potest etiam non omnia opera bona esse restituenda, & singula

gula debere reviviscere, quia integram, quis obtinuerit patratorum criminum remissionem. *Si averterit se justus* legitur Ezechiel. 18. *a Justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

XXXVIII. Bona, quibus contingit homines per peccatum privari multiplicis sunt differentiæ. Quædam, quæ reparari non possunt, ut virginitas semel ammissa, ut sanitas, & vita corporalis, ut donum scientiæ, linguarum, virtutum, & Prophetiæ, sine quorum restitutione, potest peccatum totaliter remitti. Alia vero bona sunt, quæ ad beatitudinis essentiam pertinent, ut visio beatifica, & gaudium Dei, ad quod fuerat homo prius ordinatus, & ex consequenti gratia illi beatitudini prævia. Ad hæc aquisiverat homo jus per sua bona opera, & per obsequia Deo impensa. Non igitur Justitia originalis, immortalitas corporis, Status innocentiæ, Dominium universale rerum, res illæ sunt, quæ ad essentiam beatitudinis pertineant, ideo non mirum si peccato plene condonato, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam, illæ in se formaliter non redeant, bene vero bona illa reparari opus est, quæ ad beatitudinis essentiam pertinere dicuntur. Integra quoque sanitas illa restituenda est, a qua per qeccatum excidimus, & *ad quam*, ut inquiunt Tridentini Patres Sess. xiv. cap. 2. per *Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus*, quidquid gratiæ, & meriti per peccatum ammiseramus, per absolutionem recuperandum est, & opus est quod reviviscat gratia Sanctificans, reviviscant virtutum dona, & ut diximus bonorum operum merita. In qua vero mensura hoc fieri debeat? pro majori, vel minori Pœnitentia docet S. Thomas loco citato q. 89. a. 2. *Contingit autem* (sic ille) *intensionem motus Pænitentis quandoque proportionatum esse majori gratiæ, quam illa, a qua exciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. Nullum tamen inde detrimentum sequetur. Siquidem si in minori charitate resurget consequetur, quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis in qua invenietur, habebit gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda facit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Textus vero citatus ex prophetia Ezechielis, non probat contra nos, quasi ex hoc textu sic liceat argumentari: sicut peccata priora subsequente Pœnitentia non amplius redeunt, nec ad æternam pœnam imputantur; ita & merita antiqua subsequente peccato non amplius redeunt, nec ad gloriam acceptantur, quod videtur Glossa confirmare, quæ ibidem ait: *Sicut justum ante peccatorem non gravant antiqua delicta, sic peccatorem ante justum veteres justitiæ non juvant.* Nullus enim est, qui non videat in hac Scriptura agi de peccatore in peccatis suis permanente, quod illum suæ justitiæ veteres non juvant, ut salvetur, quod maxime verum est, dicente Gregorio Magno: *in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia præteritorum bonorum.*

XXXIX. Quod obiter diximus de reviviscentia meritorum, & gratiæ nos præparant ad illas dirimendas difficultates, quæ contra alterutram ex superioribus expositis Propositionibus moveri possunt. Primo itaque ab aliquibus non intelligitur, cum Contritio per quam Pœnitens resurgit sit dumtaxat moralis dispositio ad reviviscentiam meritorum ex mero Dei beneplacito, cur dici debeat, quod hæc merita solum reviviscant juxta Contritionis

nis mensuram, & non secundum omnes gradus, quos ante peccatum numerabant. Stante etiam hac hypothesi, 2. non videtur, quomodo Tridentini Patres plenam, & perfectam meritorum reviviscentiam docuerint in cap.16. Sessionis vi. ubi dixerunt: *Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur*. 3. Insuper difficultatem faciunt verba ipsa S. Thomæ postremo loco citata, cum ex illis eruatur quod merita illa, quæ pro mensura contritionis reviviscunt, non reviviscunt ad gloriam essentialem, sed dumtaxat ad præmium accidentale.

XL. Antequam hæ difficultates dissolvantur opportune advertimus cum eodem D. Thoma loco cit. art. 2. *Quod formæ, quæ possunt recipere magis, & minus intenduntur, & remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti, & inde sequitur quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior, vel remissior secundum hoc Pænitens consequitur majorem, vel minorem gratiam*; quare non semper homo per pœnitentiam recuperat totam gratiam, quam habebat ante peccatum, non secus ac innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, nisi juxta actuum, & dispositionum præsentium proportionem. Cum ergo gratia sit potissimum fundamentum omnis meriti, sequitur quod etiam præcedentia merita juxta hanc mensuram augebuntur, & reviviscent juxta Contritionis mensuram. Nec fundamento caret hæc regula, quod coincidit cum solutione primæ difficultatis. Dicimus ergo Deum voluisse proportionem inter reviviscentiam meritorum, & contritionem salvari, ut dum Divinam ejus experti fuissemus misericordiam, non negligeremus Divinam quoque ejus justitiam contemplari, quæ peccatorem restituit solum in illum pristinum gratiæ gradum, & gloriæ per illam pœnitentiam, quæ illi proportionatur, non per quemcumque, & ita justis tepiditatis, & peccatoribus facilitatis ad peccandum viæ occluduntur, & qui jam justificati sunt ferventius accenduntur ad hoc, ut per validiores Contritionis, & Charitatis actus restituantur præteritorum meritorum integritati; ex quo intelligitur, quod quantum est ex parte Dei, & virtutis Pœnitentiæ, merita per peccatum mortificata reviviscere possunt, tum quia Deus non obstat: tum etiam quia pœnitentia, quantum est de se, hunc effectum non removet, qui si non contingat, solus homo hujus defectus est auctor, qui solus non se disponit per charitatis actus intensos, & Pænitentiæ, ut illi contingat plena, & perfecta meritornm omnium reviviscentia: & hoc illud est quod Tridentini Patres in citato cap. 16. Sess. vi. explicarunt, & in secunda difficultate postulatum est, & quod jam a Tridentinis Patribus non dissentiens D. Thomas docuerat cum loco cit. a. 2. ad 1. scripsit *pœnitentia quantum est de se habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum: sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum, & in detestationem peccati*.

XLI. Dicimus postremo sententiam ex D. Thoma citatam in 3. difficultate, vel aliam, quæ citari posset ex 3. Sentent. dist. 31. q. 1. a. 4. ad 4. ubi legitur: *Homo per priora merita mortificata merebatur tantam gloriam, quantam charitatem habebat, sed ipse per peccatum factus est alter, & non plenarie ad pristinum gradum restitutus, ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale*, non adversari huc

 usque

usque dictis, quia in neutro ex his locis negat S. Doctor, id quod a nobis explicatum est, sed id solum asserit, quod ubi jus ad essentiale præmium post peccatoris reviviscentiam tantum non est propter remissam contritionem, quantum fuerat prius quam peccaret, superest pœnitenti excessus præcedentium meritorum, quorum intuitu solum habet jus ad præmium aliquod accidentale, nimirum ad gaudium majus propter opera, quæ in priori charitate peregit, nec suum jus ad præmium essentiale augebitur, nisi per Contritionis augmentum, & pœnitentiæ labores, præterita merita illi fuerint ex Divina largitate restituta.

XLII. Certe Scholasticorum Theologorum torsit ingenia citata ex Angelico Præceptore Sententia, ita ut plures in diversas abierint explanationes, a quibus recensendis supersedemus, cum satis nobis ex dictis constet ejusdem S. Doctoris mentem illos Theologos assecutos esse, qui responsionem nostram excogitarunt: ex qua satis liquet S. Thomam non admittere illorum opinionem, qui volunt quod merita mortificata reviviscant ad totam gloriæ latitudinem independenter a subsequenti dispositione; neque aliam sententiam docuit Tridentinum Concilium in cap. 7. citatæ Sess. ubi caussas nostræ justificationis describens: *Vere*, ait, *justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*. Neque satis reponitur cum dicitur Concilium de prima, non de secunda justificatione loqui, quæ contingit post lapsum; hanc enim distinctionem non facit Concilium, quod tamen diversam non petit sive gratia sit per Baptismum acquirenda, sive per Pœnitentiam recuperanda, ut patet ex citato cap. 6. citatæ VI. Sessionis. Unica posset superesse difficultas in simili casu Baptismatis cum fictione suscepti, de quo dicitur, quod qui sic illud suscepit, si postea conteratur, præter gradum gratiæ suæ contritioni correspondentem, acquirit etiam gradum alium, qui Baptismatis ejusdem effectui correspondeat; unde a pari illum quoque, qui convertitur a via sua mala recipere gratiæ gradum suæ conversioni correspontem, & ceteros omnes, quibus præditus erat antequam a semitis justitiæ deflexisset. Verum facilie est intelligere disparitatis rationem, quæ in hoc consistit, quod Baptismi effectus oritur ex opere prius operato, non ex subsequenti contritione, ita ut hujus intuitu tunc acquiratur duplex hic gratiæ gradus; idem vero dici non potest de justitia, quæ peccatum præcessit, quæ in subjecto non remanet, nec physice, nec moraliter, sed tantum in acceptatione Divina, quæ pœnitenti penitus extrinseca est.

XLIII. Cum supra diximus hominem lapsum per Charitatis intensionem, & Pœnitentiæ actus se posse disponere ad plenam & perfectam omnium meritorum reviviscentiam, quæri solet quandonam homo fiet dispositus ad illam gratiam, & gloriam habendam, quanta ejus meritis præcedentibus debebatur? Licet diversimode in hoc loquantur Theologi, inverisimile tamen non est, quod tunc solum id fiat, quando Charitatis actum in intensione illi aqualem eliciet, cui proprium gratiæ augmentum non debeatur: Quia vero casus non est quod hoc contingat in præsenti vita, quia cuilibet Charitatis actui sua gratia promissa est, superest ut hoc fiat, vel in actu separationis Animæ a Corpore, seu immediate post mortem, ita ut eliciatur in alia vita, in qua cessat omne meritum, vel in primo instanti glorificationis.

Ab

Ab hac sententia non videtur alienus S. Thomas, qui in q. 7. de Malo a. 11. docet eodem modo peccata venialia justis remitti, qui cum illis decesserint.

XLIV. Cum ex gratia consequantur omnes virtutes gratuitæ sicuti ex essentia fluunt omnes potentiæ, sequitur quod restituta per pœnitentiam gratia, restituantur etiam virtutes omnes infusæ, cum habitus virtutum acquisitarum per peccatum mortale non ammittantur. Fallax itaque esset argumentum carentiæ virtutum si peteretur ex maxima illa difficultate quam multi pœnitentes patiuntur in operando earumdem actus. Hujus enim difficultatis caussam satis probat indispositio subjecti. Hanc profecto caussam agnovit S. Thomas hic cap. 89. a. 1. ad 3. *Quandoque post primum actum Pœnitentiæ, qui est Contritio remanent quædam reliquiæ peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum caussata, ex quibus præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum: sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera delectabiliter, & sine difficultate operatur: sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum, aut aliquam corporis indispositionem*. Ex hoc itaque solum sequitur, quod dum virtutes restituuntur, non semper in æquali gradu, sed aliquando majori, aliquando minori intensione restituuntur, quod coincidit cum iis, quæ D. Thomas hic docuit in a. 2. citatæ quæstionis.

CAPUT IX.

DE RITIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

I. Cum Florentinum, & Tridentinum Concilium integram tradiderint substantiam, & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, & non meminerint alterius Ritus, opportune intelligitur nihil quoad hos Ritus nobis ad dicendum superesse, ut ostendamus illorum aliquos requiri ex necessitate tum Sacramenti, tum Præcepti. Et sane cum Sacramentorum Cæremoniæ præcipue sint institutæ ad publicam utilitatem, & instructionem aliorum, & cum Sacramentum Pœnitentiæ secreto fiat, non oportuit, quod Cæremoniæ adderentur, aut aliquid præfixum esset ex humana institutione tamquam necessarium ut licite ministraretur, si ea exceperimus, quæ ad decentiam pertinere possunt, & quæ ratio dictat ut serventur. Si accusationem itaque Pœnitentis inspexerimus quisque videt in hac observandum esse id quod ad veram accusationem conducit, & humilis Pœnitentiæ ostensionem. Non genuflectendo, sed sedendo olim Confessio fiebat, ut probat Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, & alii libri Rituales non pauci, aliquando vero stando, qui mos est Æthiopum, ut scribit Boterius in epistola ad Antonium Caraffam S. R. E. Cardinalem, sed Sæculo XIII. genibus flexis confiteri peccata cœptum est, ut Lucas Cusensis scribit in vita Joachim Abbatis Floris apud Bollandum die 2. Maji. Græci sedentes capite operto peccata confitentur, inquit Allatius in l. 3. de utriusque Ecclesiæ consensu cap. 9. n. 6. Idem Ordo Romanus, & citatus Alcuinus in cap. de Capite Jejunii jubent, ut Pœnitentes ante omnia baculos deponant, quod videmus nunc quoque in usu

usu esse, quemadmodum in usu est (nisi in vi alicujus Privilegii aliter fiat) quod Pœnitentes deponant gladios, enses, & Arma.

II. Sacerdotes vero ministerium suum agentes illud ita perficient, ut neque abstineant, si secus expedire non judicaverint, a precibus illis, quæ antecedunt, vel subsequuntur absolutionem, quia hoc laudabiliter fieri dixerunt Tridentini Patres in cap. 5. Sessionis xiv. neque omittant Signum Crucis, quod in fine per modum benedictionis adhiberi solet, quia S. Stephanus Papa in cap. *numquid* de Consecr. dist. 5. hoc signo omnia Sacramenta perfici scripsit. Olim consueverunt Sacramenti Pœnitentiæ Ministri manus super Pœnitentes imponere, quam Cæremoniam nonnulli necessariam crediderunt, argumento petito ex cap. 9. Concilii Nicæni, tamen non sine errore, ut S. Thomas notavit Opusculo 22. cap. 4. hæc autem Cæremonia nunc in usu non est, neque expedire illa uti Victoria, & Navarrus de Pœniten. dist. 6. c. 1. notarunt.

III. Externos nonnullos Ritus, & quasdam solemnitates in impositione, nec non actione publicæ Pænitentiæ observavit Ecclesia, præsertim a sæculo septimo usque ad duodecimum, quas late exponit Morinus in suo Tractatu de Pœnitentia cap. 7, & sequentibus, & ubi vetus Ecclesia publicam, & solemnem pœnitentiam eamdem habuit; imò si eidem Morino credimus l. 5. cap. 25. & ante Sæculum xiii. nulla inter utramque non solum distinctio est observata, sed fuit incognita omnino. Sæculo igitur xiii. currente primum apparuit hujus distinctionis vestigium, quod quanti sit faciendum ex Auctoribus, qui de utraque Pœnitentia agunt est repetendum. Cardinalis Hostiensis in Summa titulo de Pœnit. & Remiss. ait: *Proprie dicitur illa Pænitentia solemnis quæ fit in capite Quadragesimæ cum illa solemnitate, de qua agit dist. 50. Can. in capite Jejunii. Sententia vero hujus capitis magna ex parte habetur in Pontificali, & ordine Romano; publica proprie dicitur illa quæ fit in facie Ecclesiæ, non cum prædicta Solemnitate, sed quando injungitur Peregrinatio per mundum cum baculo, & pera benedictis.* Hæc sunt, quæ scribit Hostiensis. Non ita vero semper distinguntur solemnis, & privata Pœnitentia, nam hæc postrema in Pontificali Romano illum Ritum sortitur, quem exponit citatus Canon in capite *Jejunii*, qui sub nomine Synodi Agathensis describitur. Neque requiritur quod in publica prædictus Peregrinationis ritus adsit, ut talis Pœnitentia appelletur, sed satis est quod in publico fiat.

IV. Ad hæc verum non est quod illa Solemnis a solo Episcopo imponatur, vel a Presbyteris de consensu tamen Episcopi, cum Canones de omni publicà Pœnitentia, saltem pro peccatis publicis imponenda loquantur ut dicit Fagnanus in cap. *Manifesta* de Pœnit. & Remiss. n. 5. 13. & 19. Et ita etiam publica Pœnitentia reiterari non posset, si consulantur verba Augustini in Epistola ad Macedonium, quæ verba a nobis alio in loco relata sunt. Et tandem de Pœnitentia etiam publica dicitur, quod ratione criminis commissi Clerici post actam Pœnitentiam Ordinibus suis restitui non possint, nec Laici ad Ordines promoveri. Quod si verum est Pœnitentiam publicam a Presbytero sine speciali Episcopi mandato imponi posse, hoc ipsa naturalis ratio dictat, docet Apostolicum monitum 1. ad Timoth., & plures Conciliorum Sanctiones, quas suis in locis retulimus. Eam tamen non esse in usu quo ad Forum Pœnitentiale nonnulli Doctores testantur, quod alii di-

xerunt tantum de his Pœnitentiis imponendis a simplicibus Confessoribus cap. de *Trina* 4. distinct. & cap. *Super eo* de Cognat. Spirit. non vero a principalibus, nimirum a Pœnitentiariis Episcoporum: quamquam etiam circa hoc proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii an ex Decreto Tridentini Concilii cap. 8. Sess. XXIV. Pœnitentiarii Episcoporum possint, ac debeant publice peccantibus publicas Pœnitentias injungere? Die 22. Martii 1614. tametsi plerique ex Patribus visi fuerint sentire de jure communi hæsitandum non esse quin possint, ac debeant Sacerdotes, & maxime Pœnitentiarii Episcoporum publice peccantibus imponere publicas Pœnitentias, valde tamen fuerunt ancipites, num id caveatur Concilii Decreto Ideoque tutius existimarunt abstinere a declaratione, ut Confessorum, & Pœnitentium quieti magis consultum sit.

V. Inter satisfactoria publice Pœnitentium opera plurimi Rituales libri Reclusionem recensent, sive incarcerationem, quæ fiebat in capite jejunii, & in Cœna Domini desinebat. Hujus Toletani Patres in cap. 7. Concilii XI. meminerunt, & quomodo fieret Gregorius II. describit in Epistola ad Leonem Isauricum Imperatorem: *Ubi peccaverit quis, & confessus fuerit, Evangelium, & Crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem, in Secretaria, Sacrorumque Vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesia Diaconia, & Catechumena ablegant, ac visceribus ejus Jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt, cumque egregie castigaverint, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini Corpus impartiunt, & sancto illum Sanguine potant, & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum, insontemque transmittunt.* Ritus alii, aut potius antiqua Ecclesiæ Disciplina in satisfactionibus imponendis ex Canonibus Pœnitentialibus petenda est.

VI. Addimus pauca de Reconciliatione eorumdem Pœnitentium quæ communiter feria 5. ante Pascha contingebat, ut I. Innocentius scribit in Epistola ad Decentium, & scribunt alii. Gillebertus tamen Lunicensis Episcopus in Epistola ad Episcopos Hiberniæ: *Absolvit*, inquit, *Præsul populum de venialibus* (scilicet de mortalibus minus gravibus) *in capite Jejunii, de Criminalibus* in Cœna Domini. Mediolanensis Ecclesia, & aliæ in Hispania, & in Gallia, reconciliationi Pœnitentium feriam VI. Majoris Hebdomadæ destinabant. Statuta itaque die inter horam tertiam, & sextam, in Hispania vero ad Vesperam ante fores Ecclesiæ exterius Pœnitentes humiliter constituti expectabant, & facto per Episcopum, & Sacerdotes examine, ut invenireutur qui digni essent reconciliari, qui non, Episcopi exhortatorium Sermonem audiebant, tum in Ecclesiam introducebantur, & ante Missæ Offertorium absolvebantur per Episcopum, qui Ambone conscenso, super ipsos in Navi Ecclesiæ prostratos, absolutionis formulam pronuntiabat.

Dixi *ante Offertorium*, ut ea in Missa Corporis & Sanguinis Domini participes esse possent, alioquin si Pontifex illos post Consecrationem absolvisset, iis communicare licitum non fuisset, nondum in jure offerendi restitutis. Nec contrarium evincitur ex testimonio Cypriani, Optati Milevitani, & Ambrosii in lib. de Pœnit. cap. 3. scribentis: *quotiescumque peccata donantur Corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio*; his enim verbis significatur non tempus reconciliationis, sed fructus, ut qui reconciliati fuerant Sacra Communione recrearentur.

Hunc

Hunc eumdem effectum recens Pœnitentiæ praxis intendit, ut reconciliati Deo per Sacramentalem Absolutionem, demum Sacra Communione reficiantur, ex hoc tamen inferendum non est, quod ad ritum hujus Sacramenti spectet, quod etiam Communioni illa Satisfactio præmitti debeat, quæ non debet præmitti Absolutioni. Necessaria ad rectam Communionem illa dispositio est, qua quis probatus accedit juxta Apostolum 1. ad Cor. 11. *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, qua præsupposita, nullus ad Communionem indigne accedet, idque satis expletum intelligitur, cum quis Sacerdoti peccata confessus est, animumque peccati mortalis purum habebit, quia statim indutus nuptiali veste invenitur, hoc est gratia, & charitate, nec inter alios convivas illi quidquam est quod metuat, ut ejiciatur, & irreverentiæ suæ det pœnas. Profecto ut actione tanti momenti defungamur, quæcunque cura adhibeatur, exiguum quiddam est, cum nimium nihil esse possit, quod conferatur cum tanti Sacramenti majestate; unde quoad fieri potest contendendum, parandusque animus pœnitentia est, & exercitatione virtutum, sed non Sacramentali Satisfactione, si casu contingat, vel illam differre, vel in plures dies procrahere, tunc præcipue, cum satisfactio hæc medicinalis Pœnitentiæ induit characterem, & hanc ejus dilationem numquam Ecclesia habuit tamquam abusum, aut licentiam. Doluit Ecclesia cum Ambrosio lib. 2. de Pœnit. cap. 9. quod sæpe nonnulli Pœnitentiam poscerent, ut statim sibi vellent communionem reddendam. Siquidem *hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare, suam enim conscientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt*. Cavendum itaque semper erit ne contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei Legem temeritate quorumdam largiatur incautis, & meminisse proderit eorum quæ scribebat Cyprianus in Sermone de Lapsis, quod sæpe *operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis, & profundis visceribus insixa dissimulato dolore contegitur, & pax promittitur qua pax non est, sed bellum, & quod Ecclesiæ non jungitur qui ab Evangelio separatur*.



TRA-

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

SAcramentum Pœnitentiæ fuisse ad delenda peccata a Christo Domino institutum, ea omnia, quæ in superiori Tractatu exposuimus cumulatissime comprobant; quia vero deletis peccatis, peccatorum supersunt expurgandæ reliquiæ, hanc ob rem instituta est *UNCTIO INFIRMORUM* Sacramentum Novæ Legis, ut si quæ superessent peccata adhuc expianda, & peccatorum reliquæ omninò abstergerentur, & ut revera (quod pluribus Ecclesiæ Patribus visum est) esset *CONSUMMATIVUM* non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet. De hoc Sacramento Unctionis Infirmorum agetur itaque in hoc Tractatu, & nihil desiderandum relinquetur, quod opus sit, tum ad eorum intelligentiam, quæ circa hoc Sacramentum inquiri solent, tum ut nulla possit difficultas occurrere, a qua ex dicendis non facile se se quis expediat.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE, ET USU SACRAMENTI UNCTIONIS.

HOc *semper fuit Hæreticorum ingenium, abusus hominum, cum dogmatibus veritatis, quasi emblemata quadam interserere, quo facilius nomen veritatis, cui obsistunt apud simplices magis odiosum redderent*, ita scribebat Martinus Peresius in Præfatione suæ Considerationis de Veneratione Sanctorum. quod opportune admodum usurpari nunc potest, dum agitur de hac Sacra Unctione, quam Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Melancton, Brentius, Centuriatores, & qui alii sunt Hæretici, non solum Sacramentum esse negant, sed etiam more suo irrident. *Forte*, inquit Lutherus in libro de Capt. Babyl. loquens de Catholicis, *ut sunt arguti Dialectici, relativam fecerunt ad Unctionem primam Baptismi, & sequentes duas Confirmationis, & Ordinis.... ego autem dico si uspiam deliratum est, hoc loco præcipue deliratum est*. *Fictitium Sacramentum est Extrema Unctio*, scripsit Calvinus in libro 4. Instit. cap. 19. §. 18. *histrionica hypocrisis, quam citra rationem, & sine fructu Apostolos referre volunt. Probari tantum Unctionem fuisse in usu*, Chamierus in libro 4. de Sacramentis cap. 21. inquit, *non probari vero eam Unctionem esse Sacramentum. Quorum illud non imus inficias, neque enim, tam ignota nobis est historia Ecclesiæ Sed quæstiones distinguimus; & quamvis credamus perperam continuatum usum, post sublatum donum sanationum: sicut perperam continuata lumina medio die ex primo usu nocturno, & Lingua Latinæ ex Latinorum consuetudine: tamen non tam sumus faciles, ut persuaderi possimus omnes ritus usurpatos in Christianorum usu fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifeste sublata, necesse fuit allegorias comminisci*. Suas etiam ratiunculas exponit apud Sambovium Dalleus,

laus, ut Unctionem nullo in usu fuisse apud veteres probet, verum facilius nihil admodum est, quam & nugaces illas ostendere, & caussas illas aperire, cur illi, qui a nobis seorsim per Religionem sentiunt, Sacram hanc Unctionem infirmorum, ut humanum figmentum abjiciant. Sit igitur.

§. I. *Scriptura, & Traditione probatur Sacramenti Extremæ Unctionis institutio, & usus.*

I. Duplex statim occurrit Scripturæ auctoritas, altera legitur apud Marcum cap. 6. *Et ungebant Oleo multos ægros, & sanabant*, legitur altera in Epist. Jacobi cap. 5. *Si quis infirmatur in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei*. Solus ex Evangelistis hujus Unctionis meminit Marcus, unde inter Theologos lis est gravissima, an hæc Unctio fuerit Sacramentum, quod licet putent Recentiores aliqui Valdensis scilicet, Alfonsus a Castro, Petrus Soto, & Maldonatus, contraria tamen opinio probabilior est, quæ Unctionem hanc fuisse docet futuri Sacramenti quoddam præambulum, cum Sacramenta præcipue ad salutem animæ sint instituta, & Marcus scribat Unctionem hanc pertinuisse ad Corporis sanitatem. Posteriori huic Explicationi favere magis, quam primæ opinioni Tridentinum Concilium colligitur ex cap. 1. Sess. xiv. de extrema Unctione, cum ibi aperte dicat *Sacramentum hoc apud Marcum insinuatum*: quemadmodum favet etiam huic assertioni scire, quod nondum Apostoli, erant Ordinati Sacerdotes, ut notum est ex cap. 1. Sess. xxii. ejusdem Tridentini Concilii, & nullibi legatur, quod Christus in hoc dispensaverit: tum scire etiam, quod Apostoli non baptizatos plurimos ungebant, neque infirmos solos decumbentes, & in periculo vitæ constitutos, sed quoslibet. Jacobi itaque locus perspicuus adeo superest, ut alio, quamquo verba ipsa spectent referri nequeat. Hic locus est, ex quo Sacramenti institutionem habemus a Christo factam, & hic promulgatam, nam neque usum ejus, vel præcepisset Jacobus, vel consuluisset, nisi gratum Christo acceptumque id fuisse novisset: & hic habemus omnia, quæ sunt de ratione Sacramenti novæ Legis: ritum externum sensibilem: materiam, & formam constantem: Ministri designationem: subjectum capax illud suscipiendi: gratiæ promissionem, & ægri allevationem.

II. Nullius est momenti reponere Jacobi Epistolam non esse Canonicam: detrahenda siquidem fides esset Conciliis, illis Romanis Pontificibus, & Patribus Ecclesiæ, apud quos obtinuit auctoritatem, sed Hieronymus, quem pro se citat Kemnitius, quorumdam veterum dubitationem expressit in loco ab hoc Hæretico notato, non sui temporis opinionem, quod scribit etiam Eusebius, qui tamen in loco a Kemnitio citato, scilicet lib. 3. Histor. cap. 23. sic ait: *nos autem scimus in plurimis Ecclesiis publice esse receptam*. Abstinere etiam Lutherus poterat ab injuria, qua S. Apostolum lacessit, cum loco supra citato inquit: *Si esset* (scilicet Epistola) *Jacobi Apostoli, dicerem non licere Apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere, hoc enim ad Christum solum pertinebat*; Nam Jacobus non instituit hoc Sacramentum, sed ad illius usum hortatur. Demum ex contextu Verborum Jacobi, temeritatis, & falsarii nota inuritur quilibet alter ex Novatoribus, qui Sacram hanc Unctionem,

nem, de qua agit Jacobus spectare ait, ad curandas corporum infirmitates, nullamque gratiam contulisse, cum uterque effectus promittatur. Neque diutius immorabimur, quod sanitas videatur promissa, tamquam primarius effectus, siquidem hoc factum esse Sambovius ratiocinatur, vel quia hic effectus est magis notus, vel ut apertius corresponderet antecedentibus verbis: *Infirmatur quis in vobis*. Sed jam alibi adnotatum est transpositionem sensuum, & verborum in Sacra Scriptura non esse rem inusitatam, & ex hac argumentum suppeditari non posse insanæ Novatorum versutiæ.

III. Ut clarius autem constet Sacramentum hoc fuisse a Christo Domino institutum, & ab Apostolo Jacobo promulgatum, inquirimus quomodo potuisset Jacobus vere promittere remissionem peccatorum sub tali cæremonia, nisi de hoc habuisset Christi verbum, & promissionem, ut pluries de Sacramentorum Origine agentes explicavimus? Oportet ergo, quod ipsemet Christus Extremæ Unctionis fuerit auctor, quod ita certum est, ut non aliam Sententiam defenderint Tridentini Patres in loco supra citato, & in canone, in quo statuunt; *Si quis dixerit Extremam unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a C. D. N. institutum, Anathema sit*. Hic vero præterire non possumus varium esse maxime hominum ingenium, cum aliqui ne Sacramentum rejiciant velint illud esse institutum ab Apostolis, alii vero Sacramentum retinent, non aliter, quam quia institutum est ab Apostolis. Primum a Waldensibus audimus, alterum ab Alano Monspeliensi, & ex alterutra dispari licet cogitatione, luculenter ostendimus, & Catholicos, & Hæreticos olim fuisse persuasos ad veritatem Sacramenti sufficere Apostolicam institutionem. Hac ratione Hieronymus usus est contra Luciferianos, ut Confirmationem Sacramentum esse probaret *exigis*, inquit, *ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum*. Si ergo tanti semper æstimata est hæc Auctoritas, ut sola sufficeret, ut Luciferianus crederet Confirmationem esse Sacramentum; cur & non sufficiet ad credendum Extremam Unctionem esse Sacramentum a Christo Domino institutum, quamvis solus Jacobus Apostolus illius existentiam, & ritum scripserit in sua Epistola?

IV. Age nunc videamus quomodo Christus Dominus Sacramentum hoc instituerit immediate scilicet, an potius mediate? Amolo Lugdunensis Episcopus nongentis fere ab hinc annis de tradenda infirmis Unctione Sacra agens, primus fuit, qui a Christo, & Jacobo præceptum esse hujusce administrandi Sacramenti scriberet in Epistola ad Theodboldum Lingonensem Episcopum, his verbis: *Si autem, & languores aliqui, & debilitates accidunt, juxta Evangelicum, & Apostolicum præceptum, præsto habet unusquisque, ut inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c.* Ex verbis his clare constat Amolonem respexisse, & Marci Evangelium, & Epistolam Jacobi. Præter hunc Auctorem nullus Patrum, & nullus Theologorum aliquid aliud decrevit usque ad undecimum Sæculum, in quo hujus Unctionis institutio Jacobo frequentius, & Apostolis apud Marcum rarius attributa est. Ingenue tamen fateri possumus neminem horum, qui tunc scripserunt Hugonem Victorinum, Magistrum Sententiarum, Petrum Senonensem Archiepiscopum decernere voluisse, an Apostoli marte suo, non Christo id illis præcipiente, aut potius Jacobus ex suæ voluntatis arbitrio, id constituerit. Dissidium inter Theologos natum est, Alberto, Bonaventura, Thoma, & Scoto contradictoribus, cum alii Christo, alii Jacobo Unctionis hujus institutionem adscriberent,

ut aliqui dicunt immediate; Verum tamen est, quod neutri contrariam opinionem nulla erroris nota afficiunt, sed eam tantum, ut minus probabilem refellunt, & licet Tridentinum Concilium in Alberti, & S. Thomæ sententiam migraverit, sentiendi tamen cum Bonaventura, & Scoto, aliisque sequacibus libertatem non abstulit. Tridentinum quippe Concilium Lutheri, & Calvini placita condemnavit, quæ cum Bonaventuræ, & Scoti doctrina commune nihil habent; in qua dicitur, quod Extrema Unctio fuit a Christo insinuata, & a Spiritu S. per Apostolos instituta. Ex his autem verbis, ut apparet, de mediata, vel immediata institutione Auctores hi non loquuntur, non secus ac Concilium, quod eamdem vocem *immediate*, non addit in canone 1. supra citato Sess. xiv. de Extrema Unctione, & omninò arbitrarium est dicere, quod hoc loco, etsi Concilium tantum dicat eam esse institutam a Christo, non addendo immediate, tamen nemo dubitat, quin loquatur de institutione immediata, hac præsertim ratione, quod verba ipsa id aperte significent, præsertim in Conciliorum dogmaticis definitionibus, in quibus verba, *inquantum fieri potest* in communissima, & apertissima significatione accipienda sunt, secundum quam proprie non dicitur aliquis institutor illius, quod alias generali potestate ab eo accepta instituit, prætertim cum exceptis Philosophis & Scholasticis vix ulli utantur istis vocibus mediate, & immediate. Hoc enim ratiocinium præterquamquod, ut dicebam, arbitrarium est, est etiam omninò falsum, tum quia ex natura definitionis Concilii hæc immediata institutio non intelligitur, tum etiam quia, revera Concilium non respuit Philosophorum, & Scholasticorum terminos in dogmaticis definitionibus, cum ipsis fidei definitionibus alligantur, ut patet ex can. 6. & 10. Sess. vi. in quibus leguntur Scholasticæ voces *permissive*, *& formaliter*, & in can. 1. & 8. Sess. xiii. ubi leguntur voces, *realiter*, *substantialiter*, *& Sacramentaliter*. Cum itaque in 1. can. Sess. xiv. de Sacra Unctione Scholasticorum terminos *mediate*, *& immediate* omisit, Scholasticam controversiam noluit dirimere, quod non postulabat, qui proscribendus erat Novatorum error, & fidei tradenda Sententia. Igitur ex Concilio Tridentino cum probari non possit fuisse confutatam horum Scholasticorum Sententiam, quid circa hoc veluti verisimilius dictum sustineri debeat ex D. Thoma in suppl. q. 39. a. 3. didicimus, videlicet, *quod omnia Sacramenta Christus instituit per se ipsum, sed quædam per se ipsum promulgavit, quæ sunt majoris difficultatis ad credendum, quædam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut Extremam Unctionem, & Confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia Sacramenta ad fundamentum legis pertinent. Et ideo ad Legislatorem pertinet eorum institutio: & iterum quia ex institutione efficaciam habent, quæ in eis nonnisi divinitus inest.* Difficile etiam est posse probari Concilium Tridentinum in illam opinionem magis, quam in hanc propendere voluisse, cum loco citato nihil aliud, quam nudam promulgationem Jacobo tribuerit, quod non fecisset satis, si Jacobus fuisset Extremæ Unctionis immediatus institutor.

V. Observationem merentur ea, quæ scribunt Victor Antiochenus ad hæc Marci verba: *Et ungebant &c.* Jonas Aurelianensis lib. 3. de Institutione Laicali cap. 14. & Theophilactus in eumdem Marci locum, scilicet in hoc Evangelii loco agi de illa Unctione, de qua Jacobus locutus est. *Quod ait*, idest Marcus, *de mystica Unctione*, Victor inquit, *& olei usu hic subjungitur, hoc inter Evangelistas solus Marcus commemorat. Interim, quæ Apostolus Jaco-*

cobus in sua Canonica narrat ab his non dissentiunt. Verba Jonæ Aurelianensis hæc sunt: *Quod Unctio sanctificati olei sit expetenda Marcus Evangelista indicat. Quod unxerunt oleo Apostoli* (repetit Theophilactus) *solus Marcus narrat, quod & frater Domini Jacobus in Catholica Epistola dicit*. Conveniunt autem Theologi omnes Unctionem illam, de qua agit Jacobus esse institutam a Christo; oportuit ergo illam etiam a Christo institutam fuisse, de qua Marcus loquitur capite 6. & tunc a Christo Domino fuisse Sacramentum hoc institutum, & juxta hanc opinionem non pauci docent, quod tunc Christus Apostolos instituit Sacerdotes quoad hoc ministerium, non quoad potestatem consecrandi, & remittendi peccata; quemadmodum munus prædicandi, & baptizandi, quod proprium Sacerdotum est, illis contulerat antequam Sacerdotium haberent quoad munus offerendi; & eo magis id confirmant, quia sine fundamento Scripturæ, aut Traditionis asseritur, quod promiscue tum baptizatos, tum non baptizatos inunxerint, neque discrimen faciat Scriptura inter effectum hujus Unctionis, nimirum utrum solam sanitatem corporis operaretur, an vero illam etiam animæ, quod crediderunt laudati Auctores, quibus potest Beda accenseri in expositione ejusdem Sententiæ: nec clare dissentire videntur Tridentini PP. dum dicunt *Sacramentum hoc apud Marcum insinuatum*; insinuare enim significat rei introductionem, aut per se, aut in figura; ideo vero non dixerunt institutum ne contraria Sententia damnaretur. Hæc observare voluimus, ut aliqua adderemus de tempore, quo a Christo Domino institutum fuisse hoc Sacramentum aliqui crediderunt, fortasse non juxta verissimiliorem Sententiam, erroris tamen non convincendam ex testimoniis antiquiorum Theologorum, qui Unctionem infirmorum Sacramentum a Christo institutum dixerunt, cum vel nulli, vel certe pauci habeantur. Aliqui Theologi hujus Sacramenti institutionem aliis temporibus accomodarunt. Ante Cœnam hoc factum esse quidam dixerunt, sed hujus rei nulla conjectura efficax datur, qua carent etiam illi, quibus placuit asserere, quod in nocte Cœnæ hæc institutio contigerit, nullibi enim constat tunc Christum Dominum dedisse Apostolis auctoritatem supra mysticum ejus Corpus, ut illis attributa legitur in cap. 20. Joannis. Unde factum est, quod hoc potius tempore, quam quocumque alio hoc Sacramentum fuisse institutum plures crediderint propter hanc rationem, quia est consummativum Sacramenti Pœnitentiæ, & quodammodo includit potestatem remittendi peccata, ut notavit Chrysostomus in lib. 3. de Sacerdotio. Putarem nihilominus verissimilius asseri plenam hujus Sacramenti institutionem fuisse consummatam ante Ascensionem, hoc enim tempore plene, & perfecte Christus suam Ecclesiam fundavit, & ita singula etiam sua Sacramenta tunc perfecta instituit. Probabilius quoque hoc asseritur tunc prodiisse Divinum mandatum retinendi in Ecclesia hujus Sacræ Unctionis ritum usque ad consummationem sæculi observandum, ut illum hactenus fuisse observatum in Ecclesia ex Auctoribus primæ, mediæ, & postremæ ætatis uberrime demonstrabitur, quamquam in re adeo clarissima dedecet immorari, cujus testes sunt Origenes in homil. 2. super Leviticum, Chrysostomus loco citato, Augustinus in Sermone 215. de tempore, Cyrillus Alexandrinus in lib. 6. de Adoratione, & Veritate, Gregor. Turon. in lib. 1. histor. cap. 41. Alcuinus in libro de Divinis Offic. Hincmarus Remensis Epist. 50. Egbertus Eboracensis in excerptionibus Canonum cap. 21. Alfricus Episcopus in suis ad Wulfinum canonibus num. 32. & Pe-

trus Damianus in Sermone 69. de Dedicatione Ecclesiæ. Prætereo recensere quotquot Sæculo XII. floruere Scriptores, cæterosque qui scripserunt Sæculo XIII. usque ad Tridentinum, cum singuli Extremæ Unctionis usum, & ritum propugnaverint.

VI. Notare tamen non omitto, ex Dionysii, & Clementis silentio, aliorumque, utriusque videlicet Gregorii Nazianzeni, & Nysseni, Tertulliani quoque, & Hieronymi nihil detrahi inveterato, & constanti usui Extremæ Unctionis; nam de Dionysio, & Clemente, de Eusebio etiam, & utroque Gregorio habemus illos præteriisse referre usum Eucharistiæ, qua infirmi in exitu, illorum ætate recreabantur. Ex hoc ne inferri poterit in extremo vitæ periculo constitutis Sacrum Viaticum non fuisse dispensatum? Idem utique dici poterit de Extrema Unctione. Verum nihil etiam prohibet quod dicamus aliquando Extremam Unctionem non fuisse datam iis, qui vitam summa cum virtute conjunctam, & a peccatis immunem egerant. Eruitur hoc ex sequentibus Paschasii Radberti verbis, quæ leguntur in Adelhardi Corbeïensis Abbatis vita: *Interim cum cæpisset idem Episcopus a nobis percontari utrum benedictionis Oleo, sicut a B. Jacobo sancitum est, deberet perungi, interrogavimus eum, utrum ne vellet, quem procul dubio sciremus peccatorum oneribus non detineri*: quod colligitur etiam ex Responsione Innocentii I. ad Decentium, ubi postquam capite 8. retulisset supra citata verba Jacobi, *pro agrotantibus fidelibus*, ait, *illa accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut in suorum necessitate ungendum*. Dum Pontifex scribit *perungi possunt, & quod omnibus uti Christianis licet*, videtur quod hac Sacra Unctione in primitiva Ecclesia ii uterentur; qui vellent, & propterea plures potuisse decedere absque illa unctione; quod legitur etiam in sancitis sub Edgardo Rege, & Dunstano Cantuariensi Episcopo Canonibus, cum sub numero 65. ita decernatur: *Docemus ut Sacerdos ægrotis prout opus fuerit, Eucharistiam præbeat, & (si desideretur) unctionem*. Ex his itaque licet opinari factum esse, ut antiquorum Confessorum acta ritum hunc non passim exhibeant, incertumque sit unde, & quo tempore obtinere cœperit. Sed nihil minus certum est morem Ecclesiæ de quo agimus, quondam obtinuisse, ut constat ex supra citatis Patribus, quorum auctoritate usus hic comprobatur. Certum etiam est, quod publice Pœnitentibus, si in morbum incidissent, hæc Sacra Unctio non dabatur. Ita scripsit laudatus Innocentius: *Pœnitentibus istud Chrisma infundi non potest, quia genus est Sacramenti, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Ut demum non dabatur iis, qui variis agitati persecutionibus, Martyrio tandem coronabantur.

VII. Ceterum etiamsi usus Unctionis infirmorum quacunque alia ex caussa in antiqua Ecclesiæ disciplina rarior inveniatur, hoc non satis favet contradictoribus, quia positivo argumento probamus eundem usum in plurimis diversarum Regionum, Provinciarum, & Regnorum Ecclesiis invaluisse. Et certe quod in Ecclesia Romana fuerit hic usus non solum citata Innocentii I. verba hoc testantur, sed etiam confirmat liber Sacramentorum, quem Magnus Gregorius anno 600. edidit, & quem primæ editionis restituit Grimaldus Abbas, & iterum pubblicavit Hugo Menardus A. 1642 quibus

bus Romanis Pontificibus addi possunt Alexander III. in c. *quæsivit* de V. S. Innocentius III. in capite unico de Sacra Unct., & IV. Eugenius in Decreto pro instructione Armenorum. Usum Ecclesiæ Africanæ tradidit Possidius in cap. 27. Vitæ Augustini. Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteris familiare fuisse ungere infirmos scripsit Beda in cap. 5. Epist. Jacobi, & Theodorus Cantuarien. in suo libro Pænitentiali, Capitulare Episcoporum Galliæ editum anno 582. & caput 103. libri VII. Capitularium, Concilium Cabillonense A. 813. c. 48. Aquisgranense II. A. 827. can. 5. declararunt usum Ecclesiæ Galliarum; quem viguisse etiam in Germania Sæculo VII. constat ex cap. 14. vitæ S. Kunegundis, quæ ut Surius scripsit *extrema infirmitate laborans conversa ad illos, qui illic assistebant Presbyteros Sacræ Unctionis Oleum, & Eucharistiam sibi petiit ministrari*, & constat etiam ex cap. 26. Moguntinæ Synodi A. 847. Neque deest documentum, quo probetur idem usus, & ritus in Ecclesia Orientali, nam hoc suppeditat Concilium Nicænum Arabicum, quod Alfonsus Pisanus latinitate donavit in can. 69. & Euchologium Græcum, quod Jacobus Goar in lucem edidit.

VIII. Insudant Novatores, ut hujus argumenti vim enervent, quare inquiunt 1. Unctionem pro cujus usu laudati Patres certarunt, non fuisse ritum diversum a Sacramento Pœnitentiæ. 2. non remisisse peccata. 3. aliam esse ab illa, quam Jacobus præscripsit, quæ primo tantum, aut altero Ecclesiæ Sæculo obtinuit. 4. & maxime quia illa Eucharistiæ communioni præmittebatur, cum e contra Unctio, quæ nunc est in usu, post Eucharisticam Communionem dispensetur.

Totidem mendacia hæc sunt, quot esse sibi persuadent Hæretici validissima monumenta, quæ facile diluuntur auditis Sanctorum Patrum sententiis. 1. Origenes ex cujus textu primum petunt argumentum Novatores sic loquitur in homil. 2. super Leviticum. *Est adhuc septima, licet dura, & laboriosa per Pœnitentiam remissio Peccatorum, cum lavat peccator in lacbrymis stratum suum, & fiunt ei lacbrymæ panes die, ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundum eum qui ait: Dixi Pronunciabo adversus me injustiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod & Apostolus dicit: si quis autem infirmatur vocet Presbyteros Ecclesiæ, ut imponant eis manus ungentes Oleo in Nomine Domini:* Ex his verbis profecto erui non posse videtur de uno, eodemque Sacramento loqui Origenem, qui utique diversam materiam præscribit, & utramque suo effectu præditam esse cognoscit, cum ait, *quod impletur illud, quod Apostolus dicit, scilicet quod si in peccatis fueris dimittentur ei*. Patet igitur persuasum fuisse Origeni ritum illum fuisse signum sensibile gratiam conferens, hoc est Sacramentum proprie dictum, quod persuasum etiam Innocentio I. fuit, qui ut supra diximus ritum hunc genus Sacramenti vocavit, & Carolo Magno, qui in cap. 76. libri 6. Capitularium scripsit: *eodem Oleo peruncti gratia Dei sanantur*, & Ivoni Carnotensi Episcopo, qui in Epist. 255. ad Rodulfum Abbatem: *Unctio*, inquit, *quam semel accepisti non æstimo repetendam, quia secundum institutum Apostolicæ Sedis genus sit Sacramenti*, aliisque communiter.

2. Undenam vero colligant Heterodoxi id quod secundo loco objiciunt, non satis apparet, cum singuli ex laudatis Patribus, & Conciliis hunc gratiæ

esse-

effectum, vel peccatorum remissionem Sacræ Unctioni attribuant. Id fortasse colligunt ex verbis Chrysostomi, quæ leguntur in libro 3. de Sacerdotio, in quibus, ut ipsi putant, non Unctioni, sed Orationi virtutem dimittendi peccata adscribit. Hæc sunt ejus verba: *Parentes nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant, atque certe ne corporalem quidem interitum e liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare, cum hi jam laborantem, ac jam jam morti propinquam animam identidem servarint, aliis remissiorem pœnam reddentes, alios prorsus labi non permittentes, non Doctrina solum, atque commonitionis, sed etiam precum præsidio, neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis, accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum Oleo in Nomine Domini, & obsecratio Fidei salvum reddet laborantem, & erriget eum Dominus & si in peccatis fuerit remittentur ei, &c.* Hactenus Chrysostomus, sed quis non videt illum loqui non de simplici, sed de Sacramentali Oratione? Similitudo, quam S. Doctor adhibet cum inquit: *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent,* omnino foret superflua, & inutilis, si quod de Oratione in ea traditur cum Sacerdos baptizat, non diceretur de illa Oratione, quæ fit cum a Sacerdote infirmus inungitur.

Quod tertio loco opponunt nullo testimonio probant, quia nullus ex Patribus reperitur, qui agens de hac Unctione, Jacobi locum non laudet. Attamen indulgendum est Adversariis, quod hoc scripserint, quia in libro Sacramentorum Magni Gregorii non laudatur Jacobi sententia. Consuluerunt hi Sacramentarium quale exhibetur in Tomo 2. Liturgicon Pamelii, vel illud quod supra diximus fuisse a Grimaldo restitutum, qui Lodovico Pio Imperatore vixisse creditur. Si illud consuluissent, quod ex Mss. Missali S. Eligii Bibliothecæ Corbejensis, curis Hugonis Menardi Lutetiæ in lucem prodiit A. 1642. septimam in serie Orationum, quæ supra infirmum dicendæ præscribuntur, animadvertissent continere Unctionem, quam Jacobus commendavit. In illa itaque sic legitur: *Dominus Deus, qui per Apostolum locutus es: Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum Oleo Sancto in nomine Domini, & Oratio Fidei salvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis est dimittentur ei: Cura quæsumus Redemptor Noster gratia Spiritus S. languores istius infirmi, & sua sana vulnera: ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis expelle, plenamque, & interius, exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, & sanatus ad pristina pietatis tuæ reparetur officia &c.* Idem ergo Gregorii ætate prorsus cum eo ritus erat, quem prioribus sæculis servabat Ecclesia, & idem etiam cum illo, qui hac ætate servatur, cui efficacia tribuitur ad operandum Animæ, & Corporis sanitatem. Penitus ergo corruit tertium argumentum Adversariorum.

Constantiam hujus Ritus Concilii secundi Cabilonenses Patres A. scilicet 813. sic exponunt in Can. 48. *Secundum B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi Oleo, quod ab Episcopis benedicitur a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait; Infirmatur quis in vobis &c. Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, qua animæ, corporisque me-*

medetur languoribus. Commendat eamdem constantiam caput 8. Concilii Regiaticensis A. 8,o. in quo sic decernitur: *Illud quoque Sacramentum, quod commendat Jacobus Apostolus dicens : Infirmatur quis &c. solerti prædicatione populis innotescendum est, magnum sane, ac valde appetendum Mysterium, per quod si fideliter poscitur., & remittuntur, & consequenter corporalis sanitas restituitur &c.* eamdem postremo probant (ut innumera alia documenta prætercam) Canones Isaaci Lingonensis, caput 4. Concilii Nannetensis A. 896. & una quæque sententia illorum Auctorum, qui huc usque de hoc Sacramento scripserunt. Apertissimum itaque Sectariorum mendacium est, quod priore tantum, & altero Ecclesiæ Sæculo Unctio a Jacobo promulgata in Ecclesia viguerit, quemadmodum apertissimum quoque est mendacium id quod postremo loco reponunt, quod diluendum remittimus in locum illum, ubi agemus quonam olim tempore Extremæ Unctionis Sacramentum ministraretur, ea enim quæ hactenus diximus satis sunt ut probata maneat per Scripturam, & Traditionem Sacramenti hujus, & usus, & institutio.

IX. Solum addendum est non Hæreticos omnes Sacram Unctionem ex Sacramentorum albo expunxisse. Pro Waldensibus pugnat insignis illa Fidei Professio Regi Uladislao ab illis oblata, quæ non solum cognoscit septem Ecclesiæ Sacramenta, sed ulterius de Extrema Unctione hæc pronunciat: *Ægrotantium Unctio duo in se tenet. Primum caussam facilioris ingressus ad languentes. Hac re Sacramentum non est. Alterum est res ipsa signata tali Unctione, quæ tribuitur a Deo in Christo. Pro qua re in recta Fide, ut languenti Fideli id condonetur præcipue orandum est B. Jacobi præcepto. Infirmatur quis in vobis*. Reprobarunt Waldenses abusus illos, qui in administratione hujus Sacramenti non pauci irrepserant: nimirum quod tantum divitibus daretur, adeo ut vix aliquando pauperes hujus Sacramenti participes fieri contingeret, quod nulli daretur sine pretio, aut nisi qui posset habere saltem duas Vaccas: quod præterea duodecim Luminaria essent necessaria in Unctione, & plures Sacerdotes. Dum Raynerus, & Ebrardus in his abusibus coarguendis conveniunt, non plene intelligitur cur singuli scripserint Waldenses Sacramentum Unctionis reprobare, & inunctionem Olei subsannare. Improbarunt Waldenses Olei consecrationem, ut Philadorfius (vide T.xxv. Maximæ Bibliothecæ Patrum fol. 291.) notavit in libro quem scripsit contra hos Hæreticos cap. 25. ex hoc tamen inferri non potest Extremam Unctionem rejecisse, non secus ac Calvinistæ Baptismum Sacramentum esse retinuerunt, quamvis proscriberent Aquæ baptismalis consecrationem; hanc præcisionem observavit Æneas Sylvius in historia Bojemorum cap. 35. cum scripsit *Waldenses docuisse Confirmationem, quam Chrismate Pontifices inducunt, & Extremam Unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minime contineri*. Erratum est itaque a Waldensibus, non quia negaverint substantiam, sed materiam hujus Sacramenti esse Oleum Consecratum; quapropter Innocentius III. in sua Epistola 68. decrevit, ut qui ex Waldensibus ad Ecclesiam redirent profiterentur se Unctionem infirmorum cum Oleo consecrato venerari. Nec minus efficax est argumentum, quo probatur Wiclefum, & Joannem Hus vel negasse, vel errasse circa hoc Sacramentum. Suppeditant argumentum hoc Constantienses Patres, qui in VIII. Sessione, & XV. horum Hæreticorum errores condemnarunt, & hic non reperitur, nec hunc recenset Wiclefus ipse in Trialogo, neque Jo. Hus in suis Articulis; & revera idem Con-

Concilium Constantiense in sua ultima Sessione vult suspectum de Hussitarum hæresi esse interrogandum: *utrum credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter?* Satis itaque ex hac interrogatione constat id, in quo ab Hussitis peccatum est, in hoc scilicet, quod parum curarunt de hoc Sacramento suscipiendo usque ad contemptum, & hoc indicavit etiam supra laudatus Sylvius in Epistola ad Cardinalem Carvaïal his verbis: *De Pænitentia parum sentiunt, de Confirmatione, & Extrema Unctione, nibil.*

CAPUT II.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

PErniciosum Waldensium usum quaslibet Consecrationes rejiciendi, sive fierent ab Episcopis, sive a Presbyteris, posteriorum temporum Hæretici retinuerunt; hinc factum est, quod cum audiant hi Sacramenti Extremæ Unctionis materiam esse Oleum consecratum, Catholicis omnibus adversantur. Aliqui illorum, Lutherani scilicet, negant Oleum absolute requiri in ritu hujus Sacramenti, sed solam Orationem suscipientis, & alii ut Calvinistæ, non aliam Unctionem inquiunt sibi significare Jacobi verba, quam unctionem Olei vulgaris: Itaque contra hujusmodi errores defenditur Ecclesiæ sententia, & statuitur

§. I. *Materiam Remotam Sacramenti Extremæ Unctionis esse Oleum ab Episcopo benedictum.*

I. Prima hujus Propositionis pars evidentissime probatur ex ejusdem Jacobi verbis: *Ungentes eum Oleo*, quæ ut inquiunt Tridentini Patres, ex Apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia didicit nihil aliud significare, nisi quod Oleum sit materia necessaria hujus Sacramenti, & hanc fuisse Christi institutionem; ita ut Ecclesia ipsa in hoc dispensare non possit, ut Sacramentum fiat ex alia materia quacumque accedente necessitate. Traditionis existentiam probant illa Patrum testimonia, quæ in superiori Capite retulimus, quibus addere possumus congruentiam illam, quam S. Thomas insinuat in Supplemento qu. 29. a. 4. ubi sic ait: *Spiritualis sanatio, quæ in fine adhibetur debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur, & lenis, ut spes quæ exeuntibus est maxime necessaria non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum, & ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus Sacramenti: & quia Oleum principaliter nominatur Olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, Olei nomen accipiant: ideo Oleum Olivæ etiam debet esse, quod assumitur in materiam hujus Sacramenti*: tum etiam quia addit Tridentinum Concilium l. c. *apertissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis innungitur, repræsentat.*

II.

II. Alteram Propositionis partem quamquam non probet clarum Scripturæ testimonium, indubitatam tamen esse ex Traditione demonstratur, & ex iis Conciliis, quæ hanc Traditionem agnoverunt, Florentino nimirum sub Eugenio IV. in Decreto pro instructione Armenorum, & Tridentino in cap. 1. Sess. XIV. ubi dicitur: *Intellexit Ecclesia Materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum*. *Ab Episcopo confectum* scripserunt jam in supra laudata Epistola ad Decentium Innocentius I. cujus verba usurparunt Concilium Vormatiense in capite 72. & Aquisgranense titulo 2. cap. 8. quod Concilium hanc rationem addit: *quia in eo salvatio infirmorum creditur*. Ipsi quoque Cabilonenses Patres in Canone 48. Infirmos ungendos esse Oleo quod ab Episcopis benediciter scripserunt, & hoc non solum scripsit Venerabilis Beda in Commentario ad cap. 6. Marci, sed insuper voluit, ex Apostolorum traditione durasse hunc morem in Ecclesia tamquam rem omnino necessariam, & a Christo institutam, adjectumque ait, scribens super Epistolam Jacobi verbum illud *in Nomine Domini*, ad exprimendum Oleum hoc debere esse in Nomine Domini confectum, quod idem sonat ac Pontificali benedictione consecratum.

III. Circumstantiam hanc adeo necessariam esse plures Theologi crediderunt, ut illis fuerit persuasum non confici Sacramentum, si Oleum consecratum non sit. Præluxit his omnibus S. Thomas, qui loco supra cit. a. 5. hujus rei triplicem reddit rationem: *Primo est, quia omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit, & ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu sua carnis vim regenerativam contulit aquis: sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione: & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda caussa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus ejus corporalis (scilicet sanatio corporis) non causatur ex materiæ naturali proprietate, Et ideo oportet, quod hæc efficacia ei per sanctificationem detur*; Non dissentit ab Angelico Doctore S. Bonaventura in 4. dist. 23. q. 3. a. 1. & inveteratus utriusque Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis usus, quæ nunquam consuevit ægrotos inungere Oleo non consecrato, ex qua praxi eruitur, quod licet Sententia Scripturæ in hac re clara non sit, Ecclesia tamen verum illius sensum, & de quo Oleo in illa sermo esset nobis aperuit, non secus, ac quia eadem Ecclesia testimonia, quæ in Scriptura leguntur de Aqua Baptismi non aliter intellexit, opportune cognovimus non pertinere ad essentiam Baptismi, quod cum Aqua consecrata administretur. Non desunt certe contrariæ Theologorum opinioni suâ fundamenta, quibus probatur benedictionem fuisse Oleo superadditam ab Ecclesia, non vero a Christo institutam, & valide administrari hoc Sacramentum Oleo non consecrato, quod posset etiam defendi, si in conferendis Sacramentis liceret sequi opinionem probabilem tutiore relicta. Verum si id fortasse contingeret, quid in hoc casu esset a Sacerdote præstandum Innocentius III. in cap. *Pastoralis* de Sacram. non iter. decrevit, inquiens. *In talibus nihil est iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat prætermissum*. Victoria in summa de Sacram. n. 116. eximit a Culpa Sacerdotem, qui urgente necessitate sine Oleo benedicto infirmum ungeret.

IV. Cum superius citata Conciliorum testimonia doceant oportere Oleum esse ab Episcopo consecratum merito quæritur an simplex Sacerdos pos-

possit hoc munus sibi arrogare? Et Respondetur quod Ritus Ecclesiæ in hac re maxime attendi debet, in quo Latina, & Græca Ecclesia multum discrepant, & hoc sufficit, ut improbabilis sit Sententia illa, quæ per dispensationem Papæ ait non posse inferiori Sacerdoti committi, ut Oleum illud benedicat, quod futurum est materia hujus Sacramenti. Hoc tamen certum est, quod in Ecclesia Latina nunquam Presbyteris munus hoc demandatum est, sed solus Episcopus hoc Oleum benedicit, ut ostendatur quemadmodum arguit S. Thomas l. c. a. 6. *quod efficacia Sacramentorum, quæ prima est a Christo, ab ipso in alios descendat ordinate, scilicet in populum mediantibus Ministris, qui Sacramentum dispensant; & in Ministros inferiores mediantibus Superioribus, qui materiam sanctificant;* ideoque S. Doctor concludit, *in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit ab Episcopo, & usus quandoque per Sacerdotem, ut ostendatur Sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata.* Aliud documentum in ritus hujus confirmationem in Ecclesia Latina suppeditat Joannis XXII. Epistola ad Ossinium Armenorum Regem, in qua, postquam scripsisset Pontifex, quod apud Græcos ipsi etiam Sacerdotes Oleum quod infirmorum dicitur, consecrant pro Sacramento Extremæ Unctionis, hæc verba addidit: *cum tamen apud nos ad Episcopos solos spectet.* Quod scripserat etiam ad Decentium Innocentius I. nec ullum extare potest exemplum quo contrarium probetur a prioribus Sæculis ad hanc usque ætatem.

Praxim vero Ecclesiæ Græcæ non solum laudatus Joannis XXII. textus docet, sed ante annos fere mille illam Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in suis Capitularibus ita descripserat: *Secundum Græcos Presbytero licet Virginem Sacro Velamine consecrare, & reconciliare Pœnitentem, & facere Oleum Exorcizatum; & Infirmis Chrisma si necesse est:* describit etiam Arcudius l. 5. c. 2. & Allatius de Consensu utriusque Ecclesiæ cap. 16. Illam non condemnavit Romana Ecclesia, imò Clemens VIII. confirmavit in instructione, quam direxit ad Episcopos Latinos: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum ejusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Imo Sambuvio teste, Congregatio de Propaganda Fide eumdem Ritum probavit, ut constat ex Synopsi vernacula Neophyti Rhodini edita ejusdem Congregationis sumptibus, in qua inter pleraque hæc leguntur; *Materia Sacramenti Extremæ Unctionis est Oleum Olivæ expressum, a Pontifice, vel a Sacerdote benedictum.* Episcopi Græcorum utique feria 5. Majoris Hebdomadæ solemniter benedicunt ex Arcudii testimonio hoc Oleum. Contrarium tamen legitur in Epistola Julii Antonii Cardinalis ad Episcopum Messanensem, *sed postquam illud benedixerint magno solemni precum, & ritus apparatu statim in ceremoniali adstantium unctione eodem tempore totum consumunt, & ita facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho ipsi Pontifices taciti ex antiquo more videntur remittere, qui postea quoties urget necessitas consecrant, renovant, ut recens benedictum ægrotis liniendis proferatur, cum morem in Ecclesia Latina introductum Græci non imitentur asservandi Oleum infirmorum, sed quod illis superest Sacræ Unctioni ab illis in Lucernam immittitur, aut in vas aliud, in quo septem ellychnia juxta Sacerdotum numerum, & in figuram gratiarum Spiritus accenduntur, & quia ut*

Lu-

Lucerna per Sanctum Oleum evadit. & velut holocaustum, & sacrificium mundum Deo offertur. Hæc scribit Simeon Thessalonicensis in libro de Sacramentis. Verum ut ad Ritum Ecclesiæ Latinæ revertamur.

Episcopus itaque in Ecclesia Latina hoc Oleum consecrat feria quinta Sacratioris hebdomadæ in sua Cathedrali, si non abfuerit, vel etiam si abfuerit in alia, ut resolutum refert Aldanus in compendio Canonic. Resolut. lib. 1. tit. 8. n. 11. a Sacra Rituum Congregatione in Oriolen. 17. Novemb. a. 1600. Consecratum Presbyteris distribuit, quo, cremato vetere, uti debent; siquidem non licere vetere uti, censuit eadem S. C. die 7. Settemb. A. 1601. licere tamen Parochis, eo casu quo Oleum consecratum crederetur non sufficere pro toto anno ei (in minori quantitate) miscere Oleum non consecratum, probant Doctores ex cap. quod *in dubiis* de Consecratione Ecclesiæ. Pertinet etiam ad hujus Ecclesiæ Ritum nihil huic Oleo miscere, ita ut sit Oleum simplex nullo alio liquore mixtum. Consulenti veterum Patrum testimonia videbitur aliud ab ipsis fuisse traditum, vel quia hoc sanctificatum Oleum Chrisma nuncuparunt, vel quia Pontificali benedictione confectum dixerunt, qua voce usus est etiam Fabianus II. en Epistola quæ juncta legitur Aquisgranensi Concilio, in qua docet ex Apostolorum traditione Chrisma ex Oleo, & Balsamo debere ab Episcopo per singulos annos in Cœna Domini consecrari. Nihilominus vera manet principalis Propositio, quod nullus liquor infirmorum Oleo admisceri debeat cum unctionem hanc neque Græcorum Euchologia, neque Latinæ Ecclesiæ Pontificalia recenseant, ubi illius consecrationem describunt: Patet ergo nomen Chrisma genus esse, quod sub se complectitur quamcumque liquoris speciem qua quis ungi potest, & non semper accipi pro mixtura ex Oleo, & Balsamo. Neque verum est quod hoc Sacramentum immediate ordinetur ad incorruptionem, propter quam dicatur Balsamum necessarium, quod illam significet, siquidem ut optime advertit S. Thomas l. cit. n. 4. ad 1. *incorruptio gloriæ est res non contenta in hoc Sacramento, nec oportet quod tali rei significatio materia respondeat; Unde non oportet quod Balsamum ponatur in materia hujus Sacramenti, quia Balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua de cætero non indigent propter se exeuntes, sed indigent nitore Conscientiæ, qui per Oleum significatur.*

V. Ex his, quæ diximus de necessitate Consecrationis Olei inferri non debet in hac Consecratione consistere Sacramentum Extremæ Unctionis, ac si Sacramentum hoc in re permanente consisteret, non vero in usu talis materiæ Consecratæ. Solius Eucharistiæ Sacramenti naturam in re permanente consistere suo loco diximus, propter rationes, quas addidimus, & illius discrimen a Sacramentis reliquis, Baptismo nimirum, Confirmatione, &c. ut videri potest in Tractatu de Eucharistia Cap. 11. §. 11. n. XV. & sequ. quæ rationes in hoc Sacramento non militant, alioqui Minister proprius hujus Sacramenti esset solus Episcopus, & ejus forma esset illa Oratio, quam dicit Episcopus cum Oleum benedicit, & sic corruerent Conciliorum statuta, & Universalis Ecclesiæ traditio. Hoc vero advertimus, ne quorumdam veterum opinioni aliquis assentiatur, qui id olim docuerunt, erronea enim omnino est, & rejicienda, ut demonstrarunt D. Thomas, D. Bonaventura, & alii in 4. Sentent. distinct. 23. In usu hujus materiæ consecratæ hoc Sacramentum consistit, quare statuitur

§. II. *Materia proxima hujus Sacramenti Extremæ Unctionis est Unctio, applicatio scilicet Materiæ Remotæ.*

VI. Probat hoc ipsa Sacramenti Conditio, quia Sacramentum illud dicitur, quod est Signum efficax gratiæ: hujusmodi autem esse talem Unctionem decernit Concilium Tridentinum loco supra citato. Nam inquit, *Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua visibiliter ægrotantis animus inungitur, repræsentat*, & revera nihil aliud D. Jacobus imperavit quam solam unctionem: *Ungentes eum Oleo*. Non requiritur autem saltem necessitate Sacramenti quod hæc Unctio fiat in figura Crucis; quia infirmus ad recuperandam sanitatem ungitur, non ad portandam, & confitendam Crucem, quod discrimen tradit Concilium Florentinum inter Confirmationem, & Extremam Unctionem; neque S. Jacobus, neque Concilia, neque Traditio oppositum declararunt. In ipsa etiam Unctione animadvertendum est, quod satis est si ita fiat, ut quamvis minima sit, veram tamen rationem Unctionis attingat ex communi loquendi usu; sicuti ad ejusdem Sacramenti essentiam necessaria non est duplex Unctio in Unctione cujuslibet sensus, nam etiam in una ejus parte virtus ejus significatur, & in casibus necessitatis hujusmodi ritus non observatur.

VII. In partibus Corporis inungendis, quid olim fuerit observatum unaquæque Ecclesia in suis Sacramentalibus libris explicatum profert. Primus Innocentius, qui Romanæ Ecclesiæ Ritum in conferendo Sacramento Extremæ Unctionis confirmat, quæ infirmi partes ungantur non narrat. Unius partis tantum meminit, scilicet Pectoris, Auctor vitæ S. Eugendi Abbatis, sicuti una legitur in Sacramentorum libro S. Gregorii Magni, qui Romæ edita est inter illius Opera, & Caput nominatim exprimitur. Editionem notavi, ut discrimen quod inter hanc, & alteram quæ prodiit juxta exemplar Missalis Ms. S. Eligii observarem, in qua plures corporis partes ungendæ recensentur, quod discrimen dum Grimoldus Abbas observavit, ad unum, eumdemque Auctorem utrumque librum spectare non posse censuit, & propterea in hujus libri recensione plura sustulit, & inter cetera, apud Grimoldum neque Caput, neque ulla alia Corporis pars nominatim ungenda designatur. Ex hoc tamen factum non est quod in Latina Ecclesia Unctiones hæ omitterentur. Nonnullæ enim Ecclesiæ vel Caput dumtaxat Ungendum ad ritum Sacramenti traduxerunt, & aliæ Collum, guttur, inter scapulas, pectus, & partem corporis gravius afflictam inungebant. Insecutis deinde temporibus aliæ quoque partes unctioni destinatæ sunt plures, aut pauciores usque ad Eugenium IV. qui in Decreto pro unione Armenorum sancivit quod hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus salute timetur dari non debet, qui ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Tridentini vero Patres cum jacturam ex eo nullam accipere intelligerent hujus Sacramenti substantiam, sive plures essent Unctiones, sive pauciores, in capite 3. de hoc Sacramento docuerunt: *Nec profecto, Ecclesia Romana aliarum omnium Mater, & Magistra aliud in hac admittenda Unctione quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt observat, quamquod B. Jacobus præscripsit.*

Si,

Simeon Thessalonicensis, quæ corporis infirmi partes apud Græcos ungerentur in libro de VII. Sacramentis exposuit: *Ungit Sacerdos*, inquit, *in modum Crucis Ægri frontem ob contentas in ea cogitationes, faciem quoque inungit propter sensuum organa, postremo manus a pravis cogitationibus, & operibus eum expians, sanctoque Oleo, & signo Crucis muniens, & perfecte sanctificans*. Rem paullo aliter narrat Arcudius in l. 5. de Extrem. Unct. c.7. De pectore unde exeunt pravæ cogitationes, & infandæ cupidines, & de pedibus ad iniquitatem attingendam velocibus, mentionem non egit Thessalonicensis Antistes, illorum tamen unctionem hoc tempore non omitti idem affirmat Arcudius.

Hodiernus Ecclesiæ Latinæ Ritus observandus habetur in Rituali Pauli V. in quo sic legitur: *Quia vero corporis partes præcipuæ ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus*, attamen pedes etiam, & renes ungendi sunt, sed renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest, sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. Juxta quam doctrinam videtur dubitari non posse has quinque Unctiones quinque sensuum esse de necessitate præcepti, quod etiam convincit Universalis Ecclesiæ consuetudo, a qua non sine gravi culpa quis recederet nulla concurrente necessitate. Licet etiam Unctionum ordo servandus sit, quia ita præscribitur, nihil tamen validitati Sacramenti officeret, quamquam perverteretur, quia materia Sacramento essentialis non est ordo Unctionum, sed ipsa Unctio, ut communiter censent Doctores, peccaret tamen qui malitiose hunc ordinem perverteret, quia quod habet Ecclesiæ consuetudo, sine peccato omitti non potest.

§. III. *De forma agitur Sacramenti Extremæ Unctionis.*

VIII. Formæ vox apud Antiquos Patres ritum Sacramenti præcipuum, atque ordinem complectitur, apud Theologos vero significat illam Sacramenti partem, quæ strictioris est naturæ, & distinctius gratiam determinat. Quid circa hanc formam nos doceat Ecclesiarum traditio subjicimus in hoc paragrafo, ut innotescat quibus fundamentis innitatur id, quod inferius de vera forma hujus Sacramenti proferemus.

Ex Jacobi Sententia, ex Epistola Innocentii I. & ex Gregoriano Sacramentario, quod Grimoldus Abbas olim correxit, designatur certe quod primis Ecclesiæ Sæculis usque ad VI. ungebantur Infirmi, & super eos Orationes fundebantur, sed ex illis scire non possumus utrum ne Orationes jungerentur Unctioni, an vero illam præcederent, aut illam subsequerentur. Priora monumenta jam sunt citata, satis est ergo quod Gregorianus Ordo subjiciatur prout illud edidit laudatus Grimoldus.

Orationes ad visitandum Infirmum.

Deus qui famulo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & famulum tuum, illa lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per &c. Respice Domine famulum tuum N. in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emundata, continuo se sentiat tuâ medicinâ salvatum. Per &c. Deus qui facturæ tuæ pio semper do-

mi-

tium corporis inungendarum post peractas ipsas unctiones, & Orationes indicativas, quæ jam dictæ fuerant dum partes singulæ ungerentur Hæc sunt hujus Orationis verba: *Per istam Unctionem Dei, & per Ministerium nostrum, & Dei Benedictionem mundentur, & Santificentur ab omni sorde, & contagione peccati caput tuum, & sensus tui, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, et quidquid in humeris, vel in manibus, aut pedibus, sive toto corpore, cogitatione, locutione, & ore peccasti, Misericordia Salvatoris Nostri expietur.*

X. A Sæculo X. usque ad XII. unicus reperitur MS. Pontificalis liber Laudunensis Ecclesiæ, qui in ungendis partibus corporis utitur deprecativis verbis, reliqui Rituales libri hoc temporis intervallo editi, & inediti non recedunt a forma indicativa, quam A. 1240. solam in singulis Germaniæ Ecclesiis, aliisque pluribus viguisse ejusdem XII. Sæculi Auctor Albertus Magnus scripsit. Nihilominus advertit hic Auctor in quibusdam etiam Codicibus antiquissimis formam deprecativam fuisse subjectam indicativæ, & fortasse, aut innuere voluit Codicem laudatum Monasterii S. Remigii, aut alios, cum in hoc Codice una tantum reperiatur deprecatio, quæ plures corporis partes complectitur, ipse vero scribat in illis tot extitisse deprecationes quot præscribebantur partes corporis inungendæ; unde factum est, quod S. Thomæ ætate fuerint multi Rituales libri, in quibus eadem deprecativa indicativæ formæ postponebatur, cumque tunc ambigeretur, cum altera forma esset absolute, & simpliciter indicativa, altera deprecativa, si quis ambas pronunciaret, quæ tunc conficeret Sacramentum in unica materia? Responsisse Doctores, ait Ekius, *quod sola deprecativa esset substantialis in Sacramento, altera autem indicativa esset tantum præparatoria ad Sacramentum.* Responsionem hanc invenimus apud S. Thomam in Supplemento q. 29. a. 8. ad 3. Cur vero potius deprecativæ, quam indicativæ Theologi illius ætatis attribuerent effectum Sacramenti, certa ratio reddi non potest, nisi fortasse, quod ad rem ipsam manifestius exprimendam hæc forma conducat, & ipsius Jacobi verbis magis consentiat, quam rationem reddit D. Thomas in citato articulo 8. & præterea aliam addit, quam petit ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ inquit, *solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti.* Quod ætate S. Doctoris hæc forma in usu fuerit non dubito, nam idem etiam testatur S. Bonaventura in 4. Senten. dist. 23. a. 1. q. 4. & Joannes Ekius in homil. 54. de Extrema Unctione, tamen monumenta desunt, ut probetur, quod eadem forma in Ecclesia Romana semper obtinuerit, & aliunde constat ante A. 1073. non auditam fuisse, quia tunc primum, sub Pontificatu scilicet Gregorii VII. ut dictum est supra, Constitutiones Cluniacenses, in quibus hæc forma legitur, litteris traditæ sunt.

XI. Desunt etiam monumenta quibus probetur id, quod in loco citato Ekius scripsit, & Coletus in Commentariis super statuta Synodalia Trecensia Ecclesiæ, hanc formam deprecativam imperatam fuisse, & institutam a Gregorio. *Rectius*, ait Ekius, *facit Minister, minusque dubitationis committit utens forma illa Romana deprecativa, quam docuit Petrus, & Gregorius in omnibus Ecclesiis præcepit observari. Forma hujus Sacramenti*, Verba sunt Joannis Coleti Officialis Trecensis, *est deprecativa, quam instituit Gregorius, quæ talis est: per istam Sanctam Unctionem.* Ecclesiasticis rebus, & Litteratorum Reipublicæ plurimum consuluissent hi Scriptores, si illud Gregorianum genuinum exemplar citassent, in quo deprecatoria hæc forma indicatur,

catur, & ejus usus præcipitur. Par est credere Grimoldum plurima evolvisse exemplaria Sacramentorum libri a Gregorio editi, dum pristino nitori illum restituit, & tamen hoc exemplar nec is invenit, nec quivis alter: quapropter in nullis hujus Sacramentarii antiquis editionibus reperiri potest hæc forma deprecatoria, sed ex duabus supra citatis, in una tantum indicativa Oratio legitur, quæ ab uno ex Sacerdotibus dicitur, dum ungitur infirmus in collo, in gutture, inter scapulas, & in pectore, seu in loco ubi dolor urget acrius, & hujus Orationis intuitu fuerunt, qui apud Albertum Magnum indicativam Orationem Gregorianam appellarunt: *Ad hoc multæ Ecclesiæ*, inquit, *habent pro forma Orationem indicativam, sicut tota Ecclesia Alemanniæ, & dicitur esse Gregorianum illud*. Dicendum est ergo, quod rebus melius perpensis, tum Romanam, tum ceteras Ecclesias a Sæculo decimo usque ad XIII. e Ritualibus libris paullatim indicativam formam, quæ nongentorum annorum plus minus per apertam traditionem derivata erat, expunxisse, & deprecativam inseruisse, & certe, quæ antea constantissimæ fuerant Ecclesiæ in veteri retinenda indicativa forma Viennensis, Catalaunensis, & Metensis, illam tandem A. 1564. 1577. & 1605. deseruerunt, & nulla modo est Ecclesiarum quæ deprecatoria forma non utatur. Eugenii IV. Decretum pro unione Armenorum, quod sub initium XV. Sæculi prælo mandatum est, Theologorum litem diremit, quam penitus postea extinxit Tridentinum Concilium A. 1551. cum in Sessione XIV. dixit *formam Sacramenti Extremæ Unctionis esse illa verba: per istam Sanctam Unctionem &c.*

XII. Quamquam neque satis fuit, quod Tridentini Patres in cap. 1. de Extrema Unctione ita dixerint, ut quælibet Ecclesiarum novam hanc disciplinam amplecteretur, legitur enim, quod nonnulli illorum Episcoporum, qui huic Sessioni decimæquartæ interfuerunt iterum indicativam formam servaverunt in Manualibus suarum Ecclesiarum editis post annum 1551. Hanc Joannes Trevisanus retinuit in suo Sacerdotali secundum usum Patriarchatus Venetiarum Venetijs edito A. 1555. Parisiis A. 1554. opera Nicolai Psalmi Virdunensis Episcopi prodiit Manuale hujus Ecclesiæ, in quo eadem forma indicativa reperitur. Retinuerunt eamdem Attrebatensis Episcopus. Franciscus Ricardotius, & Episcopus Venetensis Philippus Beccus in Manualibus eorumdem jussu editis Attrebati, & Veneti A. 1563. & 1596. Alia plura prætereo, quæ aliis Diœcesibus Præsules alii concesserunt, sed illud prætereundum non esse censeo, quod scripsit de forma Extremæ Unctionis Cardinalis Hosius Varmiensis Episcopus, qui postremis Tridentini Concilii Sessionibus interfuit in cap. 49. suæ Confessionis fidei, quam in Petricoviensi Provinciali Concilio habuit A. 1551. Ita igitur inquit: *Verbum est Oratio fidei, quam Presbyter ungendo dicit In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. adjunctis piis, & succintis precationibus ab Ambrosio, & Gregorio compositis* (hæ siquidem formæ tunc per errorem his Auctoribus tribuebantur) *ut per hujus Olei Unctionem expietur quidquid illicito visu, & ceteris sensibus ægrotus deliquit*. Dixi *per errorem*, & quidem quantum ad Gregorium hoc jam ostensum est, quantum vero ad Ambrosium æque clarissimum est, quia Ambrosius in Scriptis suis ne verbo quidem attigit Infirmorum Unctionem, nec ullus Scriptor æqualis, aut suppar illi ætate, id genus Operis eidem unquam adscripsit.

XIII. Ex hoc tamen, quod Deprecativa forma, nunc utendum sit, absit qui

qui credat veteres illos, qui numquam hanc usurparunt, saltem usque ad annum millesimum, & etiam deinceps integrum non contulisse Extremæ Unctionis Sacramentum, nefas enim est cogitare tanto tempore in Ecclesia Dei erratum fuisse. In antiquis Ritualibus hæc indicativa forma *Oratio* vocatur, *ad infirmum ungendum*, & revera si finis ejus spectetur, in pium votum, ac desiderium desinit, ut consideranti patet. Hujus formæ verba sic sese habent: *Ungo hos oculos de Oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu peccasti, hujus Olei Unctione expietur*. Qui infirmum inungit Sacerdos sic dicens illud idem petit ac ille, qui sic loquitur: *per istam Sanctam Unctionem &c. indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum*, & si aliquod discrimen est, consistit in hoc, quod magis, aut minus per illa verba res significata exprimatur, quis autem ignorat, quod per magis, aut minus Orationis species non immutatur, & sensus remanet idem, nisi lex aliqua id impediat: quæ in tanta annorum serie non demonstratur, & novæ Leges per Florentinum Concilium latæ prædictam formam ab Ecclesiis usitatam non reprobarunt. Eugenio mens fuit probatam Romæ Sacramentorum doctrinam Armenos docere, & præscribere quid illis faciendum esset, Tridentini vero Patres canone 3. simpliciter definiverunt, quod sit Anathema, qui dixerit Extremæ Unctionis ritum, & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia repugnare Sententiæ S. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum esse, & posse a Christianis absque peccato contemni, numquam vero condemnavit formam indicativam; & revera Venetiis apud Dominicum Nicolinum A. 1585. prodiit liber sic inscriptus: *Sacerdotale Romanum ad consuetudinem S. R. E. aliarumque Ecclesiarum ex Apostolicæ Bibliothecæ, ac Sanctorum jurium Sanctionibus, & Ecclesiasticorum Doctorum scriptis ad optatum quorumcumque Sacerdotum commodum collectum, atque Summorum Pontificum auctoritate, multoties approbatum, summa nuper cura juxta Sancti Tridentini Concilii sanctiones emendatum, & auctum*; & in hoc libro duplex Ordo ad ungendum infirmum reperitur, qualem descripsit Albertus Castellanus Ordinis Prædicatorum, unus secundum Romanam Curiam, alter secundum usum Patriarchatus Venetiarum, qui postremus in aliis etiam Jtaliæ locis, & Medoliani cum primis observatus traditur a S. Bonaventura in 4. Sent. d. 23. a. 1. q. 4. a Petro Paludano in eumdem 4. Senten. d. 23. q. 1. & ab aliis.

XIV. Ne vero Græcorum etiam Disciplinam modo prætermittamus in administratione hujus Sacramenti, sciendum est, quod Græci Auctores Origenes, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Victor Antiochenus, aliique, qui ante annum Christi septingentesimum floruerunt Jacobi Epistolam laudant, & Olei Unctionem cum Orationibus vindicant, sed non exponunt quænam Orationes illæ essent, quæ ungentis exprimerent actiones. De his quoque silent Auctores, qui Niceni Concilii Canones in Arabicam linguam transtulerunt, nam in canone 69. Olei tantum meminerunt. Hinc factum est, quod cum nonnulli Scriptores pluribus diligenter, & curiose evolutis MS. Romanis Codicibus vix unum reperire potuerint, in quo Unctionis Extremæ scriptum manifeste reperiretur Officium, in illam Sententiam abierunt, quæ credit Orientalem Ecclesiam hoc ultimo Sacramento fuisse destitutam. Allatius inter ceteros hoc sibi persuasum habuit, & parum defuit, quod idem non sentiret, qui Græcorum illustravit Euchologium Jacobus Goar, eadem ratione motus inopiæ Auctorum, qui ritum hunc explicarent: *Verum ne*, ut ipse

 ait,

ait, *dignissimam Ecclesiæ portionem uno vel Sacramento cum aliis ita pro libito sentientibus privaret*, preces illas, quas supra memoravimus, putavit olim huic Sacramento administrando fuisse accommodatas, vel proprias, quæ quia a Christo Domino, vel ejus Apostolo Jacobo non fuerunt speciatim determinatæ, potuerunt pro Ecclesiæ jure in alias mutari, atque ita a Posteris recentior, & verbis diversus hujus Sacramenti conferendi ritus in lucem edi potuit. Unus ex his a laudato Goario repræsentatur erutus ex duobus codicibus MS. in quo juxta Jacobi Apostoli præscriptum infirmus ungitur, & Orationes plures super illum recitantur. Alium describit in suis Antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 7. a. 4. Edmundus Martene petitum ex MS. Pontificali insignis Ecclesiæ Constantinopolitanæ annorum circiter 500. & in hoc legitur forma absoluta, licet Mabillonius, qui eumdem recenset in Tomo 2. Musæi Italici illum exhibeat cum forma deprecatoria. Idem Martene alium describit ex MS. Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, & in hoc utraque forma legitur absoluta, & deprecatoria, ex quibus cognoscitur, quod cum Græci cœperant peculiari aliquo ritu infirmos ungere, in quo forma hæc audiretur, indiscriminatim scilicet utramque usurparunt; quod satis est, ut Traditione, & usu Ecclesiarum explicatum habeamus non ad veterem, sed ad Recentiorem Disciplinam pertinere Deprecatoriam formam in Occidentali, & Orientali Ecclesia introductam, ut dilucidior esset, atque expressior appareret hujus Sacræ Unctionis institutio, quod si etiam aliqua alia ratio hujus variationis a veteri forma desideretur, hanc suppeditat D. Thomas in Supplemento, & cit. q. 29. a. 8. ubi inquit: *quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti etiam rite peractis, sicut character in Baptismo, & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia existente Contritione, quæ remissio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus Sacramenti.*

XV. Audiendi minime sunt Pseudoreformati, qui renuentes formam quamcumque cognoscere tamquam necessariam ad effectum obtinendum in Sacramento Extremæ Unctionis hanc rationem opponunt, *quia illius forma verborum, quam Pontificii præscribunt nulla vel littera, vel Sillaba in Evangelica historia legitur*. Verum non satis Kemnitius suæ impudentiæ consuluit, cum tam debili fundamento disciplinæ ritum, & hujus Sacramenti formam ab Ecclesia præscriptam oscitanter despexit. Argumentum hoc nullum esse nihilque concludere, ex iis cognoscitur, quæ Tertullianus scripsit in libro de Corona Militis cap. 4. *Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem Traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit disces. Nec disciplina ulla est*, addit Augustinus ad Nebridium scribens in Epist. 128. *in his melior gravi prudentia Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam*. Ritus autem, & forma, quæ huic Sacramento præscribitur, adamussim exprimit quidquid B. Jacobus in sua jubet Epistola: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* unde quæ impie mentiri Catholicos scribebat Calvinus in cap. 19. l. 4. suarum Instit. cum per Sacram Unctionem remitti peccata testantur, in impium hominem retorqueri commode possumus, quod effectum auferat Unctioni, &

Ora-

Orationis, quæ ipsam comitatur, clarissimo jam Scripturæ testimonio, & perpetua traditione confirmatum: *Orent super eum, ungentes eum &c. & Oratio fidei salvabit infirmum &c. & si in peccatis sit remittentur ei*. Utrum vero necesse sit, quod verba singula, ex quibus hæc deprecatoria formula constat proferantur, ut infirmus hujus Unctionis consequatur effectum, Theologi explicant, dum inquiunt sufficere hæc verba: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus*, in quibus totum Sacramentum, & Sacramenti caussa, & effectus ejusdem continetur; tamen esse de necessitate præcepti, quod verba reliqua proferantur. Illæ vero quæ in Ritualibus disponuntur Orationes dicendæ ante, aut post ipsam Sacram Unctionem, facile omitti possunt, si rationabilis caussa occurrat, & in his servanda est illarum Ecclesiarum disciplina, ad quascumque quis accesserit: *Non enim*, ut scribit Augustinus in Epist. 118. ad Januarium, *quisquam eorum contra fidem fit, aut contra mores bine; vel inde meliores. His enim caussis, idest aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel institui, quod non fiebat: ipsa quippe mutatio consuetudinis etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter, quæ utilis non est perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.*

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I. *Solus Sacerdos est Minister Extremæ Unctionis.*

I. SOla dissentiendi cupiditas a communi Catholicorum Sententia Heterodoxos avocavit, quippe sæpe laudatus Jacobi textus adeo clarus est, ut excutiat oportet, qui vult defendere Sacramenti Extremæ Unctionis Ministros alios esse, quam Presbyteros, hoc est Sacerdotes. Aliter profecto locum hunc interpretati non sunt quotquot de hujus Sacramenti Ministro scripserunt. Legere possumus S. Gregorium Magnum in suo Sacramentario, Auctorem veteris Pontificalis, quod in Bibliotheca Tilliana asservabatur, Statuta Congregationis Cluniacensis sub Hugone in notis Dacherii ad Guibertum, Carolum Magnum in lib. 7. Capitulorum n. 103: Monacum Engolismensem in cap. 24. de vita ejusdem Caroli Magni Riculfum Suessionensem Episcopum in numero 10. suæ constitutionis. Dunstanum Cantuariensem Episcopum in canonibus Ecclesiasticis n. 65. Egbertum Eboracensem in Excerptionibus Canonum cap. 21. Græcorum Euchologium, Simeonem Thessalonicem in libro de Sacramentis, illosque singulos, qui ad præsens usque Sæculum argumentum hoc pertractarunt. Jure itaque, meritoque Tridentini Patres in canone 4. Sess. XIV. decreverunt, quod sit Anathema, *si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum adhortatur non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem*: quod sibi incertum esse Lutherus dixerat in lib. de Capt. Babyl. & temere negaverat Calvinus hæc scribens in loco superius citato: *Jacobus vult*

vult infirmum ungi a senioribus Ecclesiæ, isti (ideft Pontificii) *Unctionem, non admittunt nisi Sacrificorum*. Cum itaque veritas hæc per traditionem Ecclesiæ, & definitionem Conciliorum probata sit; nec ab auctoritate Novi Testamenti dissentiat, in quo ut observat Estius in hunc locum Jacobi, vix unquam vox hæc *Presbyter* nomen est ætatis: ideo hac propositione veluti certa supposita videamus nunc quibus contrariis argumentis impugnetur.

II. Maximum semper illud visum est, quod S. Innocentius I. suppeditat in sua sæpe laudata ad Decentium Epistola, cum ibi scripserit in cap. 8. *quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut in suorum necessitate ungendum*, quæ verba paullo aliter referuntur a Beda in cap. 6. Marci, & in Concilio Uvormatiensi can. 72. Persuasum igitur Innocentio fuit, tum Bedæ, tum Patribus Uvormatiensibus, Presbyterorum nomen, quod legitur in Jacobi Epistola fuisse usurpatum, ut Seniores ætate, sive Sacerdotes, sive Laicos complecteretur, quibus curæ esset Infirmis Sacramentum Extremæ Unctionis conferre.

III. Ante solutionem hujus difficultatis, præmittendum est nonnullos advertere Sanctum Innocentium respondisse Decentii dubio: an soli Sacerdotes, Episcopis exclusis, Unctionem conferre possent, non verò an Christianis singulis liceret unctionem ipsam recipere? Quod advertunt, ut intelligatur pondus responsionum illarum, quæ ab aliquibus excogitantur, ut ab hac difficultate se expediant. Visum itaque est aliquibus Innocentium voluisse licere Laicis ea Unctione uti, quod illo Oleo ungi possent, neque hoc solum proprium esse Sacerdotibus, quemadmodum sunt Unctiones Sacerdotales, unde illa dictio *inungendo* accipienda hic dicitur in passiva significatione, non autem activa, quod creditur satis significare, cum dicit Pontifex *Laicos eo uti posse in sua necessitate inungendo*, nulla addito accusativo. Non enim verisimile est eum voluisse dicere, quod eo Oleo ægroti se ipsos ungerent.

Placuit vero aliis aliter respondere. Innocentium scilicet, Bedam &c. locutos fuisse in suppositione, quod copia Sacerdotis deesset, & intellexisse in hoc casu non solum hoc licere Presbyteris, sed & omnibus Christianis, sicuti in extremæ necessitatis articulo Christianæ licebit Vetulæ baptizare.

Se rectius respondere illi arbitrantur, qui dicunt Innocentium, Bedam, & alios affirmare, quod licitum sit sanitatis gratia Oleo ab Episcopis consecrato infirmos delinire, non tamen sensisse illud esse Sacramentum, nisi a Presbyteris in forma Ecclesiæ illud fiat. Sed revera Decentii interrogatio utramque dubitationis partem complectitur. Hæc sunt verba Innocentii: *Sane quoniam de hoc, sicuti de ceteris consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœlestinus Diaconus in Epistola sua esse a tua dilectione positum illud, quod in Beati Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis est inducat Presbyteros, & orent super eum ungentes eum Oleo in Nomine Domini, & Oratio Fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei*: Usque huc protrahit Pontifex Innocentius lectionem primæ partis Consultationis Decentii, cui statim sic respondet: *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis*

licet

licet in sua, aut in suorum necessitate ungendum. Progreditur ulterius Pontifex, & indicata altera Consultationis parte, interrogationem, & responsionem ita conjungit: *Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus, aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est Chrisma conficere*. Cum itaque habeamus in recitatis Innocentii verbis Decentium duplex dubium proposuisse, & utrique S. Pontificem respondisse. Si Pontificis mentem assecuti non sunt Theologi, qui difficultatem propositam ita explicarunt, illud tamen non statuerunt, quod esset omnino improbabile, & quod non satis esset ad eluendam Adversariorum instantiam.

IV. Non is ego sum, qui Waldensis explicationem secundo loco relatam tueri velim, [illegible] rium expresse docuerit, eorum scilicet Theologorum, qui ante ipsum floruerunt. Posteriorum aliqui sunt, sed labem omnem vindicat Martini V. Elogium, quo commendatur Waldensis secundus de Sacramentis Tomus, in quo (nimirum in cap. 183.) illa legitur explicatio. *Recepimus*, inquit Martinus V. in suis litteris ad Waldensem, *volumen secundum de Sacramentis, quod per solemnes Viros N. (scilicet Cardinalem Presbyterum S. Patri a Vincula, & Bernardum Cavellicensem Episcopum) videri, & examinari fecimus, sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum*. Expositionem hanc non admittimus, quia consentanea non est menti Innocentii, quia plane loquitur de Unctione Sacramentali, nam infra concludit, hoc esse genus Sacramenti, & propter hanc rationem etiam a Sambovio disentimus, qui eamdem repetit explicationem; imò reprobamus similitudines, quas refert in suæ explicationis confirmationem, ut nimirum Diaconus, vel Laicus deficiente aqua naturali possit in vino baptizare, & absente Sacerdote Exomologesim facere, non quasi Baptismus in vino valeat, aut quasi potestas sit penes Diaconum, vel etiam penes Laicum absolvendi a peccatis, sed ut Minister Baptismi, vel etiam baptizandus faciat quod in se est, nam qui sic se gereret, fieret reus sacrilegii, quod Sacramenti formam ultro applicaret indebitæ materiæ, & sine charactere potestate judiciaria uteretur.

V. Eadem Innocentii explicata mens, quod nimirum Pontifex loquatur de Unctione Sacramentali, nos impellit ut non negemus quidem id quod in tertia responsione a Dominico Soto, ex 4. Sentent. 23. a. 1. petitum, explicatum est, cum nihil sit in eo quod possit vel leviter oppugnari, nam plerique Sanctorum, & Sanctarum erga laborantes Unctionem hanc adhibuerunt, sed ut affirmemus menti Pontificis non cohærere, unde mera est interpretatio Alphonsi de Castro in libro de Hæresibus, verbo *Extrema Unctio*. Estii in 4. d. 23. §. 12. aliorumque affirmantium Pontificem morem illum sua ætate florentem voluisse approbare, si præsertim verum sit ex historiis non constare Sanctos illos viros usos fuisse ad sanandos miraculose infirmos, Oleo ab Episcopo consecrato, ad eosdem ungendos, aut Oleo alio, quod ipsi fortasse per signum Crucis, vel aliam deprecationem benedicebant, quod inverisimile non esse scribit Bellarminus lib. de Extrea Unctione cap. 9.

VI. Non video tamen quomodo reprobari debeat Jansenii Gandegavens

vensis Episcopi explicatio, quam ipse habet in cap. 6. Marci, & nos primo loco retulimus, cum ex illa constet Pontificem Innocentium sua responsione occurrere voluisse difficultati, quæ facile Laicos removere potuisset ab usu sacræ hujus Unctionis, quod fidelibus jamjam notum esset sanctificato Oleo Sacerdotes inungi, Manus, & Caput Pontificum tangi, Reges consecrari, Altaria, & Basilicas dedicari, quare ne ullo amplius futuro tempore dubitaretur, de hoc respondit non solos Sacerdotes, sed Christifideles omnes hoc Oleo sanctificato ungi posse in extremo vitæ periculo constitutos, hoc est Christianos omnes uti posse Oleo in sua necessitate, non ut Ministri, qui Sacramentum conficiant, sed ut Personæ, quibus a Sacerdotibus Sacramentum ministretur. Præter alios, qui hanc explicationem sequuntur recensetur Petrus Constant in notis ad eamdem Innocentii Epistolam Tom. 1. col. 863.

VII. Illud etiam Innocentii Responsum præstitit, quod cum antea dubitaretur, utrum possent Episcopi hoc Sacramentum conferre; non amplius de Episcoporum hac potestate certatum est, quam iterum agnoverunt an. 850. Regiaticini Concilii Patres in cap. 18. & Universa deinde agnovit Ecclesia, & usus ipse probavit, Monachus enim Engolismensis refert Carolum Magnum fuisse inunctum ab Episcopis, quod & de S. Adalardo scribit S. Gerardus in ejus vita, & alii scribunt de Mathilde Imperatrice, & de S. Ferdinando Castellæ, & Legionis Rege Toletanus in l. 6. cap. 14. restatur, ut prætercam idem statutnm esse in c. *legimus* 93. dist. c. *Presbyter* 5. d. 95. & in Tridentino Concilio Sessione XXIII. cap. 7.

VIII. Ex hoc vero quod demonstratum est Sacerdotes esse Ministros Extremæ Unctionis, inferri non debet quod quicumque sit hic Sacerdos penes illum resideat hæc potestas. Ubi agitur de Ministro Sacramentorum, semper attendi debet utraque potestas, Ordinis scilicet, & Jurisdictionis, ut valide, & licite administrentur Sacramenta, nam si Jurisdictio deerit in Sacerdote, quæcunque illa sit, vel ordinaria, vel delegata, illicite ille administrabit hoc Sacramentum, sed valide, id enim vetat Clementina, 1. de Privilegiis: *ne quis Presbyter sine licentia proprii Sacerdotis Extremam Unctionem administret*. Casus necessitatis excipitur cum abest Parochus, in quo casu etiam Religiosus absque metu Excommunicationis pœnam incurrendi, licite poterit infirmos ungere, cum Sacramentum hoc maxime utilitatis sit morituris, & per accidens necessarium iis, qui vel imperfecte sunt contriti de peccato mortali, quod post Confessionem commiserint, vel ignorant esse lethale, vel non advertunt illud confiteri, eo quod illius non recordentur; quidquid in contrarium scripserit Navarrus in Manuali cap. 21. nulli permittens, qui non sit proprius Parochus, aut jurisdictionem delegatam habeat, etiam in mortis articulo Fidelibus Extremam Unctionem administrare, quem merito refellunt Sotus in 4. d. 23. q. 2. a. 1. Sambovius de Sacram. Extremæ Unctionis disp. 6. a. 2. Natalis Alexander, & alii; inverisimile siquidem est Ecclesiam, quæ urgente mortis periculo cuilibet Sacerdoti facultatem concedit absolvendi a peccatis omnibus, & censuris, interdicat administrare Sacramentum illud, quod jam a Patribus diximus esse appellatum *Pœnitentiæ complementum*. Certe S. Carolus in v. Mediolanensi Concilio Parte 1. Sacerdoti alteri licere illud administrare voluit, non solum quando Parochus est impeditus, sed quando etiam alias in mora est. *Ne alius Sacerdos*, inquit, *nisi Parochus hoc Sacramentum ministret: si porro is im-*

impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret, licet. Si *licet*, nullus illi erit gravis culpæ reatus, neque in excommunicationem incidet Sedi Apostolicæ reservatam.

Diaconus vero in nullo casu munus hoc sibi arrogabit, quod ut docet D. Thomas in Supplem. q. 31. a. 2. *habeat vim purgativam tantum secundum Dionys. non illuminativam. Unde cum illuminatio fiat per gratiam, nullum Sacramentum, in quo gratia conferatur, Diaconus potest dare ex officio, & ideo nec hoc, cum gratia in eo conferatur.*

§. II. *Utriusque Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis Disciplina in administrando Sacramento Extremæ Unctionis circa Presbyterorum numerum reprobari non potest. Sufficit tamen, etiamsi unus sit Sacerdos, qui illud administret.*

IX. Quantum Latinos inter, & Græcos sit discriminis in administrando Extremæ Unctionis Sacramento, utriusque Ecclesiæ constans Traditio demonstrat. Plures aliquando Presbyteros advocabant Latini, sed sive adesset necessitas, sive non, unum sufficere semper pro certo habuerunt: e contra Græci septem, vel tres saltem inducunt, & nunquam apud illos in hujus ministerii opus Sacerdos unus admittitur. Auctoritatibus Scriptorum hoc discrimen componere facile non erit, cum alterutri opinioni loca non desint, quæ probant pluralem numerum in Scripturis accipi pro singulari numero, & alia in quibus idem multitudinis numerus nunc pro singulari accipitur, & nunc pro se ipso. Quomodo itaque hic accipiendus sit apud Jacobum, ex ipsa consuetudine Ecclesiarum quærendum est, & ex utriusque Ecclesiæ disciplina. Antiquissima Græcorum Monumenta in superiori Capite memorata Septem statuunt vocandos esse Presbyteros: *Et Dei quidem Frater Jacobus*, inquit Simeon Thessalonicensis in suo libro de Sacramentis, *Presbyterorum numerum non exprimit, at vero* VII. *esse vocandos consuetudine traditum est; quod fieri arbitror propter dona septem, quæ apud Isaiam numerantur: vel propter illos* VII. *antiquæ legis Sacerdotes, qui Divino jussu circumeuntes urbem Hjerico, septies tubis cecinerunt, & mœnia diruerunt: ut etiam septem Sacerdotes nequitiæ urbem, duraque mœnia altitudinem peccati demoliantur, vel etiam tamquam mortua existente anima, ut supra puerum istius Sunamitidis, ad imitationem Prophetæ septies orent Sacerdotes, & eam suscitent, prout sane excitavit puellum Eliseæus septies reversus, septies iterum precatus: vel quemadmodum Elias septies orans Cælum quod peccantibus clauserat, iterum aperuit, atque deduxit pluviam: sit isti septies deprecati solvant quidem squallorem peccati, accepta vero gratiæ clavi non secus atque Petrus aperiant Cælum, atque misericordiam remissionis, velut imbrem a Deo deducant.* Ubi modica est Sacerdotum copia tres sufficere ipse Simeon arbitratur ratione petita a Sacris plerisque Ternariis. Thessalonicensem Scriptorem impugnat Arcudius in libro 5. sui Operis cap.3. sed frustra, propter super allata, reprehendendus est potius, quod impie asseveret unum solum Sacerdotem absque aliorum ope, vel societate Sacramentum hoc non posse conferre, quod fidei Decretis adversatur, licet enim edoceamur tanti Sacramenti reverentiam, & antiquorum Ecclesiæ morum imitationem plures expetere, & olim etiam in Ecclesia Latina adfuisse erudiamur, tum ex D. Gregorii Sacramentario, aliisque Ordinibus; tum ex Decreto Gre-

Gregorii III. quod legitur in excerpto ex dictis SS. Patrum cap. 9. & ex Decreto quarti Concilii Mediolanensis; si tamen unus solus Presbyter adsit intelligi debere hoc Sacramentum perfici virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit docuit D. Thomas l. 4. contra Gentes cap. 83. Hoc itaque errore expurgata Simeonis, aliorumque Græcorum Sententia, nihil vetat quod una Fides in diversa consuetudine rituum possit consistere.

X. Apud Latinos mos plures Presbyteros vocandi ad Sacræ Unctionis ministerium, ut omnes simul pro infirmo orarent, quemadmodum in Menardi Codice Gregoriano, & Tilliano statuebatur, videtur quod Sæculo duodecimo obsoleverit, hoc siquidem Sæculo dubitavit Episcopus Carnotensis, num Sacerdos uno tantum Clerico præsente infirmum inungere posset, quod colligitur ex Decretali Epistola Alexandri III. quæ legitur in lib. 5. Decretalium titulo 40. de Verborum significatione cap. 14. *Quæsivit a nobis tua Fraternitas utrum Sacerdos uno Clerico tantum præsente infirmum debeat inungere &c. Nos itaque duximus respondendum, Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus infirmum ungere potest*. Ne quis vero ex hoc arguat mutatam fuisse in Latina Ecclesia disciplinam, & propterea Lutherum, atque Calvinum merito inconstantiam hanc Pontificiis exprobrasse. Plura monumenta fidem faciunt non raro Sacerdotem unicum ad infirmum inungendum antiquitus accessisse. Hoc primo probat Eusebii Papæ Decretum apud Ivonem Carnotensem Decreti parte 15. cap. 35. jubens *ut Sacerdos circa ægrotantem pœnitentem Orationes dicat, & ungat eum Oleo Sancto*. Probat secundo Concilii Aquisgranensis A. 536. can. 5. *quo cavetur ne quis infirmitate depressus Confessione, atque Oratione Sacerdotali, nec non Unctione sacrificati Olei per ejus Presbyteri, negligentiam careat*. Hincmari Capitulum 10. quo statuitur quod *ipse Presbyter visitet infirmos, & inungat Oleo Sancto*. Confirmat eamdem praxim Prudentius Trecensis Episcopus, qui solus sanctam Virginem Mauram inunxisse in ejus vita testatur, id & quod legitur apud Gregorium Turonensem in l. 1. histor. cap. 41. de Artemio febre correpto ab unico Sancto Nepotiano visitato, atque Oleo perunсto, & id quod alii narrant de Ergando, Odilia, Mathilde, & iv. Ottone, quibus aut unus solus Sacerdos, aut unus Episcopus hoc Sacramentum administravit. Notum est quod S. Pontifex Innocentius sæpe laudato Decentio rescripsit *ratum esse hoc Sacramentum, si ab Episcopo detur, nec ad id adjungi debere collegam alium*: & demum notum est quod in suis Canonibus ad Wlfinum Episcopum Elfricus scribit: *Habebit etiam Presbyter consecratum Oleum duplex, hoc infantibus, id ægrotis præparatum, & ægrotos semper unget jacentes* (sedentes vero, & etiam genuflexos fuisse aliquando infirmos inunctos secundum Capitulare Theodulphi, Salisburgense Rituale, & Acta S. Ottonis Babebergensis Episcopi apud Surium 2. Julii l. 4. c. 4. testantur.) Ex his igitur patet nullum esse præceptum quod jubeat plures Sacerdotes necessarios esse ad infirmorum inunctionem; quemadmodum patet contra Ecclesiæ traditionem pugnare quot quot ex Jacobi verbis hoc præceptum deducunt, cum ex his nihil aliud inferatur præter id, quod S. Thomas in laudato libro contra Gentiles collegit, nimirum esse conveniens, quod plures Sacerdotes, & Clerici ad infirmum inungendum accedant, *ut ipsa plurium Sacerdotum simul convenientium Oratio Fidei efficacius impetret, & ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet*.

XI.

XI. Quemadmodum vero ex Jacobi textu nihil erui poteſt contra morem Latinorum, nam ut diximus in Sacris Paginis ſub numero multitudinis non pluralis, ſed ſingularis Perſona, vel Perſonarum qualitas ſignificatur, ut apud Lucam 17. *ite, & oſtendite vos Sacerdotibus*, hoc eſt cuilibet de Sacerdotibus, & apud D. Paulum ad Hebræos 11. *obturaverunt ora Leonum* cum ſolus Daniel ſignificari intelligatur, & apud Matth. & Mar. 27. & 15. *Latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei: & qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei*, cum Lucas ſcribat unum tantum Latronem improperaſſe, &c. ita ritus Græcorum irrationabiliter reprehenditur dum levi occaſione, & non ſolidis indiciis erroris, & ſacrilegii condemnatur. Cauſſam Sacrilegii aperit Arcudius in loco ſupra citato c. 6. quod apud Græcos hoc Sacramentum a pluribus Miniſtris fiat, qui dum materiæ uſum, & formam repetunt, videntur abſque ratione idem Sacramentum iterare. Verum qui eorum ritum tuetur Goartius in ſuis Notis in Sancti Olei Officium, idem oſtendit a Sacrilegio iterati Sacramenti Extremæ Unctionis imputato, ſeu impoſito, vel abuſus omni ſuſpicione exſolvendos videri Græcos, quamvis in ejuſdem infirmitatis ſtatu, nec non temporis ejuſdem tractu, plures, ideſt ſeptem eorum Sacerdotes eaſdem infirmi partes Oleo Sacro, repetitaque debita verborum forma perungant.

XII. Momenta, quæ affert certe contemnenda non ſunt, illudque præ ceteris, quod Sacramentum hoc tale eſt, quod ex Chriſti inſtitutione a pluribus perfici, & adminiſtrari poteſt, ſiquidem Chriſti auctoritate fretus S. Jacobus edicit plures advocandos eſſe Sacerdotes, ut orent pro infirmo, & eum ungant Oleo: *Orent ſuper eum ungentes*, quem locum neque aliter intellexit Gregorius in libro Eccleſiæ Latinæ ex Sanctorum dictis cap. 9. in quo propterea hanc regulam ſcripſit. *Cum reverentia deferatur Oleum ad infirmos, & eos ungant Sacerdotes cum magno honore, & Orationum celebritate, quæ ad hoc ſunt ordinatæ.* Porro in his repetitis Unctionibus, & repetitis Orationibus hoc accidit, quod ſingulæ congruum, aptumque ad invicem ordinem habeant, ut nonniſi unius totius partes, & membra morali quadam conjunctione inter ſe coaptatæ computentur, quod exprimitur in ſubſequentibus verbis, quæ Jacobus confeſtim ſubjungit; *& Oratio Fidei ſalvabit infirmum*, quaſi ut inquit Goarius, *nihil magis plurium Orationem unam eſſe faciat, quam unanimes eorum pietatis conſenſus, & una in omnibus ſalvandi infirmi intentio, quæ plurium Unctiones in unam moralem Sacramentalem Unctionem conjungere poteſt, ut ex omnibus uno mentis nexu inter ſe compactis Sacramentum Unum dicatur exurgere.* Ignorat nullus intentionem hujuſmodi tali mentis moderamine temperatam, ut non niſi ad unius plurium illorum formam ultimo pronunciantis, Sacramentum debeat eſſe conſummatum, efficere, quod pluribus Presbyteris ad Miſſam unam celebrandam convocatis, & ſingulis verba Conſecrationis proferentibus, ſolus Epiſcopus effectum ſuum indubie conſequatur, quamvis ceterorum aliquis primus Verba Conſecrationis protuliſſet. Idem igitur evenire poteſt etiam in caſu quo plures Sacerdotes, quos Chriſtus Jacobi præconio voluit intereſſe, & Ungere, & Orationem fundere, materiam applicent, & verba formæ pronuncient, quod ſcilicet unus totalis, & integer Sacramenti fructus producatur.

XIII. Sed concedamus etiam in ſingulorum Sacerdotum actionibus hoc

Sacramentum perfici, illos ne propter hoc criminabimur, quod quia nihil ægroto accidit, tot manuum nihilominus Ministerio eum inungere non verentur? Nemo ignorat id, quod usu plus quam quotidiano constat, pro libito, & Devotionis solius excitandæ caussa pluries posse peccatum idem Ecclesiæ clavibus subjici: Sciunt omnes Latinos olim consuevisse, non secus ac Græcos, absque Sacrilegii metu, non una tantum vice, aut temporis spatio, septem diebus continuis, septenorum Sacerdotum Unctionem, absque status, aut ægritudinis mutatione usurpare. Hujus Latinorum Disciplinæ vestigia tradunt Codex Gregorianus, & Tillianus a Menardo notis illustratus, Codex MS. Monasterii S. Remigii Rhemensis, Codex Victorinus, Pontificale Salisburgense, & libri Rituales bene multi, & tamen nullus Scriptorum veterem hunc Latinæ Ecclesiæ usum ausus est unquam perstringere, cur ergo Arcudius, quem ex pietatis Officio, & naturæ debito suos propugnare oportuisset, suorumque ritus ab aliorum injuriis vindicare, eosdem tam immiti censura notavit, ut scriberet, *præsentem Graciæ ritum se suspicari abusum, & labem hanc in Græcorum ritus irrepsisse?* Suæ attentioni parum concessit Arcudius, quem nisi præteriisset eumdem ritum Romanæ olim, pluribusque Occidentis Ecclesiis fuisse communem, ut pollicetur in ceteris, concordes quoque cum Latinis Græcos in hujus Sacramenti sensu exhibuisset.

XIV. Sed ut revertamur ad hodiernam Ecclesiæ Romanæ praxim dicimus non solum in illa administrari hoc Sacramentum per unicum Sacerdotem, sed ulterius addimus, quod ille, qui ægrotum ungit Sacerdos, ipse tenetur formam proferre, in quo statim apparet discrimen hodierni ritus a veteri, qui in eadem Ecclesia jam pridem vigebat, siquidem in Gregorii Sacramentario, quod Menardus edidit hæc verba leguntur: *Et supplicando, dum ungitur infirmus dicat unus hanc Orationem:* ex quibus patet Sacerdotem unum inunxisse Gregorii ævo infirmum, adstantes reliquos formam protulisse, quod observatur etiam in pluribus aliis Ordinibus, quos Martene recenset sub articulo 4. lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, & si aliqua ratio reddi debeat, nihil aliud visum est aliquibus dici posse, nisi quod ea, quæ in administrandis Sacramentis faciebant antiqui Patres, ad Metaphysicorum regulas non expendebant, prudentes quippe viri arbitrabantur satis esse, si in eadem infirmi visitatione fieret Unctio, & ad Deum pro eo preces funderentur, quod B. Jacobus in Epistola sua præscribit. Ex hoc tamen nihil emolumenti accedit erroneæ illi opinioni, quæ dicit validum esse Baptismum, si unus verba proferat, & alter Aquam infundat, propter utriusque Sacramenti diversam rationem, nam in Baptismo forma profertur per modum indicativi: *Ego te baptizo*, quod verum esse non potest nisi ille abluat, qui formam profert, & in Sacramento Extremæ Unctionis forma est Deprecativa, quæ Unctionem designat, quæ posset etiam fieri ab alio, nisi id cautum esset in §. 5. Constitutionis 57. Benedicti XIV. ubi hæc leguntur: *Nec refert utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi ejusmodi vigeat consuetudo, dummodo credant, & asserant illud Sacramentum servata debita materia, & forma ab uno Presbytero valide, & licite confici. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet, ac præterea, qui ungit idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronuntiet*, & certe id congruit Sacramentis omnibus, quorum ma-

materia proxima est actio Ministri, quæ determinari debet per formam, ut cum ea unum Sacramentum constituat.

C A P U T IV.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I. *Explicatur Ecclesiæ Traditio circa Subjectum Extremæ Unctionis.*

I. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros*. Duæ sunt illæ res, quæ in hac S. Jacobi Sententia præscribuntur, & illarum alterutra modum, & ordinem statuit a Sacerdotibus observandum, ut rite Ministerium suum adimpleant. Prima est, quod Sacro Oleo ægrotantes inungant: Altera quod inungant, ut primum Infirmi inunctionem hanc postulaverint, Utramque Disciplinam in more positam fuisse, atque instituto Ecclesiarum, Traditionis testimonia aperte demonstrant: quare plurimum dolendum est Catholicos Theologos a Sectariis impugnari, quasi esset eorum inventum, quod nonnisi discessuris Extrema Unctio conferri debeat. Calumniam hanc nobis impingit Lutherus in lib. de Capt. Babyl. ubi scribit: *Nos non auctoritate ulla, sed nostro arbitrio ex verbis Apostoli male intellectis, Sacramentum & Extremam Unctionem facere cum injuria cæterorum infirmorum, quibus vi propria abstulimus ungendi beneficium ab Apostolis statutum, cum diximus non esse dandam Unctionem nisi dijcessuris, hoc est, ut non salventur, & allevientur*. Non aliter Calvinus Calumniatur in lib. 4. Instit. c. 19. quo in loco insuper addit nos *crudeles esse, qui quam habemus præsentem Medicinam in hoc Sacramento, quæ vel morborum acerbitatem leniat, vel saltem aliquod solatium animæ afferat, nunquam in tempore medemur*. Luthero, & Calvino præluxisse Simeonem Thessalonicensem ex iis didicimus, quæ hic Auctor in suo de Sacramentis Opere Latinis PP. objicit, illos nimirum asserere S. Oleum non spem vitæ habentibus, sed Moribundis tribuendum esse; quandoquidem remissionem præbet peccatorum, ne si quis supervixerit rursus peccet: neque secundum traditionem Apostolicam ab indigentibus accersitos hoc debere conficere, sed privatim esse faciendum, asservandumque, & dandum esse, non ut Infirmi curentur, sed ut sint insanabiles, & moriantur.

II. Absunt a veritate longissime Heterodoxi, qui hæc, & his similia pronuntiant, quæ penitus contraria sunt Ecclesiarum usui, & Traditioni. Traditionem probant ex Pontificibus Eusebius, Innocentius I. & Magnus Gregorius in locis alibi citatis. Ex Conciliis eamdem probant Aquisgranense, Moguntinum, quorum Decreta suis in locis audivimus. Ex Patribus vero ii omnes hanc Traditionem probant, quorum auctoritates, & nomina enuntiavimus in primo Capite hujus Tractatus: quare nihil ab Ecclesiæ mente, & proposito ita alienum unquam extitit, quam Extremam Unctionem desperatis, & extremum agentibus spiritum conferri debere, quod si quandoque hoc contigisse intellexit ex Pastorum incuria, statim variis in Conciliis, & decretis hunc abusum carpsit; & quamvis nonnisi de salute periclitantes sint inungendi, illud tamen semper observatum est, ne mors Unctionem præve-

 ni-

niret, vel morbo ingravescente semimortuus non sentiret. Hujus praxis hæc sunt tutissima fundamenta: quod sæpe ante Viaticum inungerentur Infirmi; quod per septem continuos dies ægrotantes Sacræ inunctionis Officium susciperent: demum quod Unctio aliquando in Ecclesia perageretur, quapropter Ægroti plerique e plebe aliorum manibus, & ope ad Ecclesiam se deferri studebant, ibique vel sedentes, vel jacentes, vel genuflexi Sacra Unctione remedium sibi exposcebant. Insanire ergo illum oportet, aut animum habere ad conviciandum paratum (quem reperire in Novatoribus facilimum est) qui ut veras esse has consuetudines cognoverit, incunctanter asserere non dubitaverit Latinam Ecclesiam Infirmos morti proximos, vel semimortuos inungere consuevisse. Porro triplicem hanc consuetudinem pluribus demonstravit V. C. Edmundus Martene in suo erudito Opere de Antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 7. articulo 2.

III. Quem vero ægritudinis gradum Ecclesia Latina expectaverit modo est aperiendum: & licet ex dictis hic satis inferri possit, nimirum statim ut certum innotuisset salutis periculum infirmos inunctos fuisse, nihilominus antiquus Ordo post Sæculum XII. aliquibus in locis, & præsertim in Anglia, & in Belgio immutatus est, ut Extrema Infirmi suspiria ad eum perungendum expectarentur, quia falso opinabantur Sacramentum hoc iterari non posse; iisque qui illud percepissent non amplius licere ad suas Uxores redire, carnes comedere, & nudis pedibus ambulare, & Testamentum conficere. Verum ut de fidelium mentibus rudis hæc opinio convelleretur, varia Ecclesiarum Præsules edidere statuta, & diversis temporibus diversa Concilia celebrata sunt, præsertim Wigerniense A. 1240. Exoniense A. 1287. & Mechliniense A. 1607. Communis itaque in Ecclesia Latina usus fuit, ut cum quis proximum ultimum sui obitus diem esse cognosceret, seipsum ad hoc Sacramentum suscipiendum ultro disponeret, cui Disciplinæ inhærens Eugenius IV. in Decreto pro Armenis scripsit: *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur dari non debet*, & postea Tridentini PP. in cap. 3. Sess. XIV. declararunt esse hanc Unctionem *Infirmis exhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*. Sed de hoc judicare prudentis Sacerdotis est. Quod autem maxime conducat tempus hoc expectare docet D. Thomas in Supplemento q. 32. a. 2. ubi inquit: *est hoc Sacramentum ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam, & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod ægritudo nata est inducere mortem*.

IV. Observandum tamen est ne infirmitas eo progrediatur, ut ægrotus rationis usu destituatur. Habetur circa hoc Decretum Concilii Burdigalensis A. 1583. Bituricensis A. 1584. & Mediolanensis I. sub S. Carolo, in quo dicitur: *Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus ut ægroto, dum integris est sensibus administretur, ne hujus Unctionis Effectu defraudetur*.

V. Observandum insuper est, non in omni occasione mortis, sed solum in illa, quæ ex corporis infirmitate provenit solere nunc, & jam consuevisse Latinam Ecclesiam hoc Sacramentum conferre. Solus enim infirmus hujus Sacramenti capax est, quin est specialiter institutum ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem, alioquin posset hoc Sacramentum cuilibet homini administrari, quia quilibet est moraliter morti vicinus, ut si

mors

mors sit violenta, quia Ex. gr. damnatur ad mortem, sive per aliam caussam naturalem, puta ex caussa periculosæ navigationis. Ita Doctores communiter qui eamdem Extremam Unctionem denegant Mulieri Partui propinquæ nisi alia accesserit Lethalis ægritudo. Pueris etiam, & perpetuo amentibus licet morituris conferri non debet, quia in iis nihil est, cui aptari possint illa verba, in quibus hujus Sacramenti forma continetur; addunt furiosos, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt, nec consequenter peccare potuerunt. Statuta Guillelmi Gubernatoris Maclovienfis Episcopi addunt nondum baptizatos, excommunicatos, interdictos, impœnitentes, & obstinatos. Infirmis vero in amentiam versis Unctionem esse tribuendam notavit in secundo Capitulari Theodulphus Aurelianensis, si tamen absque irreverentia Sacramenti id fieri possit; addit Navarrus in Manuali cap. 22. n. 13. & potuerit ante peccare, & antequam insaniret expresse, aut tacite petierit illud, aut si meminisset, petiturus fuisset, nec in peccato mortali notorio insanierit. Ceteris omnibus, qui capaces sunt Sacramenti Pœnitentiæ licet essent solum octo, aut novem annorum, & quamvis nunquam communicaverint, ut Pastorale Mecliniense loquitur, deneganda non est Extrema Unctio, quia singulis his forma hujus Sacramenti competit, quod requirit S. Thomas in 4. dist. 23. q. 2. a. 2. & ex hoc intelligitur probari non posse ea, quæ in sua Synodali Constitutione decrevit Germanus Valens Guellius Aurelianensis Episcopus: *Non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt*, aut illa, quæ Durandus habet in cap. 8. lib. 1. sui Rationalis, & Nausea Viennensis in suo Catechismo lib. 3. cap. 107. inungendum, debere esse ad minus decem, & octo annorum; e contra vero Statuta Synodalia Ecclesiæ Caturcienfis, Ruthenensis, Tutelensis rectius sanxisse in cap. 17. ut *doceant populum Sacerdotes, ut omnes, maxime postquam ad annos discretionis pervenerint Pœnitentes, & confessi, & recepta Pœnitentia, & Eucharistia, vel etiam ex quo aliquam distractionem habere inceperint, puta post quatuor, aut quinque annos, & toties quoties infirmitas supervenerit hoc Sacramentum recipiant Extremæ Unctionis*, quod scripsit etiam in suo Argentinensi Rituali, titulo de Extrema Unctione §. 2. Cardinalis de Rohan: *Non denegetur etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septennarii non sint*. Peculiarem opinionem defendit Suarez in Tomo 4. Suorum Commentar. in 3. Partem D. Thomæ disp. 42. Sect. 2. n. 7. ubi docet Sacramentum hoc dari posse etiam illi, qui nunquam actualiter peccavit, hoc dicit primo cum auctoritate Chartusiani in Summa Fidei lib. 5. cap. 149. Vigueri in Instit. cap. 16. §. 4. Alensis in Summa lib. 5. tit. 41. a. 5. q. 1. Bonavent. dist. 23. p. 2. a. 1. q. 2. Richardi, & aliorum. Secundo rationem addit, quod hoc non prohibeatur, neque ab Apostolo Jacobo, neque ab aliquo Concilio, neque repugnet formæ, materiæ, & fini hujus Sacramenti. Tamdem addit exemplum illius, qui in gravi morbo, & in fine vitæ constitutus baptizatur, cui Viaticum datur, & hoc Sacramentum administratur, ut etiam administratum legitur iis, qui sanctissime vixerunt; imò & B. Virginem illud suscepisse, ut affirmant Albertus, & S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 8. & 13. Canisius in lib. 1. de B. Virgine cap. 9. Henriquez, & alii. Verum quidquid sit de efficacia harum rationum, hoc unum certum est non fuisse in more Ecclesiarum hanc praxim, neque primis Ecclesiæ Sæculis Patres Sanctissimos, dum migrarunt Unctionem infir-

firmorum suscepisse, aut admodum raro. Nec Patrem quidem unum notat in sua Collectione Turonensis Gregorius, qui dum infirmaretur hanc Unctionem acceperit, & Ambianensis Episcopus dum sciscitatur a Monachis, utrum eorum Abbas benedictionis Oleo deberet perungi, quod exploratam ejus vitam haberent, haud obscure demonstrat, quod illo ævo inculpatæ vitæ hominibus non dabatur hæc Unctio. Dixi ***aut admodum raro***, ne de omnibus, & singulis omninò hæc pronunciarentur, illorum enim nonnulli, licet innocentia vitæ essent maxime commendati, fortasse, quod non nihil in se peccati cognoscerent, Sacram Unctionem sibi dari postularunt, obtinueruntque, ut constat de S. Adelhardo in ejus vita, & de Eugendio, aliisque quibusdam. Hinc est, quod de hoc eodem argumento agens Tannerus in Tomo 4. disp. 7. q. 1. dub. 3. Extremam Unctionem illis posse conferri ait, qui licet ex speciali Dei privilegio non peccaverint, tamen attenta eorum status conditione potuissent peccare, alioquin non esset major ratio, cur infantibus dari non deberet, quod D. Thomas primo, deinde S. Carolus in parte 4. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis prohibuerunt. Ad id vero, quod additur de B. Virgine videtur posse responderi, quod expectandum est efficacius argumentum, ut quid in hac re illi contigerit, verius magis, quam curiosius inquiratur.

VI. Peculiaris etiam in Ecclesia Romana Innocentii I. temporibus vigebat Praxis erga Pœnitentes ægrotos, quibus non dabatur Unctio infirmorum, ut ipse Pontifex loquitur in sua Epistola ad Decentium: *Pœnitentibus*, inquiens, *istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum putatur posse concedi?* Sed in aliis usum hunc non invaluisse clare infertur ex sequentibus Augustini verbis, quæ leguntur in libro 1. de Adulterinis Conjugiis cap. 26. & 28. ubi agit de Catechumeno, ex hac vita discessuro, qui sanus pie non vixerat: *Non solum*, inquit, *incredibile est, nec in fine vitæ hujus Baptizari Catechumenum velle; verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, & tamen credibilius sic eum si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire. Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viveatium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati, & intra se Pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint baptizandos puto, ut etiam hoc peccato cum ceteris lavacro regenerationis abluantur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra, usque ad baptismum statuerant detineri ... Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est caussa, si forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia: Ergo nec velle debet illo exire, sine Sacra Unctione, quam veteres dixerunt esse Pœnitentiæ complementum ad reliquias peccatorum abstergendam efficacissimum*. Usum quem suis temporibus floruisse in Africa Sanctus Augustinus scribit, floruisse in Germania Ritualis liber Viennensis Ecclesiæ editus anno 1577. ostendit, in quo decernitur Pœnitentes esse inungendos. Fuisse quoque in Anglia Alcuinus octavi Sæculi Auctor non obscure testatur in libro de Divinis Officii; quemadmodum fuisse etiam in pluribus aliis Ecclesiis probant illi adhibiti ritus, quibus Infirmis administrabatur hoc Sacramentum, congruebant enim cum illis, qui observabantur

bantur in solemnis Pœnitentiæ impositione, quia Extrema Unctio pro Pœnitentia reputabatur, quem usum, neque ipsa omisit Orientalis Ecclesia, quæ eamdem Unctionem pro canone idest Pœnitentia accepit, qua graviora peccata curaret. Sed de hoc, aliisque Græcorum ritibus agemus in sequenti paragrafo.

§. II. *Expenduntur Græcorum ritus, & eorumdem discrimina a Ritibus Latinorum.*

VII. In ritibus huic Sacramento necessariis Græci cum Latinis conveniunt, fideliter executioni ea mandantes, quæ S. Jacobus in sua præscribit Epistola, si qua igitur inter utrosque dissensio est, in rebus Sacramento huic minus necessariis consistit. Aliquam circa hoc attigimus in superioribus, quæ supersunt reliqua dissentionis capita hic modo subjicimus. Primum discrimen notamus in eo positum, quod Græci sanis, & recte valentibus hominibus Sacramentum hoc impertiuntur. Quo fundamento id præstent, non constat omninò, si ab antiqua Traditione hoc sit repetendum, qui enim apud illos de hac disciplina loquuntur Jobus Monachus, & Simeon Thessalonicensis Antiquiores Scriptores, neque Basilium, neque Nazianzenum, neque Chrysostomum, neque Cyrillum, neque tandem Græcum ullum auctorem laudant ad Disciplinæ suæ assertionem, bene itaque concluditur novitatem esse oportere id, quod vetustate confirmari non potest. *Tempus, quo oporteat suscipere Euchelæon*, scribit primus ex laudatis auctoribus in contemplatione septem Ecclesiæ Mysteriorum, *tota est mortalium vita post peccatum ad extremum usque spatium*. Alter vero ita scribit in Opere de Sacramentis. *Commisso peccato ad spirituales viros accedimus, & Pœnitentes erratorum Confessionem facimus, quorum Spiritualium Patrum jussu offerimus Deo S. Oleum in signum ipsius misericordiæ, & benignitatis, in qua Divinum, & exhilarans resplendet gratiæ lumen, siquidem, & lumina offerimus. Quoniam vero, & oratio defertur, & Oleum sanctificatur, qui Oleo tinguntur, & remissionem peccatorum consequuntur, ut etiam illa meretrix, quæ Salvatoris pedes unxerat, indeque se ipsam quoque inunxerat.* Inter recentiores Disciplinam eamdem recenset Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua Censura Orientali libro 1. cap. 7. *Illis qui post Baptismum peccaverunt, Pœnitentia, consecratique Olei Unctio conducunt, quæ Sacramenta, aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant*. Et demum Leo Allatius in lib. 3. Concordiæ cap. 16. Non tantum ait infirmos, sed sanos quosque homines Extrema Unctione, & sæpius inungunt.

VIII. Scriptorum nonnulli ritum hunc minimi faciunt, acrique castigant censura, & inter hos ejusdem gentis Auctores hoc præsertim fundamento, quod Pœnitentes bene valentes in omnibus corporis partibus adhibita quoque forma Sacramenti non aliter, atque infirmos inungunt; imò etiam, quod multos inungunt feria v. Sanctioris hebdomadæ, qui non sunt expiati Sacramento Pœnitentiæ. Querelæ hujus Auctor est Arcudius in libro 5. sui Operis cap. 4. Alter Scriptorum est Joannes Natanael Cretensis, qui in Epistola ad Anagninum Præsulem hanc consuetudinem reprehendit, quod Græci eamdem in turpis lucri sortem deputent. *Mysterium hoc, inquit, & est, & appellatur septimum, quamvis nonnulli ex pseudo-Abbatibus, & illiteratis*

Græ-

Græcorum insanientes turpis lucri caussa peccantibus, sive resipuerint, frequenter loco multa, & instar rei, quæ illos Sanctificet istud præbeant. Aliam vero caussam exponit Goarius in suis ad S. Olei Officium notis, *quia* inquit, *ægrotorum delicta Sanctam Unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, idest Pœnitentia acceptam, & a Sacerdotibus impositam in delictorum satisfactionem subeunt, & exinde licet sint & omni parte sani, Sacerdotibus tota precum harum serie se expiandos, & infirmorum Unctione, velut adversa anima valetudine affectos, & medendos offerunt.*

IX. Si vera sit hæc a Goario inducta caussa non esse omnino reprobandum hunc Ritum contra Arcudium plura persuadent, aut saltem violatæ religionis crimine non esse condemnandum; & si *Græci*, ut inquit Launojus in suo Tractatu de Sacram. Unctionis infirmor. observat. 5. in cap. 5. *cum Latinis redire vellent in gratiam, nec vellent ab ista disciplina desistere, eam tanti non esse credo, quæ pacem, & concordiam merito retardaret. Hæc enim disciplina tollerari ex eo posset, quod Latini annis plusquam ab hinc octingentis panem fermentatum, quem in Sacrificiis Majores omni retro ætate adhibuerant reliquerint, quemadmodum eleganter docuit vir in paucis nominatissimus Jacobus Sirmondus in disquisitione de Azimo. Reliquerunt ergo Panem fermentatum, ut azimo uterentur, quo usum fuisse Christum Evangelia testantur. Recentiores Græci pari modo potuerunt deserto more Majorum, qui non ultra quam infirmis Extremam Unctionem dederunt, eandem præterea sanis, & iis etiam, qui pœnitentiam agere statuerunt impertiri. Non quod ad faciendum illud B. Jacobi præcepto utantur, sed exemplo Christi, Mulieris peccatricis, & unguentiferarum Virginum, quæ uti Simeon Thessalonicensis edisserit Oleum usurparunt. Deinde quæ disciplina non impediit quatenus in Florentino Concilio Græcos inter, & Latinos sanciretur concordia, eadem neque nunc temporis impedire deberet*: Hactenus Launojus. Momenta vero quæ ab Arcudiana Censura vindicant praxim Græcorum, ad Caput hoc reducuntur, quod ista nullibi espresse proscripta fuit ab Ecclesia Catholica, nam cum IV. Eugenius ait: *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo dari debere*, Romanum Ritum expressit, quem voluit Armenos amplecti, non vero definivit, quemadmodum neque definivit Concilium Tridentinum quod pro bene valentibus institutum non fuerit; & cum Innocentius IV. in Epistola ad Tusculanum Episcopum scribat: *Ne Sacerdotes Græcorum, aut Confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctionem aliam solummodo injungant*, non vetat quod devotionis caussa illam impertiantur, quam neque vetavit Jacobus in sua Epistola, dum præscripsit Infirmos inungi debere. Non aliter itaque Ecclesia Orientalis intellexit hæc Jacobi verba, ac quondam intellexerat Occidentalis Christi verba: *Hoc facite*, quæ cum non excluderent parvulos ab Eucharistiæ participatione, his quoque Eucharistia concedebatur: ita cum Jacobi verba sanos non excluderent, potuit Occidentalis Ecclesia permittere, quod isti quoque ungerentur, vel benedictionis spiritualis obtinendæ caussa, vel leves aliquos dolores eos affligentes liniendi gratia. Verum cum Sacerdotes Græcorum Unctionem hanc præstent eadem Oratione, quam recitant super ægrotos, controversia, & quidem maxima in Theologorum Scholis inde excitata est, an Unctio hujusmodi habenda esset Sacramentalis nec ne?

X. Efficacia sunt argumenta illa, quæ unusquisque Theologorum profert pro sua opinione, & certe illud efficacissimum est, quod Ministris desit Sa-

Sacramenti hac ratione conferendi animus, ut deest totus ille precum apparatus, quo solo apposito Sacramentum hoc Greci Theologi perfici docent. Favet huic opinioni ipsa apud Latinos olim inducta consuetudo Oleum benedicendi pro populi necessitatibus, ut ostendit Gregorii Sacramentarium a Menardo illustratum, in quo scribitur: *Benedicit Oleum pro infirmis, sive pro populo*; favet quod in eodem Sacramentario bis repetita inveniatur ad ungendum infirmum Oratio: *Inungo te de Oleo Sancto &c.* Quid est autem hæc repetitio, nisi ut intelligatur, quod priori vice recitata, ceremoniali Unctioni, secunda Sacramentariæ deserviebat; quarum Unctionum repetitionem animadvertens jam Felix Papa IV. existimavit Gaufridus de Collone illum constituisse Infirmorum ultimam Unctionem, ut ceremonialem a Sacramentali sejungeret. Contrariæ Sententiæ palmare argumentum in hoc situm est, quod Græci sanctam hanc Unctionem in delictorum satisfactionem subeant, sed ex eo ne concludi poterit Sacram hanc Unctionem Sacramentum esse? Quasi vero æque non possit suscipi ad venialium peccatorum remissionem obtinendam, & præmissa Sacramentali absolutione in graviorum criminum satisfactionem, ut peccatorum antidotum, & sanctitatis largitricem? Illa quæ nos vocare solemus Sacramentalia virtute hac & efficacia prædita esse cognoscimus, hæc quoque unctio eadem vi, & efficacia donabitur, ut non ex opere operato deleat animæ infirmitates, sed ex Pœnitentis tantum devotione, aut Sacerdotis deprecantis charitate, idest ex opere operantis. Dixi *non ex opere operato*, cum a Ministrorum mente absitSacramenti exhibendi intentio, & desit subjectum ad illud suscipiendum apte dispositum, quod etiam desideratur ad veram Sacramenti confectionem. Neque aliud Græcos ipsos credidisse ex iis inferimus, quæ in Florentino Concilio contigerunt, cum coacti sunt de singulis eorum Ritibus rationem reddere, nec aliunde constet ullam de Ritu hoc illis fuisse intentatam litem, & de eo altum fuisse apud Latinos silentium. Quod si deinde Græcorum aliqui contrarium senserunt, & ex indiscreta, vel promiscua Sacramentorum, & Sacramentalium susceptione Sacramenta violarunt, merito illorum imprudentiam,& præcipitatam nimis, ac inutilem Unctionem damnarunt Theophilus Raynaud. Tom. 16. in Heterocl. P. 12. fol. 164. Tournely de Sacr. Extrem. Unct. q. 3. Benedictus de Gaetanis in sua Dissert. cap. 13. Herminies, & alii. Nec hujus Ritus apud Græcos Patronis favent exempla, quæ citare possent ex Vitis Sanctorum, in quibus nonnulli sanctitate præstantes Viri, & Mulieres, valentes quamquam corpore, liquore Sancti Olei inunguntur; id enim, ut notat auctor vitæ S. Heduvigis, quæ nondum ægrota hoc Sacramento muniri petiit, admirandum potius est, quam imitandum, cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, & in quo, ut pie creditur, sancta Devotio dispensavit. Senio confectis etiam ægrotis in diem morituris exhibere a Græcis potuit Extrema Unctio, nam iisdem etiam in Ecclesia Latina hoc Sacramento donari posse Concilium IV. Mediolanense titulo 6. decrevit tum Aquense A. 1585. & in hoc Doctores omnes conveniunt, Senectus enim ipsa per se se morbus est irreparabilis.

XI. Consueverunt etiam olim Græci Sancti Olei Officium persolvere ad Defunctorum solatium. Epiphanius hæresi 36. *Oleum*, inquit, *aqua mixtum capiti defuncti immittebatur, & credebantur defunctorum animæ ereptæ a Dæmonum potestate*: deinde vero Ritus persolvi cœpit a septem Presbyteris cum

 Dia-

Diacono in unum coactis, nec alter erat a ritu vivorum, nisi quod, ut narrat Goarius in laudatis notis, in defuncti sepolchro Papyrus Oleo tincta ab unoquoque Sacerdote accendebatur, qua veluti sacrificio, delictis ab omnibus anima promittebatur expianda, & quibuscumque pœnis eximenda. Hujus posterioris Ritus Auctorem fuisse ferunt Nicolaum Athenarum Metropolitam. Theophilus supra citatus antiquioris illius Ritus stoliditatem probat in Heteroclicicis Spirit. 2. part. Sect. 1. P. 10. in fine. Alii viri doctissimi inter ipsos Græcos Allatius, Coresius, & Ligaridius omnino reprobant. Quamquam vero Goarius Ritum hunc suo textui non interserat, totum tamen non rejicit, & Simeonis Thessalonicensis judicium admittit. *Pro mortuis*, inquit Simeon, *in Christo, quidam hunc observant Ritum, quem nonnulli Pontificum fieri prohibent, ut nusquam ex Scripturis traditum, alii non item, ut qui pro animabus fiat. Ego quantum licuit de his perscrutatus, non illicite fieri, & observare volentes non esse prohibendos comperi, verumtamen Oleum istud non est a Salvatore, aut ejus Discipulis traditum*. Hinc est quod Ecclesia Latina ab hoc Ritu semper abstinuit.

XII. In ordine etiam, quo extrema Unctio administratur, Græci a communi hodierna Latinorum praxi discrepant, siquidem illam ante Viaticum solent Infirmis administrare, nam cum illorum plurimi feria quinta Majoris hebdomadæ interesse soleant ejusdem Olei consecrationi, eodem die inunguntur in omnem morbi eventum, & si eo anno periculose ægrotent Eucaristiam sumunt nulla alia Sacra Unctione præmissa, sed si illorum aliquis extremo morbo laborare incipiat, qui fer. illa v. inunctus non fuerit, ingruente morbo in Ecclesiam deferter, vel domi inungitur, & jamjam moriturus Sanctiss. Corporis Christi Viatico communitur. Praxim hanc videre licet in p. 1. q. 90. Confessionis Ecclesiæ Orientalis A. 1662. approbatæ a Nectario PP. CS.

§. III. *Vetus, & Recens Ecclesiæ Praxis in data Infirmis post, & ante Unctionem Eucharistia*.

XIII. Unicum in tota Occidentalis Ecclesiæ Traditione documentum suppeditat Augustini auctoritas, quæ legitur in Sermone 215. de Tempore, ex quo erui possit ille ordo, quo Sacra Unctio administrabatur olim Infirmis: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur quis in vobis &c.* Igitur in Ecclesia Africana S. Augustini ævo Unctio Sacra subsequebatur Viaticum. An vero idem observaretur ordo in aliis Ecclesiis quis prudens affirmabit? Cum ceteri Ecclesiæ Patres de hoc sileant omnino, dum innuunt tribuendam esse Infirmis Unctionem, & si qui sunt, quod certe multi sunt, qui ordinem aliquem recenseant, singuli post septimum Christi sæculum omnes floruerunt, & ex horum Scriptis hoc unum liquet, inverso ordine ab illo quem Augustinus exposuit, duo hæc Sacramenta fuisse ministrata. *Unicum* dixi *in tota Ecclesiæ Occidentalis Traditione nobis superfuisse Augustini testimonium*, quod mirabuntur illi, qui apud Burchardum, & Ivonem legunt illud Decretum Eusebii Papæ, quo eumdem Ecclesiæ morem confirmat præmittendi Eucharistiam Sacræ Unctioni. Verum cum conficta sint, ac spuriæ tum tres Epistolæ, quæ Eusebii nomen præseferunt, tum quæcumque sub il-

illius nomine Decreta a Gratiano, & ab aliis laudantur, illius temporis disciplinam perperam Decretum hoc comprobabit. Dum vero addidi quod *ante Seculum Christi septimum nullus Patrum invenietur, qui aliquem, ordinem pro sacra peragenda Unctione suppeditet*, id dictum fuit, ne quis putaret plurimi facienda esse illa, quæ in libro Sacramentorum S. Gregorii leguntur edito A. 1542. & in Missali Mss. Bibliothecæ Corbejensis in Ordine ad visitandum infirmum, quod Gregoriana non esse colligimus ex hoc, quod in omnibus retro editionibus Romanis, & Parisientibus non reperiantur, neque in Codice Grimoldi Abbatis, a Pamelio inserto in Tomo 2. Liturgicon. Cum igitur ex manifestioribus veterum Scriptis Ecclesiæ praxis repetenda sit, primum monumentum petimus a Theodoro Cantuariensi, qui floruit anno Christi 690.

XIV. Hujus Sæculi Praxim ita Cantuariensis Præsul in suo Pœnitentiali descripsit: *Ab infirmis in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda est Confessio peccatorum..... & Orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis, Sacra cum Unctione Olei animati secundum Statuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur*. Eamdem praxim descripserunt in libro 6. Capitul. n. 75. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, deinde Monachus Engolismensis, tum Paschasius Radbertus, Hincmarus Remensis, Auctor vitæ S. Romberti Bremensis Episcopi, Riculfus Svessionensis, Ratoldus Corbejensis Abbas in Codice Rituum, & Osbernus Monachus in vita S. Dunstani, qui obiit anno 988. Ordo ab his Auctoribus asservatus, quo primum Unctio, deinde Eucharistia susciperetur, in posteriora quoque sæcula transiit, & perseveravit fere usque ad Sæculum XV. ut ex pluribus Ritualibus, & Synodalibus Statutis demonstratur. Cœpit deinde hic Ritus variari, cum nonnullæ Ecclesiæ, vel utroque indiscriminatim uterentur, vel Viaticum ante Sacramentalem Unctionem præberent ægrotis. Anctores qui varium hunc Ritum commemorant recenser Martene in loco supra citato art. 2. n. 4. Verum advertit pauca esse monumenta, ex quibus hic alter Ritus probatur, ut infinitæ Ritualium multitudini, Auctorumque veterum Turbæ, in quibus Unctio Viatico præmittenda decernitur, præjudicium afferre debeant. Singulare nihilominus est id quod Carnotensis Synodus Diœcesana decrevit anno 1526. *Cum hoc Sacramentum sit ultimum Sacramentum inhibemus illud dari infirmo, nisi post Confessionem peccatorum suorum. & post Corporis Christi communionem, si possibile sit infirmum communicare*. Ceterum ipsa relata Concili verba præseferunt cur Carnotenses Patres (quod de ceteris affirmamus, qui in hanc praxim descenderunt) longissimi temporis consuetudinem immutaverint. Plurimum valuit apud illos usurpatum Extremæ Unctionis nomen, quod, ut ait Launojus in hoc titulo Observatione V. quorumdam e Schola Theologorum animis Extremum Sacramentum objecit. At si non Concilii Auctoritati (tantum enim non audeo) certe Theologis aliis objicio, quod Sacra Unctio præmissa fuit Eucharistiæ, etiam tum cum extrema cognoscebatur. Profecto Auctor vitæ S. Ottonis Bambergensis Episcopi Unctionem hanc Extremam agnovit, itemque Auctor vitæ S. Guillelmi Bituricensis, nihilo tamen secius Sanctissimos hos Antistites Oleo vitali fuisse inunctos antequam illis Sacrosancta Eucharistia administraretur, tradiderunt. Etiam Rituale Parisiensis Ecclesiæ editum anno 1504. Sacramentum hoc Extremam Unctionem appellat, & tamen in Ordine ad Visitandum infirmum, Unctionem Reconciliationi conjungit; quamquam statim hæc subdat:

De Sacramento etiam Eucharistia petenti infirmo, sicut & cetera Sacramenta ministretur: nec est magna vis de ordine; si enim infirmus prius petat Sacramentum Eucharistia, quam Extremam Unctionem sibi (prius confessione facta peccatorum) *ministretur*. Quam facultatem quia etiam concessit Manuale Redonensis Ecclesiæ quod A. 1557. emissum est, cum agens de Ordine ad visitandum infirmum, hæc in fine subjunxit: *Eucharistia Sacramentum infirmo petente, sicut catera Sacramenta ministretur; nec est magna vis de ordine: si enim infirmus prius petat Sacramentum Eucharistia, quam Extremam Unctionem, prius ei confessione de peccatis suis facta, & absolutione percepta, ministretur*, fieri potuit, ut citatus advertit Launojus, Concessiones has non parum contulisse ad veteris Praxis mutationem, qui ulterius advertit, caussam quoque huic variationi fecisse, majorem nempe necessitatem Viatici quam Sacræ Unctionis, ita ut e duobus Sacramentis, si altero carendum fuisset præ temporis angustiis, in quas ægroti nonnumquam adigunt se, Unctione potius sacra, quam Eucharistia Fideles carerent, & propterea illam ultimam reliquerunt. Non improbabilis illa ratio est, quam indicat Suarez loco cit. Disp. 44. Sect. 1. n. 8. *quia hoc Sacramentum exeuntium est*, & ideo oportere prius infirmum suscipere Viaticum quam teneatur Parochus Sacram Unctionem illi administrare: sed reponi etiam potest, ut idem Auctor observat, quod Eucharistia est finis omnium Sacramentorum, & omnia ad illam quodamodo referuntur, ut loquitur D. Thomas 3 p. q. 65. a. 3. *ideoque Viaticum debere executione esse ultimum Sacramentum, vel quia decet, ut post perfectissimam animæ purgationem, tam quo ad culpam, quam quo ad reliquias earum suscipiatur, vel quia Viaticum per se solum dandum est his qui discessuri sunt, nec datur eis ut retineantur, sed ut proficiscantur. E contra Unctio datur ut in vita retineantur si expediat, hoc est ut curentur magis, quam ut vadant*. Quare iis adhærere nos posse censemus, qui hunc ordinem prætermittentibus, non imputare solent ad gravem culpam hanc omissionem, dummodo fit absque contemptu, quia clarum præceptum de hac re non existit. Inquit certe Catechismus Concilii P. 2. c. 6. n. 12. *quoniam omni studio curare oportet ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adversatur, quam alicujus peccati mortiferi conscientia. Servanda est Ecclesiæ Catholicæ perpetua consuetudo, ut ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur*. Sed negant Theologi hoc, quod dicitur a Catechismo de perpetua consuetudine referendum esse ad duo hæc Sacramenta, verum ad solum Sacramentum Pœnitentiæ: tum quia per accidens est quod peccatum mortale tollatur per Eucharistiam, quia ex probata Ecclesiæ traditione contrarium demonstratum est, unde in Rituali Argentinensis Ecclesiæ a Cardinali de Rohan edito hæc leguntur: *Si eodem tempore ægroto datur Eucharistia, & Extrema Unctio, hæc ante illam dari poterit, si ita fieri postulet ægrotus, & pia illa ægrotorum postulatio hisce fulciatur momentis, quod nempe, quia effectus Unctionis Extremæ abstersio est reliquiarum peccati, ipsa Unctio Extrema spectari potest quasi amplior ad Eucharistiam præparatio, & quod aliunde eam ante Viaticum conferendi usus antiquus est, & probatus licet non ubique admissus*. Faciat autem super ea re Parochus quod magis expedire videbitur pro adstantium ædificatione, maxime autem pro temporis opportunitate, si enim vis morbi urgeat Viaticum primo detur & postea Extre-

Extrema Unctio ministretur, & quia praxis hæc modo in Ecclesia Romana communis est, & in omnibus Ecclesiis Latinis solis Cisterciensibus, & paucis fortasse aliis exceptis, hoc satis esse dicimus, ut hic ordo convenientior a nobis judicetur, & quisque in praxi hunc ritum sequatur, cui standum esse tum Rituale Romanum Pauli V. jussu editum præscribit, tum videtur erui posse ex Canone XIII. de Sacramento in genere Sess. VII. Tridentini Concilii, in quo decernitur: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ Patrum mutari posse, anathema sit.*

§. IV *Non ante dari debet Infirmis Extrema Unctio, quam quoquomodo illam petierint, & petere debent, etiam si iterari eamdem oporteret.*

XV. Ex verbis Jacobi, quæ initio hujus capitis recensuimus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*, veritas hæc demonstratur, & ex praxi Majorum, quos semper accersisse Presbyteros in domum suam ut hanc Sacram Unctionem acciperent, dubium esse non debet, quod Innocentius dicat in sua Epistola ad Decentium, *ubi quis sit, & esse possit Minister dandam esse*, licet sexto Sæculo antiquius nullum suppeditet exemplum Ecclesiæ traditio, quia ante hoc Sæculum frequentiori in usu hoc Sacramentum non esset, utpote quod, vel Pœnitentibus, vel hominibus vita innocentissimis non conferebatur. Eugendus itaque primus est de quo legitur, *quod cum ultra sexagenariam ætatem fere sex mensibus inæqualitate corporea laboraret, sic tamen, quod nunquam Canonico usque ad horam defuisset cursui, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad se de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam inungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, perungi.* Adhelardum eamdem petiisse Unctionem scribit Paschasius Radbertus, quam etiam petiit Rembertus Bremensis Archiepiscopus, quemadmodum illam aliis temporibus postularunt Dunstanus, Heribertus, Chunegundes, Godchardus, Arnulfus Suessionensis, Albertus Chrispiniensis Monachus, Bernardus Tironensis Abbas, aliique plurimi.

Confirmatur hæc Ppropositio ex illis peculiaribus Ecclesiarum Statutis, quæ conditionem hanc prærequirunt in iis, quibus inungendis in eorumdem infirmitatibus, remedium tam efficax est institutum. Inter cetera id singulare est, quod Elfricus Anglorum Episcopus in suis Canonibus ad Wulfinum recensuit N. 32. ibi vetuit ne quis Unctionem ægroto tribueret, nisi exoratus, & post peractam Confessionem. David Nannetensis Episcopus, *quod petant*, similiter inquit, *& hoc Sacramentum requirant omnes*. Demum de voluntate infirmorum, qui hoc Sacramentum sunt suscepturi inquirendum esse præscripsit Synodus Lemovicensis A. 1519. Quibus monumentis, si addantur Rituales libri, qui mille, & amplius annorum spatio editi sunt, Conclusioni, de qua agitur, cumulatissime satisfiet.

XVI. Universalem hanc legem limitant casus nonnulli speciales, qui dum contingunt, temerarium non esse concludunt, quandoque iis ægrotis Sacram Unctionem conferre, tametsi eam non petiverint, & illi sunt, quos constat fuisse hoc Sacramentum petituros si potuissent. tunc enim laudabilis

eorum vita nihil aliud fuit, quam seria mortis cogitatio, & non obscurum argumentum sinceri hujus desiderii, quod si possent, demonstrarent, & propterea satis est, quod pro illis alii petant, ut conferatur, & ut qui ceteris omnibus destituitur, quia aliorum Sacramentorum incapax est, in tanta necessitate hoc saltem defraudari non contingat, cum inter fines præcipuos hujus Sacramenti sit supplere vices Sacramenti Pœnitentiæ, quando vel illud applicari non potest, vel de facto non satis utiliter applicatum est. In Orientali Ecclesia invaluisse eamdem praxim plura demonstrant ex iis, quæ de hujus Ecclesiæ ritibus diximus alibi.

XVII. Absit vero quod a petenda Sacra Unctione illi abstineant infirmi, qui semel jam eamdem acceperunt. Sæculo XII. contra hanc disciplinam vehementer certatum est, & reiterationi Sacræ Unctionis duo celeberrimi viri restiterunt Ivo Carnotensis, & Goffridus Abbas Vindocinensis. Ne illorum momenta, quæ proferunt prætereamus, potissima enim sunt, & singularia, cum ex Scriptoribus nullus, aut alia, aut graviora suppeditet, juvat hic eorum verba transcribere ex libro 2. Epistolarum Goffridi Epistola 19. ad Ivonem, & ex Epistola 255. Ivonis ad eumdem Goffridum. *Sicut Consuetudines Monachorum*, inquit Goffridus, *Beati Benedicti regulæ concordantes laudamus, sic eas, quas S. Benedictus, nec docet, nec præcipit, & quæ a ratione penitus discrepare videntur, laudare non possumus. Sunt enim quadam apud Monachos institutiones, quas ratio nullatenus admittit, nec Sanctorum quilibet Patrum invenit, sed insipientium consuetudo hominum instituit. Has in Monasteriis quidam Monachi sibi pro lege vindicant, & cum Christus dixerit: Ego sum veritas; nec dixerit: Ego sum consuetudo, pro sua tamen consuetudine legem veritatis immutant. Et ut cetera taceamus, in hoc, ut nobis videtur non mediocriter errant, quod Unctionem infirmorum, cum a S. Catholica, & Apostolica Sede Sacramentum vocetur, & cum nullum Sacramentum iterari debeat, iterandam putant. Unctionis utique Sacramentum B. Innocentius Papa adeo Magnum dicit, quod Pœnitentibus, quibus cetera Sacramenta negantur, nulla ratione putetur posse concedi. Quid tamen super hoc magnitudo vestræ discretionis sentiat, & quid tenendum doceat, scire desideramus, quia quamvis ista, & ratione, & auctoritate esse vera non dubitemus, ea tamen vestræ Auctoritatis Decreto firmari volumus, & rogamus.* Huic Consultationi Ivo ita rescripsit: *Unctionem infirmorum non æstimo repetendam, quia sicut ipse asseruisti, secundum institutum Apostolicæ Sedis, genus est Sacramenti. Qui autem Sacramenta Christi, & Ecclesia repetit, injuriam ipsis Sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum Publicæ Pœnitentiæ est Sacramentum, quam non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius. Augustinus in Epistola ad Macedonium:* Caute, salubriterque pro visum est, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit *Ambrosius in 2. lib. de Pænit.* sicut est unum Baptisma, ita & una Pœnitentia, quæ tamen publicæ agitur, nam quotidie nos debet Pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum. *His accedit cum Unctio Baptismatis, cum Unctio Confirmationis, cum Unctio Sacerdotalis, cum Unctio Pontificalis, cum Unctio Ecclesiarum, cum Unctio Ecclesiasticorum Vasorum simplex sit, cum nullo deinceps tempore iteretur, qua ratione sola infirmorum Unctio, non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam*

in-

infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo servato numero datur? Ita apud Petrum Cluniacensem Abbatem lib. 5. Epistol. plures alii argumentantur, reprobantes illorum temporum consuetudinem.

XVIII. Præponderavit tamen huic opinioni multorum auctoritas, & ratio, & inter hos, veluti præcipui recensentur Alanus Porretanus, Magister Sententiarum, Guillelmus Antisiodorensis, & uterque Præceptor Seraficus, & Angelicus, quorum singuli Extremam Unctionem iterari posse pronuntiant. Clara nimis est Jacobi Sententia: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros.* Non dixit semel, non bis, aut quater, sed nulla facta mentione unius, vel ternæ Unctionis, jubet nullo præfixo numero induci Presbyteros Ecclesiæ ad ægrotum, fidei Orationem fieri ad allevationem, & peccatorum remissionem, cum Oleo Sancto inungi: *Non igitur mihi videtur dicendum esse,* inquit laudatus Abbas Cluniacensis loco citato Epist. 7. *quod Apostolus non dixit, addendum esse, quod ipse non scripsit, sentiendum, quod ipse, ut verba ejus indicant, non sensit. Quandocumque invalescit morbus,* inquit S. Ambrosius, *iteranda est medicina, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis, & mentis, quæ est effectus hujus Sacramenti, potest ammitti postquam fuerit per Sacramentum effecta, ideo hoc Sacramentum sine sui injuria potest iterari:* quod si Augustinus scripsit Sacramentum non iterandum, & Sacramento non faciendum esse injuriam, advertit Magister in lib. 4. Senten. dist. 23. quod hoc dicit ubi agit de Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quæ nullatenus sunt repetenda, quia semel tantum, & non sæpius conferuntur. Sacramentum vero Altaris, & Pœnitentiæ, & Conjugii sæpe iterari videtur, quia sæpe Sacramentum Corporis percipitur, frequenter Pœnitentia agitur, Conjugium sæpe contrahitur: quare ergo Unctio similiter non potest iterari? si morbus non revertitur, medicina non iteratur; si verbo morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Deinde concludit *sicut Oratio iterari potest, ita & Unctio iterari posse videtur. Utraque enim illic commemorat Jacobus, & utrumque alteri cooperatur ad conferendam allevationem corporis, & animæ. Cur ergo negatur Unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam sæpius sanitatem mentis, & corporis, cum propter infirmitatem eadem semper iteranda sit Oratio?* Hinc ergo fit, ut Sacramentum hoc simpliciter, & absolute sit iterabile, quod de quatuor Sacramentis expresse docuit Concilium Florentinum, & specialiter Tridentinum Sess. XIV. cap. 3. *Si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

XIX. Infertur ex his nullius roboris esse Adversariorum momenta, cum falso innitantur supposito, publicam, & solemnem Pœnitentiam iterari non posse, si ipsum rigorem Disciplinæ seposuerimus. Et revera nunc in omnibus Ecclesiis iteratur, cum renovantur crimina, propter quæ olim injuncta fuerat. Hinc Alanus Porretanus de Maximis Theologiæ N. 113. ex hoc præcise, quod Extrema Unctio sit quoddam Pœnitentiæ genus inquit: *quia Sacramentum Pœnitentiæ est, & Pœnitentia iterari potest, probabile est hoc Sacramentum iterari posse.* Neque in hoc videtur degravata aliqua consuetudo, sed Disciplinæ immutatio, quæ ut Tertullianus ait: *admittit novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem gratia Dei;* quapropter circa hoc nihil definiverunt Patres Tridentini, sive enim iteretur Ex-

tre-

trema Unctio, sive non iteretur, eadem manet fidei regula, a qua Christiani diriguntur, neque Scriptura ulla, neque idonea veterum Patrum traditio ulla docet iterandum esse, vel non iterandum hoc Sacramentum, quod satis est, ut nullus, quam non sequitur opinionem, erroris redarguat infamet, sed liceat cuique in suo sensu abundare; cum præsertim argumenta pene omnia, quibus non iterantes utuntur a simili petantur, qui locus, in quo similium similis est ratio, parum certe utilitatis affert rebus iis, quæ ex Divina pendent, vel humana institutione. Quod si nihilominus rationes desiderentur, propter quas Ecclesia prohibuit, ne plures Unctiones iterarentur, laudatus Abbas Cluniacensis perpendit omnes, deinde concludit pro Extremæ Unctionis iteratione. Sic igitur loquitur in supra citato Epistolarum lib. 5. Epist. 7. *Qui hoc cogitat, vel qui hoc objicit, attendat non solum Unctionum illarum simplicitatem, sed quod majus est, simplicitatem scrutetur, & intelligat rationem. Ut quid enim jam baptizatus inungitur, nisi ut jam cellata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei peccatorum remissio demonstretur? Hoc quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata, simplex Sacri Chrismatis Unctio ostendit, iterandum esse nulla ratio persuadet. Sed cur, & illa, quæ ab Episcopis fit Confirmationis Unctio non iteracur? Plane hac ratione, quia semel Christianus post Baptismum Armis Spiritus Dei per illam Unctionem advocati, contra Satanæ, Mundique bella munitus, alio rursum Spiritu, vel aliis Armis illa simplici Unctione muniri non posse monstratur. Sed cur non iteratur & illa, qua Sacerdoti Cœlestia Sacrificia satraturo, & tractaturo manus inunguntur: illaque qua Pontificis Caput, dum ordinatur, largiore Chrismatis inundatione perfunditur? Sed nulla est caussa hoc rursum agendi: Sacramentum enim, quod semel a Spiritu Dei accipiunt, etiam judicio Ecclesiæ ab Officio suspensi, vel depositi, nullo pacto perdere possunt. Eadem fere, & de ipsa rerum insensibilium Unctione ratio redditur, quia nec corporalis Ecclesiarum fabrica, nec Sacrorum vasorum præparatio bina, vel terna Unctio indiget, quæ semel Pontificali Officio Spiritus Dei Benedictione congrua, at semper dum illa manserint mansura replet. His de caussis in Dei Ecclesia nulla jam dictarum Unctionum Unctio iteratur: At de infirmo alia de illorum frequenti Unctione ratio demonstratur: Iterari enim necesse est Infirmorum Unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit Unctio, remissionem.*

XX. His generaliter statutis circa necessitatem iterationis hujus Sacramenti: Quæritur modo, num in eodem morbo, eodemque infirmitatis statu manente iterari possit? Qua in re Ecclesiarum recens Disciplina a Synodis, & Ritualibus præscripta a veteri differt. Claravalensium consuetudo ex Petri Cantoris, & Roberti de Corceon Cardinalis testimonio talis erat, ut non ita sæpe iteraretur Extrema inunctio sicut alia, sed sufficeret, ut semel in anno conferretur, nec unquam aliquis bis in eodem anno inungebatur. Claravalensium Disciplinam imitantur Ritualia illa, quæ posse reiterari inquiunt Sacram Unctionem, non vero in eadem infirmitate, nisi ultra annum protrahatur, sed Manuale Remensis Ecclesiæ A. 1530. Mimatensis A. 1530. & Bellovacensis A. 1544. semel dumtaxat ministrandam esse hoc Sacramentum dixerunt, neque iterandum in qualibet gravi infirmitate. Nunc, & in diversis morbis, & in diversis ejusdem morbi statibus iteratur in eodem anno, & hæc fuit olim D. Thomæ sententia in Supplemento q. 33. a. 1. Durandi in 4. dist. 23. q. 4. Richardi in eumdem 4. Senten. dist. eadem a. 2. quæst.

quæst. 6. & aliorum, quorum opinio hoc fundamento nitebatur, quod circa eumdem infirmum, in eadem infirmitate, inspecto ejusdem infirmitatis statu, ideo iterari non debet, quia quodlibet Sacramentum circa materiam propriam una vice sortitur totum effectum suum, si non sit indispositio in suscipiente, & ideo eadem Hostia bis non consecratur, quia in prima consecratione efficitur Corpus Christi verum sub una specie, nec iidem Conjuges bis dispensantur. Sed in eadem infirmitate innumeri possunt esse status diversi, in quorum quolibet infirmus est in notabili, & probabili periculo mortis, ideoque cum in infirmo nullum effectum, qui sit indelebilis imprimat, potest, & debet eidem homini pluries conferri, vel pro diversis infirmitatibus, vel pro ejusdem infirmitatis diversis statibus, & ita decrevit Manuale Cameracense editum A. 1562. Remense novum, illud scilicet, quod editum fuit Decreto Concilii Remensis A. 1686. Synodus Namurcensis A. 1639. tit. 4. c. 8. & Iprensis sub Rithovio tit. 17. cap. 3. ubi legitur *consuetudinem, secundum quam non consuevit hoc Sacramentum intra annum secundo suscipi* (etiamsi altera gravior obveniat infirmitas) *tamquam noxiam abrogamus*. Adduntur his Rituale Romanum tit. de Extrema Unctione, Rituale Cardinalis Sanctorii, Argentinense, pleraque alia adduntur diversarum Ecclesiarum Manualia a Launojo congesta in suo libro de Sacramento Unctionis Infirmorum, quæ singula praxim eamdem decreverunt, qua maxime consultum est, tum Ecclesiasticarum rerum dignitati, tum saluti infirmorum, cum per hoc Sacramentum, novum ab ipso infirmo subsidium spirituale sperari possit.

C A P U T V.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. Unicus *Gratia, peccatorum remissio, & allevatio infirmi, effectus sunt hujus Sacramenti.*

I. *SI quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim fuerit gratia curationum, Anathema sit.* Brevis quidem, sed vivida Sententiarum pondere est hæc Tridentinorum Patrum doctrina, quæ exprimitur in canone 2. Sess. XIV. de Extrema Unctione totam etenim hæreticorum hominum evertit audaciam, errores destruit, calumnias dissipat, & fidei dogma purum, sanctumque pronunciat, quod Scriptura nititur, & Traditione. Superfluum est, quod Lutheri sectatores modo affirment, per Extremam Unctionem dari remissionem, & pacem, non quia Sacramentum sit divinitus institutum, sed quia suscipiens ita credat fieri, & quod si inter mille, vix unus sanitati restituatur, non Sacramento esse attribuendum, sed naturæ, vel medicinæ beneficio. Verba fundunt, qui cum impio Calvino Jacobi Sententiam, ita interpretantur, ut aboleto reatu, fidelium Orationes pœnæ levationem impetrent, non pinguedine deleri peccata: & gratiam illam Curationum evanuisse, quemadmodum & reliqua miracula, quæ ad tempus Christus operari voluit. Igitur

Firma fide tenendum est Sacram Unctionem peccata remittere, gratiam conferre, & Corporis sanitatem, si animæ saluti expedierit.

II. Singula, quæ in hac propositione decernuntur in sæpe repetita Jacobi sententia recensentur: *Oratio fidei allevabit infirmum, & si in peccatis fuerit remittentur ei.* Neque aliter hæc verba Ecclesiæ Patres omnes quacumque demum ætate floruerint intellexerunt. Origenis, & Chrysostomi testimonia retulimus in 1. Capite hujus tractatus similiter, & testimonium Innocentii I. ex quo cognoscitur ejusdem Unctionis usum hujus Pontificis ævo obtinuisse, cum hac fide, quod peccata deleret. Eadem etiam fuit fides VI. & VII. Seculi, quod fuit perspicuum ex Orationibus illis, quas in suo ordine Magnus Gregorius inseruit, ut recitarentur a Sacerdote, qui infirmum visitaret ad illum inungendum, quas Orationes retulimus in Cap. II. §. II. ubi etiam addidimus præcipuas verborum formulas, quibus per posteriora reliqua Sæcula semper usa est Ecclesia in administratione hujus Sacramenti, in quibus singulis æque fit perspicuum Majores nostros citata Jacobi verba intellexisse de Unctione, per quam infirmis peccata dimitterentur. Eadem verba ita demum intellexerunt Tridentini Patres in capite 2. Sessionis XIV. ubi agentes de hoc Sacramento dixerunt, *si quæ delicta sint adhuc expianda abstergit.* Ergo dubitari non potest, de veritate statutæ Conclusionis.

III. Scholasticis tantum Theologis permissum est inquirere, cujus generis sint peccata illa, quæ per hanc Sacram Unctionem remittuntur, qua in re, neque Sambovio assentimur, qui Unctionem Extremam per se peccata mortalia & venialia remittere docet, neque Estio, qui venialium tantum remissionem esse docet effectum Extremæ Unctionis. Improbabilitatem primæ sententiæ ostendit, tum institutio Sacramenti Pœnitentiæ, quod est necessarium necessitate medii singulis post Baptismum lapsis, sive sint in itinere, ut nonnulli Theologi loquuntur, sive sint in egredientium statu (fictitium enim esse hoc discrimen evincitur, quod nullum illius vestigium in Patribus reperiatur) tum etiam quia, perpetuus in Eccesia usus fuit, & adhuc viget, ungere infirmos, qui antea sua peccata non fuissent confessi, Ritum hunc ostendunt monumenta illa singula, quæ in superiori Capite IV. §. III. recensuimus. Superflua autem fuisset hæc praxis, si Extrema Unctio per se peccata mortalia dimitteret. Remissio quoque venialium non est principalis hujus Sacramenti effectus, quia ut inquit D. Thomas par. 3. q. 65. a. 1. ad 8. *Ad deletionem peccati venialis non requiritur infusio gratiæ, unde cum in quolibet Sacramento Novæ Legis gratia infundatur, nullum Sacramentum Novæ Legis instituitur directe contra veniale.* Magis itaque arridet sententia, quæ asserit, quod hoc Sacramentum illa peccata deleat, quæ interdum remanent post omnia Sacramenta, sive mortalia, sive venialia sint, & quod auferat torporem, mœrorem, & anxietatem illam, quæ ex peccato relinqui solet, & quæ maxime hominem morti vicinum vexare potest. Videtur hæc conformis menti D. Thomæ, qui libro 4. contra Gentes cap. 73. ait. *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commisit notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per Pœnitentiam singula expurgare, sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.* Sic etiam legitur in quodam Codice Siculo Barberino: *Antequam ungatur infirmus confiteatur omnimodis*

Deo

Deo, & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum prius per Confessionem adapertis, dignius proficiat ei Unctio spiritualis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem, & ideo etiam S. Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens, *si in peccatis sit, remittentur ei*, scilicet quoad culpam. Non enim semper delet peccatum, quia non semper illud invenit, sed semper remittit illos defectus, quibus homo, ut loquitur idem Angelicus in Supplemento q. 30. a. 1. *spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vel gratiæ, vel gloriæ, & hic defectus nihil aliud est, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, contra quam debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum, unde ait Jacobus, & alleviabit eum Dominus, ut ferat allacrius incommoda morbi, ac tentationibus Dæmonis facilius resistat, & magna in eo Divinæ Misericordiæ fiducia excitetur*, quæ singula dixerunt Tridentini Patres in citato cap. 2. Sess. XIV.

IV. His effectibus Sacramenti Extremæ Unctionis tertium addidit S. Jacobus corporis sanitatem: *Oratio fidei salvabit infirmum*, & hæc fuit semper Ecclesiarum consuetudo, ut conferentes hoc Sacramentum pro infirmi salute orarent. Observandum tamen est, quod hæc sanitas non primo, & per se producitur ab Extrema Unctione, quia ut inquit Augustinus Enchiridii 66. *Totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præsentium pertinet*. Hic tamen effectus infallibilis non est: & propterea Concilium Tridentinum ait: *Interdum sanitatem corporis, ubi saluti animæ expedierit consequatur*; & Catechismus inquit, *quia non semper sequitur, ut ægri a morbis convalescant, ob eam caussam precationis forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti, & perpetuo Ordine efficere non potest*.

V. Cum tot itaque, tantique sint hujus Sacræ Unctionis effectus, a gravi culpa excusari non posset ægrotus, qui ejusmodi Sacramentum, aut contemneret, aut cum aliorum offensione, & scandalo negligeret, & prætermitteret, exhibitumque a Parocho recipere renueret. Ejusmodi hominem Ecclesiastica sepultura privandum decernit Synodus Coloniensis A. 1549. cap. 8. Utrum vero ex hoc sequatur, quod jure Divino, aut saltem Ecclesiastico fideles laborantes periculoso morbo ad illud suscipiendum adstringantur, quæstio est plurimum agitata. Qui affirmativam partem tuentur in verbis Jacobi verum præceptum agnoscunt, quia inquiunt hoc veteres agnoverunt, Theodorus Cantuariensis, Patres Cabilonensis II. & Coloniensis primi Concilii, Rupertus, aliique quorum testimonia alibi laudavimus, adduntque piorum hominum exempla, qui periculosa infirmitate laborantes Presbyteros advocarunt, a quibus inungerentur. Reponunt e contra alii, quod Patribus priorum quatuor Sæculorum præceptum non innotuit, & quod Ecclesia, ut dictum est, illud pluribus administrare non consuevit; quod in verbis Jacobi nihil apponitur, quod vim præcipiendi habeat; quod Concilium Tridentinum nihil in hoc decrevit; imò Sess. VII. agens de Sacramentis, inquit: *non omnia esse singulis ad salutem necessaria*, & in Sess. XIV. hoc unum dixit: *non posse a Christianis hoc Sacramentum sine peccato contemni*: quod multum etiam huic opinioni favet usus Ecclesiæ tempore Interdicti, quo tempore non permittit fidelibus administrari illa Sacramenta, quæ non sunt necessaria, & inter ce-

tera non permittit hoc administrari, ut dicit Innocentius III. in c. *quod in re* de Pœnit. & Remiss. quare in hac sententiarum varietate unusquisque sepofito partium studio, eam quæ sibi sanior videbitur amplectatur. Illud tamen advertat laudata in contraria opinione Concilia non multum illi sententiæ suffragari. Quod enim Concilium Coloniense A. 1536. par. 7. c.50. dicat: *Est autem Unctio impendenda cum expositione Unctionis, & mandati Apostolici quod sic habet: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros &c.* quod Cabilonense II. in Can.48. statuat *secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, Infirmi Oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. Quod demum etiam Concilium Senonense in Decretis Fidei Decreto 10. recenseat. *Ne hic noster ungendi Infirmos ritus Christi præceptum, non tamen Sacramentum esse videretur dixit Jacobus: Infirmatur &c.*

VI. Hæc omnia explicari possunt de mandato quod decernit ritum, & modum Sacramenti, non de mandato quod præcipit simpliciter usum ejus, aut possunt intelligi de illo mandato, quo Christus Apostolis præcepit, ut infirmos curarent. Neque multum favet alteri opinioni id, quod Cabassutius in sua Juris Canonici Theoria, & Praxi lib. 6. c. 19. n. 8. ait: *quod respectu infirmi nullum ei præceptum imponitur petendi hoc Sacramentum, quamvis peccare per venialem negligentiam possit, non tamen mortaliter, nisi per contemptum. Deus enim, & Ecclesia non judicaverunt propter alias quidem rationes, sed maxime propter conflictus, quos excitat una ex parte insuperabilis aliquibus etiam bonis, & piis imminentis mortis cogitatio, aliaque ex parte conscientiæ timoratæ formidines, ne quod in ultimum subsidium Divina Charitas introduxit animarum, vertatur illis in laqueum, & salutis æternæ obstaculum*; nam si hæc ratio sufficeret, neque Infirmis (quia eadem currit paritas) per modum Viatici Eucharistia ministranda esset, quam tamen per XII. prima Sæcula Majores nostri nulli infirmo, nisi prius uncto porrexerunt. Imperitum vulgus tenentur Parochi ex Decreto Burdigalensis Concilii A. 1583. crebris monitionibus ab illa inani, & impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus Sacramenti Virtute sentiunt, perinde ac si mortem ægris acceleret, cum certum sit ex Apostoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus Sacramenti salutem conferre. Meliora sunt, itemque opportuniora ea, quæ laudatus Auctor superioribus verbis inseruit, quare ut a nemine ignorentur hoc salutari, & maxime necessario monito totam hanc de Sacra Unctione Infirmorum Doctrinam duximus perficiendam. *Is Sacerdos, cui incumbit Animarum cura, & Sacramentorum administratio, ligatur præcepto, & rogatus tenetur utraque titulo justitiæ, & charitatis, vel per se, vel per alium Sacerdotem administrare hoc Sacramentum; imo vero etiam non rogatus, si advertit ægrum in eo statu esse, ut hoc indigeat Sacramento; maxime vero, si alias sine ullo omnino Sacramento sit ex hac vita discessurus, dubitandum non est Parochum hæc advertentem, & negligentem peccare mortaliter*. Peccat denique mortaliter quisquis sibi mortalis peccati conscius suscipit istud Sacramentum nulla præmissa, vel Confessione, vel dolore peccati; est enim gravis injuria, & merum sacrilegium erga Sacramentum, & damnabilis incuria salutis æternæ

TRA-

TRACTATUS VI.

DE PURGATORIO.

REmissa culpa mortali per Pœnitentiæ Sacramentum non semper remitti totam temporalem Pœnam, variis argumentis ostendimus agentes de Confessionis, & Pœnitentiæ viribus. Posse nos per nostra Opera Pœnæ hujus remissionem consequi apud Deum, ea quæ diximus de efficacia Satisfactionis Sacramentalis, satis ut arbitror demonstrarunt. Sed cum contingat sæpissime, quod in hac vita talis pœna non solvatur, in altera esse luendam Divinæ Justitiæ ratio postulat, & hoc est quasi fundamentum ponendi Purgatorium. De hujus existentia non esset utique decertandum, si cum remittitur Peccatum mortale, tota ejus pœna, omnisque reatus remitteretur, aut si essent æterna pœna dignum, tum mortale, tum veniale peccatum, quæ duo non paucis fuerunt præcipua fundamenta, quibus usi sunt illi, qui Purgatorio bellum indixerunt, ut a mundo, & ab hominum mentibus illud eliminarent omnino. Ex aliis caussis alii illius existentiam impugnarunt, alii locum ignorantes ubi illud collocandum esset, nullibi esse asseruerunt. alii cruciatuum, & tormentorum speciem, acerbitatemque vel negarunt, vel enervarunt; alii tandem alia commenti sunt, & a II. Ecclesiæ Sæculo usque ad hæc tempora, mirum est quantum contra Purgatorium, Evangelii, & Divinæ ultricis Justitiæ improbi hostes efutiverint. Itaque non sine nutu, & providentia Dei factum arbitror, ut receptos Ecclesiæ Ritus ab ipsa Apostolorum ætate ad hæc nostra tempora Viri doctissimi divinitus excitati, & scriptis illustraverint, & moribus approbaverint. Præviderat enim Spiritus S. in extrema hac delirantis mundi senecta, improbos Hæresiarchas futuros, qui suggerente inimico, Universam Ecclesiasticam Hierarchiam convellere, & perturbare conarentur. Quod cum in cæteris bonis operibus, tum maxime in iis, quæ pro Defunctis fieri solent abrogandis, irrito licet conatu, vehementius tentarunt. Ut igitur qua par est methodo progrediar, quæ in iis, quæ ad fidem pertinent demonstrandis aptior est, & efficacior, Scriptura innixus, & Traditione, quod in Superioribus semper observatum est, Fidem Purgatorii, ritumque orandi pro Defunctis constantissime in Ecclesia viguisse demonstrabo.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA PURGATORII.

INter Purgatorii hostes, Ariani, Petrobrussiani, & Waldenses ab aliquibus recensentur, quos tamen proprie Purgatorium negasse non novimus, sed erroneam propositionem docuisse. Auctor est Epiphanius hæresi 75. Arium sensisse posse animas per rigorem Justitiæ vindicativæ post hanc vitam purgari, etiamsi a viventibus juvari non possint: *Orat vivens*, ex illorum sententia, ajebat Epiphanius, *aut dispensationem facit, quid profuerit mortuo? Igitur nemo sit pius, neque boni quidquam faciat, sed acquirat amicos, qui*

orent

orent pro ipso, ut ne quid ille patiatur. De Waldensibus Claudius Seysellus testatus est in libro, quem edidit adversus eorumdem errores pag. 66. illos duas tantum vias ex Sacris Scripturis post præsentis vitæ exitum didicisse, neque de hac tertia satis illis constare. Petrobrussianorum tandem errorem Petrus Abbas Cluniacensis in Epistola ad Archiepiscopos Arelatensem, & Ebredunensem refert his verbis: *Sacrificia, Orationes, Eleemosinas, & reliqua bona pro defunctis Fidelibus a vivis Fidelibus facta derident, nec ea aliquem mortuorum, vel in modico posse juvare affirmant*, ex quibus verbis patet errorem hunc spectare ad materiam de Sacrificiis. Apostolici, qui S. Bernardi ævo floruerunt, ii revera, ut idem S. Bernardus scribit in Sermone 65. in Cantica, non crediderunt ignem Purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Ii etiam Albigenses qui Innocenti III. temporibus pullulare cœperunt, vel *maturescere*, ut scribit Cœsarius Heisterbacensis Dialogi Miraculorum dist. 5. cap. 21. quidquid beneficii mortuis a viviis impenditur irridebant, Purgatorium, & Orationes pro Defunctis negantes. Audiri itaque non merentur ii, qui errorem negantium Purgatorium Hieronymi temporibus, vel prope ab ejus morte consignarunt hoc fundamento, quod Cyrillus Jerosolymitanus ad Augustinum scribens hunc errorem aperuerit: siquidem supposititia est, & tanto Patri, cui affingitur, prorsus indigna est hæc Epistola ad Augustinum de laudibus S. Hieronymi, tum quia Catholici dogmatis impugnatorem facit Hieronymum, duarum scilicet in Christo voluntatum, tum etiam quia de obitu S. Hieronymi ad Augustinum scripsisse Cyrillus fingitur, cum ante S. Hieronymum obiisset.

Sectarii omnes qui Sæculo XIV. e XV. contra Catholicos Vexillum erexere, unanimi consensu Purgatorii existentiam negarunt. *Purgatorium exitiale Satanæ esse commentum* (verba sunt Calvini in suo l. 3. Instit. cap. 5. §. 6. & 10.) *quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit, & evertit... Cum mihi*, inquit, *objiciunt adversarii ante mille, & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro Defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum?.... Atque ipsi etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hic se destitui videbant. Cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse contendo, quod fecerunt. Certe quisquis mediocri prudentia pollet, facile agnoscit quidquid de hac re legitur apud veteres publico mori, & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi fateor, in errorem fuerunt, nempe ut inconsiderata credulitas privare judicio solet hominum mentes. Interea quam dubitanter preces pro mortuis commendent lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam in libris Confessionum Augustinus narrat vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad Altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de Cura pro Mortuis agenda compositus, tot hæsitationes continet, ut suo frigore merito debeat stulti zeli calorem extinguere. Si quis mortuorum Patronus esse appetat, frigidis, certe verisimilitudinibus securos reddet, qui prius erant solliciti*. Nitebantur itaque illi Sectarii triplici fundamento. Contendebant 1. nullum remanere debitum pœnæ temporalis Defunctis, quod Chri-

Christus illud totum solvisset. Contendebant 2. quod ex verbo Dei scripto existentia Purgatorii non probetur. *Purgatorium*, inquit Lutherus in Assertione articuli 31. *non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone*. Similia reperire est apud Zuinglium in Articulo XI. Doctrinæ suæ, apud Philippum Melanctonem in Apologia Confessionis Augustanæ Articulo de Confessione, & Satisfactione, apud Brentium in Confessione Wittemberg. c. de Purgatorio, apud Petrum Martyr. in c. 3. 1. ad Cor. & apud alios quamplures. Contendunt 3. quidquid in Patribus super hac re legitur non probare veteres orasse pro mortuis, ut eos juvarent, sed ut ostenderent erga eos pium affectum, & ut se ipsos consolarentur, vel ut se accomodarent Gentilium ritui, aut opinioni vulgarium. Ut igitur Purgatorii existentiam adstruamus, necesse est eadem illa fundamenta stabilire, quæ Heterodoxi tentarunt concutere. Sed ne quod actum est rursum agere videamur, recolantur ea quæ diximus in Tractatu de Pœnitentia agentes de Satisfactione, & de ejusdem effectu, cum illa satis demonstrent primum fundamentum Sectariorum Caussæ non patrocinari. Satis quilibet arbitrabitur factum, qui Catholicam veritatem duobus reliquis fundamentis confirmatam cognoverit, in Theologicis enim, quæ rationes non ducuntur ex Sacris Litteris, aut ex firmissima Traditione, magno in pretio haberi non possunt.

§. I. *Utriusque Testamenti Auctoritatibus Existentia Purgatorii demonstratur*.

I. Non immorabor in recensendis Auctoritatibus illis, quas cum diversimode, PP. vel Theologi interpretentur, certum ex iis argumentum non conficitur ad id probandum, quod quæritur. Hujusmodi generis est Testimonium illud, quod ex cap. 4. libri Tobiæ desumptum: *Panem tuum, & Vinum tuum super sepultura justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*, expendit Turrianus lib. 4. pro Epistolis Pontif. c. 14. tanquam Consilium, Sacrificium, & oblationem Deo offerendi pro mortuis: sunt quoque verba illa Psalmi 6. & 37. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, quibus Inferni, & Purgatorii pœnas significari S. Augustinus, & S. Gregorius Magnus innuunt; non secus ac Origenes Homil. 25. in Numeros, & S. Ambros. in Psal. 36. de Aqua Baptismi, & de Igne Purgatorii interpretantur hæc alia verba Psal. 65. *Transivimus per Ignem, & Aquam, & eduxisti nos in refrigerium*; & explicantur etiam a Jansenio hæc verba Ecclesiast. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam* pro beneficentia, & subsidio mortuis exhibendo; Addunt insuper ex Patribus, & ex interpretibus nonnulli indicari Purgatorium ab his verbis Isaiæ cap. 4. & 9. *Si abluerit Dominus sordes Filiorum, & Filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu combustionis: succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam devorabit, & succendetur in densitate saltus, & convolvetur superbia fumi*: tum ab hac Michææ sententia ex cap. 7. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi, & donec caussam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus*: Item ab illa Malachiæ c. 3. *ipse enim quasi Ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans*

dans argentum, *& purgabo filios Levi*. Sed bona eorum Fide fatendum est, alias etiam Purgatorias pœnas, quas justi in hac vita subeunt, hujusmodi sententiarum litterales sensus non excludere, cum hos sensus revera alii Patres, & interpretes tradiderint. Unicus itaque est in veteri Testamento locus meridiana luce clarior, qui legitur in cap. 12. libri 2. Machabæorum, in quo cum dicatur quod: *Vir fortissimus Judas facta collatione misit duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans: & quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*: & quod *sancta*, *& salubris est cogitatio pro Defunctis exorare*, *ut a peccatis solvantur*, certum fit reperiri statum aliquem medium animarum, quæ damnatæ non sunt, quia possunt a peccatis solvi, & quæ nondum sunt beatæ, quia non sunt plene a peccatis solutæ, & locum hunc esse Purgatorium, in quo Justorum animæ, adhuc reatibus peccatorum ligatæ detinentur, & puniuntur, donec integre solvant, sive per se, sive per *satisfactionem* illorum, qui pro eisdem Sacrificia offerunt Deo, ipsumque exorant, ut earumdem peccata dimittat.

II. Vim auctoritatis Novatores sentiunt, & dum eludere conantur, Machabæorum Libros rejiciunt ex Canone, quod desperatæ caussæ præsidium esse solet, debile tamen, cum nihil facilius sit, quam ostendere ab Ecclesia universa Machabæorum Libros, ut Canonicos, & Divinos fuisse receptos. I. Veterum testimonio, qui ex Libris Machabæorum, ut Sacris, & Divinis testimonia laudarunt, Origenis scilicet, qui in capite 5. Epistolæ ad Romanos exemplo Matris, & VII. filiorum ex Libris Machabæorum desumpto, Valentinianorum errorem redarguit, neminem in Veteri Lege pro Deo mortem oppetiisse, Tertulliani qui in libro adversus Judæos cap. 4. ex Libris Machabæorum Sabbati observationem probat temporariam fuisse, Cypriani, qui in Libro de Exhortatione Martyrii cap. 11. Testimonia ex Libris Machabæorum usurpat, & aliis etiam in locis, ut in l. 3. Testimoniorum ad Quirinum cap. 15. 52. 53. & rursum Epistola 55. ad Cornelium Papam, in qua Libros Machabæorum Divinam Scripturam appellat. Luciferi Calaritani in Libro de non parcendo in Deum delinquentibus, Gregorii Nazianzeni in Oratione 22., & Ambrosii, qui in l. 2. de Jacob, & Vita beata capitibus 10. 12. Fratrum Machabæorum gloriosa certamina prædicant. Augustini item, qui in libro de Cura gerenda pro Mortuis cap. 1. Preces, & Sacrificium Defunctis prodesse probat ex Libris Machabæorum. II. Ex Canone 47. Concilii III. Carthaginensis, ex Epistola Innocentii I. ad Exuperium Tolosanum, ex Synodo Romana sub Gelasio I. ex Cassiodori libro de Institutione Divinarum litterarum c. 6. ex libro sexto Originum S. Isidori Hispalensis, ubi scribit: *Machabæorum libros*, *licet Hebræi inter Apochrypha separent*, *Ecclesia tamen Christi inter Divinos libros*, *& honorat*, *& prædicat*. III. demum Ex Tridentinis Patribus, qui in Sacrorum, & Canonicorum Librorum Indice libros duos Machabæorum conscripserunt. Ex tot igitur testimoniis patet quam impie mentiatur Ochinus, dum in Dialogo de Purgatorio rationem reddens, quare Libri Machabæorum Apochryphi sint, ait, *ex Laodicensi*, *& Africana Synodo* (hoc est Carthaginensi III.) *manifestum est*, *imo ex omnibus Sacris Doctoribus*, *qui Sacrorum Librorum Catalogum recensentes de Machabaicis nullam mentionem faciant*. Tanti vero horum Librorum auctoritatem

tem fecerunt vel ipsimet Patres, qui eosdem Canoni Hebræorum non adscriptos in Catalogis suis omittunt, aut etiam in Apochryphorum classem amandant, ut eos, & ut Sacros, ut Divinos, ut a Spiritu S. dictatos laudent, ex iisque testimonia proferant in operibus suis opportunitate data ad Catholicorum dogmatum confirmationem, ut ex Origene id audivimus, & ut constat ex S. Hieronymo, qui ex propria sententia loquens l. 5. Commentariorum in Isaiam ad cap. 23. & in cap. 7. & 9. Ecclesiastis, & in cap. 8. Danielis ex iisdem Libris testimonia profert. Nec officit quod Augustinus dicat in 2. libro contra Gaudentium cap. 23. quod *Scriptura hac recepta sit ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur*, hæc enim dixit quia cum in his Libris describantur exempla eorum, qui se ipsos occiderunt, non credamus nos illa debere imitari. Parum etiam proficit Petrus Martyr cum vult ex testimonio Cypriani libros hos non valere ad probanda Fidei dogmata, quod videtur confirmari posse ex eo quod doceant Sacrificia, & Orationes fieri pro his, qui in lethalis peccati statu decesserant. Dicitur enim Judam Sacrificium petiisse pro iis, de quibus scriptum est: *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Jamnium fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos. Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc caussam eos corruisse*. Peccat enim argumentum Pseudomartyris contra regulas Critices, attribuens Cypriano quod a Ruffino dictum est. Errorem autem hunc evitasset si explicationem Symboli, ex quo argumentum petit pro sua sententia attente legisset; in Præfatione siquidem hujus Operis Auctor ostendit se Aquilejensem esse, Aquilejæ baptizatum, & educatum: meminit Plotini, qui centum annis Cypriano recentior fuit, ut recentiores fuerunt Eunomius, Arius, Donatus, Manichæus, aliique quorum meminit, ubi Libros Sacros recenset, nam omnes hi post Cypriani fata eruperunt. Mirum tamen non est quod Ruffinus sententiam illam proferret, quia illius ætate Machabæorum libri tamquam Canonici non habebantur, ut scribit S. Hieronymus, a quo Ruffinus non discrepat, cœterum quod negat Ruffinus, affirmat Augustinus, qui in citato libro de Cura gerenda pro Mortuis, ex sola Machabæorum Libri auctoritate argumentum sumpsit orandum esse pro mortuis, & hoc dogma esse fidei tradidit in libro de Hæresibus cap. 55.

III. Ad confirmationem dicimus nihil repugnare quod Judas Machabæus pie existimaverit milites illos peccatum suum ante pugnam Pœnitentia, & Contritione expiasse, dummodo tamen certum fuisse supponatur illos lethaliter peccasse, nam plures non minus probabiliter affirmant illos peccasse solum venialiter, quod nimirum sola, ut dicitur, prædæ aviditate, nulla in Superstitionem, & Idololatriam propensione, donaria illa Idolorum abstulissent, & in hac suppositione Preces, & Sacrificia pro ipsis pie, ac religiose Judas offerri jussit existimans Deum ipsorum peccatum pœna temporali castigasse juxta superius citata verba: Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc caussam hos corruisse, ut in æternum eisdem parceret, præsertim cum pro Fide, & Religione pugnaverint, vitasque suas prodegerint, idque alienum a Sacro Textu non videtur, cum legatur Judam in hoc suo facto considerasse, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant optimam haberent repositam gratiam. Neque enervant sententiæ robur verba illa, quibus idem Judas necessitatem hujus Orationis, & Sacrificii concludit: *Nisi enim eos resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*, nam in

 Scri-

Scriptura immortalitas animæ, & corporum resurrectio pro eodem reputantur, cum duo hæc inter se sint connexa, & ex uno sequatur alterum, nam si anima est immortalis, ut vere est, sequi debet resurrectio ex apetitu ingenito animæ ad corpus, & ex natura beatitudinis, quæ debet esse completa. Stante igitur necessitate hujus unionis, & supposita lege de resurrectione, non frustra erat, qui orat pro mortuo, quod verum est etiamsi supponatur quod Defunctus pro quo oratur hujus Suffragii capax non sit, quia a Scriptura hæc Oratio facta pro Defunctis maxime commendatur, quod satis est ut credamus per illam posse quorumdam mortuorum peccata expiari, quam fidem fuisse quoque apud Hebræos ejusdem Libri Machabæorum infert auctoritas, & tamen nullibi legimus, aut Christum, aut Apostolos, aut Virorum Apostolicorum aliquem, aut ullum veterum Patrum reprobasse.

IV. Legitimam hujus Scripturæ expositionem, & opportunum illius usum ad hanc veritatem Catholicam demostrandam verba Christi apud S. Matthæum cap. 12. concludunt: *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur, ei neque in hoc Sæculo, neque in futuro*. Quis quæso hæc audiens mendacem Christum non crederet, quod vel cogitare impium est, si quæ remittenda esse docet peccata in futuro Sæculo, revera non remitterentur? De veritate hujus promissionis Augustinus adeo se esse certiorem agnovit in libro 21. de Civit cap. 13. & 24. ut ex ipsa colligeret aliqua in futuro Sæculo remitti peccata. *Pro Defunctis quibusdam*, ait, *vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam impiorum exauditur Oratio, sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore vitali male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene ut talem misericordiam reperiautur necessariam non habere... Neque enim de quibusdam veraciter, diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc Sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro*: Quomodo autem ex hoc loco demonstretur existentia Purgatorii explicat S. Magnus Gregorius in lib. 4. Dialog. cap. 39. cum ait: *de quibusdam levibus culpis esse ante Judicium Purgatorius iguis credendus est pro eo quod veritas dicit: Si quis in Spiritum S. blasphemiam dixerit neque in hoc Sæculo remittetur ei, neque in futurum. In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc Sæculo, quasdam in futuro posse laxari: quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur, sed tamen ut prædixi hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata*. Ex quibus Gregorii verbis videmus etiam confutatum pravum Petri Martyris commentum, quo contendit juxta Dialecticæ regulas ex negatione affirmationem non sequi, nam aliis principiis Dialectica, & aliis Scriptura procedit, ut suas eliciat Conclusiones, quæ prudentia magis, quam speculatione dirigitur. Sic cum Christus Dominus apud Joan. 18. dixisset: *Regnum meum non est de hoc mundo.* id satis fuit ut ex illis verbis Pilatus inferret. Regem esse Christum, & hanc illationem nullus Patrum, & nullus Interpetrum reprobavit, nec ipse Christus, qui mox Pilato respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Superva-

ca-

caaneum est modo addere non alio sensu intellectum fuisse ab antiquis hunc Matthæi locum, cum Heterodoxi ipsi contrarium non possint ostendere, cum sciant Bedam, Isidorum, Rabanum non aliter verba illa intellexisse, iisdemque contra ipsos usum fuisse Bernardum, & Petrum Cluniacensem, ut ignem Purgatorium restare post mortem ostenderent. *Non credunt*, sic inquit S. Bernardus Sermone 66. in Cantica *ignem Purgatorium restare post mortem, sed statim Animam solutam a Corpore, vel ad requiem transire vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc Sæculo, neque in futuro remittitur, cur hoc dixerit si nulla manet in futuro remissio purgatiove peccati.* Verum tamen est, quod quia illud dixit non debent Novatores inferre etiam peccata mortalia remitti in futura vita, nam hoc repugnat conditioni status Damnati, cui nulla potest prodesse Oratio, vel Sacrificium, nec pro illo ab Ecclesia offertur, cum nullo modo sit membrum Christi, & cum constitutus sit extra omnem spem misericordiæ, & propter hoc Augustinus in Enchiridio cap. 110. ait: *pro valde bonis gratiarum actiones sunt* (idest in Ecclesia sunt Sacrificia) *pro valde malis nulla esse adjumenta mortuorum*; sed solum inferri poterit in futura vita remitti peccata mortalia quoad pœnam, sive compleri eorum remissionem.

V. Præter hæc, alia suppeditat Scriptura testimonia, sed demonstrative non ostendunt existentiam Purgatorii, vel quia de eorum expositione nec inter Patres, nec inter Interpretes recentiores convenit, vel quia obscurissima sunt. Ad primam classem pertinent ea, quæ Apostolus scribit in 1. ad Cor. cap. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?* Et ambiguitatem hujus Textus operatur vox *Baptizantur*, quæ aliquibus *actus Pœnitentiæ*, significat; aliis *Ablutionem*, quæ in Baptismo fit, sive ipsam susceptionem Baptismi pro iis, qui cum voluissent illum suscipere, non potuerunt morte præventi: aliis significat illud quod in hac ablutione repræsentatur Mysterium; aliis Baptismum illum exprimit, qui ab illis suscipitur, qui magis habentur pro mortuis, quam viventibus, qui profecto pro nullo commodo hujus vitæ baptizantur; & aliis demum Purgatorii pœnam concludit, quæ a Scriptura, & Patribus Baptisma vocatur: a Scriptura quidem, nam Matth. 3. legitur *ipse vos Baptizabit in Spiritu S., & igne*: a Patribus vero nam Gregorius Nazianzenus, cui consentiunt Hieronymus, Basilius, & Beda Ignem Purgatorii Baptismum ultimum vocat. Verum huic Scripturæ satisfacit alia Scriptura quæ Actor. 1. sic legit: *& convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis inquit per os meum, quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies*, unde eruitur illa verba referri ad illapsum Spiritus S. in Apostolos, ut Jansenius ait in cap. 13. Concordiæ Evangelicæ, non vero ad ignem Purgatorii; & hoc satis est, ut ex hoc textu Scripturæ quod quæritur non probetur. Ambiguum quoque sensum habent ea, quæ in cap. 5. Matth. leguntur, & Lucæ 12. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.... Omnis qui irascitur fratri suo reus erit Judicio, qui autem dixerit fratri suo Raca reus erit Concilio: qui autem dixerit Fatue reus erit Gehennæ ignis.* Quibus auctoritatibus addere possumus illud Lucæ 16.

facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Siquidem in prima auctoritate particula *donec* non arguit ex necessitate temporaneam durationem, ita ut tandem aliquando ex illo carcere ille sit exiturus, de quo dictum est non *exeas inde donec solvas ultimum quadrantem*; sed æque potest accipi ad significandam perpetuitatem pœnæ. non secus ac perpetuitatem significat in hoc Matthæi loco c.1. *Non cognovit eam donec peperit filium suum*, in his verbis Psal. 119. *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & in hac Apostoli Sentent. 1. ad Cor. 15. *oportet enim illum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*: nec facit quod quadrans fuerit minimus nummus, quia minimum quadrantem solvere in proverbio est pro summo jure puniri. In altera auctoritate sensum reddit ambiguum pœnarum diversitas variis culpis adscripta, sed quia ad hoc explicandum Christus adhibuit similitudinem diversarum mortium, quæ populo notæ, cruciatus magnitudine differebant, non facile quis sibi persuadebit tunc Christum egisse de culpis, quæ Purgatoriis pœnis expiarentur, sed de inæqualibus peccatis, quæ inæqualibus plectenda essent suppliciis. *Vide nunc*, inquit Augustinus, *etiam tres reatus, Judicii, Concili, & Gehennæ; nam in Judicio adhuc defensioni datur locus; in Concilio autem, quamquam & Judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam sicut Judicium, nec damnati pœnam sicut Concilium, in Gehenna quippe ignis, certa est, & damnatio, & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis, & in reatu, sed quibus modis invisibiliter exhibeantur pœnæ meritis animarum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum intersit inter justitiam Pharisæorum, & justitiam Majorum, quæ in Regnum Cælorum introducit. Quod cum sit gravius occidere, quam verbo irrogare convicium, ibi occisio reum facit judicio, hic autem ira facit reum judicio, quod trium illorum peccatorum levissimum est: quia illic quæstionem homicidii inter homines agitabant, hic autem omnia Divino Judicio dimittuntur, ubi finis damnatorum est Gehenna. Quisquis autem dixerit, quod graviore supplicio, in majore justitia puniatur homicidium, sicut Gehenna ignis punitur convicium, cogit intelligi esse differentias gehennarum*. Neque ex postrema auctoritate videtur sufficienter Purgatorii existentia probata, cum verbum *deficere* varii interpretes diversimode explicent, vel prout significat mori, vel prout significat fugari a Deo, aut quatenus exprimit divitiis destitui, quæ postrema explicatio videtur opportunior; & hoc satis apparet ex Villici comparatione, & Villicationis officio male functo: cum igitur juxta hunc sensum deficere a Villicatione idem sit quod a Uillicatione in hac tantum vita, ut Maldonatus explicat, removeri, & condemnari, & allegorice idem sit ac Divina gratia privari, consilium eleemosinæ in hac sententia concluditur, ut malus Villicus a pœnis æternis eripiatur. Suppeditat hanc explicationem idem Augustinus in l. 21. de Civit. Dei cap. 27. *Est itaque*, inquit, *quidam vitæ modus, nec tam malæ ut his, qui ea vivunt. nibil prosit ad capessendum Regnum Cælorum largitas eleemosinarum, quibus etiam Justorum sustentatur inopia, & fiunt amici, qui in Tabernacula æterna suscipiant*,

piant, nec tam bona, ut ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis, quos amicos fecerint, misericordiam consequantur... Sed quis iste sit modus, & quae sint ista peccata, quae ita impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen Sanctorum Amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat, quoniam si scirentur quae, vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitae melioris absumptis intercessio sit inquirenda, & speranda justorum, eis secura se obvolueret humana segnities. nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo quaereret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de Mammona iniquitatis eleemosinarum largitione fecisset. Nunc vero dum venialis iniquitatis etiamsi perseveret ignoratur modus, profecto, & studium in meliora proficiendi, Oratione instando vigilantius adhibetur, & faciendi de Mammona iniquitatis sanctos Amicos cura non spernitur. Verum ista liberatio, quae fit, sive suis quibusque Orationibus, sive intercedentibus Sanctis id agit, ut in ignem quisque non mittatur aeternum, non ut cum fuerit missus post quantumcumque tempus inde eruatur.

Suas etiam habent expositiones contrarias reliqua illa loca quae petuntur ex cap. 23. Lucae *Memento mei dum veneris in Regnum Tuum*, & ex cap. 2. Actuum: *quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, ita ut certum esse non possit, tales esse harum auctoritatum sensus, ut ex illis demonstrari possit Purgatorii existentia. Ceterum quamquam haec, & superiora reliqua omnia testimonia Scripturarum per se sola non probent talem existentiam, ex hoc tamen quod alibi ostensum est dari reatum poenae temporalis in homine etiam justo, & potentiam ex parte illius ad satisfaciendum pro illa, non irrationabiliter ex singulis illis sententiis concluditur posse hujusmodi hominem justum in eo statu pervenire ad Dei judicium, & propterea mitti in carcerem, donec per se, vel mediantibus piorum suffragiis, pro aliquibus peccatis, & peccatorum delictis illud solutionis genus compleverit, qua facta inde possit exire, & salvus esse, *sic tamen quasi per ignem*, ut scripsit Apostolus in 1. ad Cor. cap.3. cujus testimonii sensus, licet obscurissimus sit, ita ut illum vix assequi liceat, & in his deputari possit, quae Petrus dicit esse in Pauli scriptis *quaedam difficilia intellectu, de cujus expositione propterea* Augustinus in libro de Fide, & Operibus c. 16. *malle se dixerit audire intelligentiores, atque doctiores*, tamen non displicet illorum Theologorum explicatio, qui locum hunc interpretantur de igne vero, & proprio, in quo Dominus, vel dies Domini revelandus dicitur, vel in die Universalis Judicii, ut idem Paulus scripsit in 2. ad Thessal. 1. vel in Judicio particulari, in quo per ignem, justitiae suae severitatem ostendet; quomodo scilicet opera per ignem probanda, aut punienda sint, non quia omnes in ignem mittendi sint, sed quia ut exponit Suarez in suis Commentariis disput. 45. de Purgator. Sect. 1. n. 28. *ignis illic positus est ad purgandas sordes operum, & ideo quando ignis ille nullo modo attingit opera, nec personam, satis probat, & testimonium praebet bonitatis, & perfectionis talium operum, quando vero necesse est ingredi ignem, ut opera purgentur, tunc sordida esse probantur, & ita*

ita dicuntur omnes etiam innocentes per ignem probari, etiamsi flamma eos non attingat, quia omnes examinantur num indigeant Purgatorio igne. Expositionem hanc veteres Patres non ignoraſſe Ambroſii demonſtrat auctoritas in Pſ. 118. enarrat. in 3. Octonar. in principio, & in 20. circa illa verba: *Vide humilitatem meam*, cui adſtipulantur Rupertus l. 3. in Geneſ. cap. 32. & Lactantius libro 7. cap. 21. ubi tradidit: *Deum igne eſſe examinandum omnes juſtos, ſed quos plena juſtitia, & maturitas virtutis incoxerit ignem illum non ſentire*.

VI. Sed habent Novatores alias Scripturæ Auctoritates quibus occurrunt Superioribus, & ſimpliciores illaqueant, & prurientes multitudinis aures demulcent, nam conantur oſtendere, ſimul cum culpa, ſemper omnem cujuſvis pœnæ temporalis reatum aboleri, & poſt mortem non ſupereſſe niſi præmium, aut pœnam. Repetunt has Auctoritates ex cap. 18. Ezechielis: *Cum averſus fuerit impius ab impietate ſua, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*: ex Verbis Matth. 25. *Venite benedicti*. *Ite maledicti*: ex verbis Jo. 3. *qui credit non judicatur, qui non credit jam judicatus eſt*, & ex illis Epiſt. ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, & ex cap 14. Apocal. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, ammodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis*. Addunt inſuper ea quæ leguntur in Pſ. 126. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum ecce hereditas Domini*, rurſum illa, quæ docet Eccleſiaſte in cap. 9. *quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*, & quæ ſcribit in cap. 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*, & poſtremo objiciunt id quod Apoſtolus 2. ad Cor. 5. teſtatur: *quod omnes adſtabimus ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſerit in corpore, ſive bonum, ſive malum*. Contendunt itaque ex his fundamentis inferre poſt hanc vitam non eſſe ſatisfaciendi locum, ſed quod ea metet homo quæ ſeminabit. Juſtos ſine mora in Cœlum ſuſcipi, e contra ſceleſtos in Infernum detrudi.

VII. Non proficiunt tamen in cogitationibus ſuis, ſiquidem ad ſenſum improprium laudatas Scripturas traducunt. Enim vero in verbis Matthæi, & in utraque Eccleſiaſtis ſententia legit Hieronymus damnatorum conditionem, & ſtatum animarum poſt diem univerſalis judicii, & ita nihil eruitur, quod adverſetur Purgatorio. Quod ſi Gregorius lib. 4. Dialag. cap. 39. accomodat omnia, quæ a Salomone ſcribuntur ad eos etiam, qui in Purgatorium deducuntur, veriſſimum eſt totum illud, quod dicitur, quia illi, qui in locum hunc pœnarum deſcendunt, nihil amplius mereri poſſunt, ſed ſolum viventium precibus adjuvari, ſi tamen in hac vita ea præſtiterint, quæ meruerunt, ut poſſint juvari. Quod ſi ibi manere dicuntur in hoc ſenſu eſt verum ſcilicet, quia non recedunt a ſtatu gratiæ, in quo deceſſerunt, non in hoc ſenſu, quod localiter non moveantur, in Cœleſtem Beatitudinem transferendi; idem enim contigiſſe ſcimus, cum Chriſtus deſcendit ad Inferos, ut animas ibi exiſtentes deduceret. Nullibi vero legitur in Scriptura juſtos cum moriuntur in Cœlum ſtatim recipi, niſi acciderit eos mori expiatis pœnis, aut illos eſſe omni ex parte juſtos: Unde ſequitur falſum eſſe, quod inter mortem, & requiem in Cœlo non ſit Purgatorium. Mortui, qui in Deo moriuntur, tranſeunt a ſtatu certaminis, & laborum pro Chriſto ad ſta-

statum, qui non habet hos militantis, Ecclesiæ labores, & dubia certamina, & hinc est, quod ab his laboribus dicuntur requiescere animæ, quæ in Purgatorio existunt, certæ jam de pleniore quiete in Cœlo post justam expiandæ pœnæ moram. Ut igitur, quæ supersunt Sententiæ Scripturarum nobis non adversari probemus, dicimus Novatores superædificare super fundamentum, quod positum est, fœnum, & stipulam, ut ait Apostolus in laudata Epistola 1. ad Cor. 3. cum sciant omnes illos verum Scripturæ sensum nobis obtegere in verbis, quæ ab iisdem citantur. Quid enim aliud est iniquitatum non recordari, quam non conservare inimicitiam cum iis, qui peccaverunt, ut iniquitates eorum in æternum puniat? Huic vero sensui nihil officit hujusmodi iniquitatum punitio pœna temporali in Purgatorio, nisi prius id factum fuerit aliis remediis adhibitis antequam e vivis decesserint: quemadmodum non obest Divinæ pollicitationi se non recordaturum, justitiarum, si justus a justitia sua se averterit, quod apud eumdem Ezechielem pollicetur Deus, si postea justitias ejusmodi remuneretur aliquo temporali præmio, quod ab ipso fieri communis est sententia Patrum, Chrysostomi præsertim hom. 67. ad Populum, Hieronymi in caput 29. Ezechielis, Augustini, Gregorii, & aliorum. Idem dicendum est super verba Jo. 3. & Pauli ad Rom. 8. illum, qui crediderit judicandum non esse hoc est condemnandum, modo cetera adsint, quæ requiruntur: & nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu, si non consenserint motibus carnis suæ. Ceterum nulla harum Sententiarum Purgatorium impugnat, altera enim Heterodoxorum errorem ferit, qui concupiscentiæ motus defendunt esse peccata; altera vero iidem Novatores abutuntur, ut ostendant solam fidem justificare, & salvare, nullamque necessitatem esse Baptismi contra id, quod Matth. cap. 18. dicitur, & nullam necessitatem esse bonorum operum, quod falsum esse tota clamat Scriptura: quod dici etiam potest de verbis illis, quæ petuntur ex Psalmo 126. cum ex Augustini, & aliorum expositione agatur in hoc Psalmo de generali mortuorum resurrectione, postquam Electis, qui in gloria cum Christo surrexerint, omnibus apparebit ejusdem Christi hæreditas, quam perfectam, & plenam accepturi erunt justi in corpore, & animo post Universalem Prædestinatorum omnium consummationem, quam intelligentiam, quia non respuit illa quoque ex Apostolo citata Sententia: *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque &c.* sequitur male ex illa a Novatoribus inferri post hanc vitam tempus purgationi non superesse, ut per se patet: quamquam etiam si de judicio particulari in illa sermo fieret, adhuc consequentia adversariorum inepta esset, quia in hoc etiam casu revera illi, qui purgationis tempus, & locum inveniunt in futuro Sæculo, nihil recipiunt, nisi quod gesserunt in corpore, scilicet, quod viventes meruerunt in fide, & charitate ad mortem usque perseverantes, ut confirmat Augustinus in cap. 4. libri de Cura gerenda pro mortuis inquiens: *Orationem prodesse iis, qui cum in corpore viverent talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.*

§. II. *Proferuntur pro Existentia Purgatorii præcipuorum Scriptorum testimonia, & Decreta Conciliorum.*

VIII. Nullus Hæreticorum adeo dessipuit, ut argumentum hoc ex Tradi-

ditione petitum negarer. Illorum quilibet fatetur Ecclesiam, & Patres consuevisse pro defunctis orare, & morem hunc mille trecentis annis antiquiorem Calvinus agnovit in loco supra citato. Robur itaque nostræ Conclusioni majus non accedit ex Hæreticorum persuasionibus, quod nos probaverimus Clementem in sua 1. Epistola, Dionysium in cap. 7. partis 3. suæ Eccles. Hierar. Gregorium Nazianzenum in Oratione in Cæsarium, Cyrillum in Catechesi 5. Mystagocica, Chrysostomum in homil. 41. in 1. ad Cor. Theophilactum in caput 12. Lucæ, Cyprianum in 9. Epistola libri 1. Epistolar. Hieronymum, & Paulinum Nolanum in Epistola ad Pammachium, Isidorum in lib. 1. de Divinis Officiis, aliosque sexcentos pro hoc Ecclesiæ usu stetisse, & inter Apostolicas traditiones ennumerasse Suffragia pro defunctis, ut scripsit Tertullianus in libro de Corona militis cap. 4. nam statim reponunt Petrus Martyr. in cap. 3. 1. ad Cor. & Calvinus, aliique Novatores in hac re Patres omnes in errorem abreptos fuisse, aut preces has consuluisse, quia noluerunt defunctorum nomen, & memoriam facile interire: aut demum Ecclesiam eo modo pro Defunctis consuevisse precari, ut quondam Christus pro Lazari excitatione orasse legitur, ut quemadmodum Christus id pro quo precabatur se jam impetrasse cognoverat, ita illud petit Ecclesia pro defunctis, quod illos jam esse consecutos putat. Hanc vero, & Patrum, & Ecclesiæ mentem fuisse ex eo infert Calvinus, quod de Purgatorio nihil adeo asseruerint, ut propterea illud pro re incerta haberent.

IX. Quis vero his immorans, aut hæc audiens statim non intellexerit se oleum, & operam esse omissurum volens cum impostoribus, & vaferrimis hominibus judicio contendere? Erraverunt inquit Petrus Martyr Patres omnes. Per annos mille, & trecentos in tam crasso versata est errore Ecclesia inquit Calvinus. Nullus ergo in tanta annorum serie hunc errorem detexit, nulli Præsules, nulla Concilia correxerunt? Neque nos deserit ipsa naturalis ratio, quæ legem esse naturæ, ait, omnium in una re consensionem. Quod itaque hujus suppositi erroris testes nullos Heterodoxi proferant antiquiores, haud fide digni credendi sunt. *Insolentissima*, inquit Augustinus in Epistola 118. *insania est disputare contra id, quod universa facit Ecclesia, quam Columnam, & firmamentum veritatis* in 1. ad Timoth. 3. Paullus appellavit, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt*, ut Christus Matth. 16. promisit. Hæc itaque Ecclesia, ut ex Sacris Canonibus constat. præsertim ex Epistola Joan. Constantinop. ad Hormisdam Papam, & ex Epistola 24. ejusdem Hormisdæ, *primo quidem salubri consilio decrevit, ut in tremendis Divini libaminis oblationibus eorum semper memoria a Sacerdotibus recolatur, qui defuncti sæculo iram Domini portant, quoniam peccarunt ei, donec judicet caussam eorum, & faciat judicium eorum, & educat eos in lucem, ut videant justitiam ejus, id vero olim fieri solebat recitatis ex Sacris Diptychis mortuorum nominibus*: deinde speciale Officium pro defunctis instituit post reliquas Canonicas horas recitandum, tandem consuevit mortuorum memorias generaliter celebrare die post obitum tertia, septima, trigesima, & anniversaria. Tertia inquam, ut sicut Christus tertia die resurgens vitam nostram in melius reparavit; ita nos tertia die pro spiritibus mortuorum Sacrificia offerentes spem futuræ resurrectionis profiteamur. Septima vero, quia hoc numero universitas designatur, ut universa eorum peccata deficeamus. Septennarium hunc numerum notat Eccles. in cap. 22. ubi dicit: *In-*

luctus mortui septem dies, religiose quoque eumdem numerum custodivisse filios Jacob in cap. 50. Genesis exponitur, qui optimi Patris celebrantes exequias, impleverunt septem dies. Trigesimam diem Solemnem reddidit omnis multitudo filiorum Israel, quæ videns occubuisse Aaron flevit eum triginta diebus, totidemque Moysem in Campestribus Moab Denique Anniversariam diem repetit ne forte criminibus nondum expiatis, adhuc lustralibus flammis crucientur, nostrisque suffragiis indigeant. Hujus autem institutionis, non secus ac superioris antiquissima reperiuntur monumenta apud antiquissimos Ecclesiæ Patres, & non solum apud Occidentales gentes invaluisse hos ritus, verum etiam apud Orientales, Maronitas videlicet, Melchitas, Cophtos docet Abrahamus Ecchellensis in notis ad librum Hebedjesu de Scriptoribus Chaldæis pag. 165. & eruitur ex Gentium, & Ecclesiarum omnium Liturgiis, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii &c. in quibus omnibus Oratio fit pro Defunctis.

X. Nec aliud Ecclesia sensit cum Orationes pro defunctis præscripsit, quam ut illis prodessent, & revera prodesse illis, qui meruerunt ut sibi prodessent, & credidit, & docuit. Hanc Ecclesiæ fidem laudatus Cyrillus loco citato testatus est, *pro omnibus oramus*, inquit, *qui inter nos vita functi sunt maximum credentes esse animarum juvamen pro quibus offertur*: testatus hoc idem est Chrysostomus cum in hom. 69. scripsit. *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt; ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim inde multum illi contingere lucrum, utilitatem multam*: Adstruit eamdem fidem Gregorius in lib. 4. Dialog. c. 55. *multum*, inquiens, *solet animas, & post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur*, & Isidorus in loco citato cap. 18. expresse ait: *quod nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosinam faceret, vel Deo Sacrificium offeret*. Hujus fidei maximum quoque argumentum suppeditant ea, quæ Cyprianus in libro 1. Epistolarum recensuit scribens Epistola 9. *quod Episcopi antecessores ejus censuerunt, ne quis, fratres, excedens ad tutelam, vel curam Clericorum nominaret, ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*; & ideo statuit, quod cum Victor contra formam in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus esset Actorem constituere, non esse, quod pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua, scilicet cum hic Victor Canonicis regulis non paruisset, non meruisse illum, ut sibi hæc Sacrificia prodessent, Cyprianus, cæterique Patres crediderunt. Eamdem fidem ostenderunt viri illi sanctissimi, qui maximum animabus suis futurum levamen sperantes, morientes, se superstitum orationibus commendarunt. S. Ephrem in suo testamento *Assidue*, inquit, *in vestris Orationibus mei memoriam faciatis, etenim in vanitate, & iniquitate vitam peregi meam*, & Constantinus referente Eusebio libro 4. in ejus vita in Templo sepeliri voluit, *ut fieret particeps multarum Orationum*, cujus utilitatis monumentum nobis reliquit Magnus Gregorius in cap. 50. libri 4. Dialog. ubi ait: *quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in Ecclesiis sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem Sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt recordantur, & pro eis Domino preces fundunt*. Eamdem fidem S. Malachias apud S. Bernardum ostendit cum inquit, *nec parum spei mihi repositum in illa*

die, qua defunctis tanta a vivis beneficia impenduntur. Demonstrarunt tandem eandem fidem tum Concilium Bracharense I. cap. 34. ubi jussit non orari pro illis, qui se ipsos interimerent, tum Concilium Cabilonense, quod præcepit, ut in omnibus Missarum solemniis pro Spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprecemur, tum Concilium Wormatiense, quod cap. 10. pro suspensis in patibulo orandum esse, & Sacrificandum decrevit; tum VI. Romanum sub Symmacho in quo sacrilegum esse decernitur fraudare animas defunctorum fidelium Orationibus; & demum duo Generalia Concilia, nempe Florentinum, & Tridentinum, illud in Sess. XXV. ubi Græci sic decernunt: *Sanctorum animas perfectam in cœlis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt, peccatorum vero animas perfectas luere pœnas, medias autem esse in loco tormentorum*; & in definitione fidei, ubi hoc legitur de Purgatorio Decretum: *item si vere Pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis Pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur prodesse eis vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, & eleemosinas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.* Concilium vero Tridentinum in can. 3. Sess. XXII. ubi Anathemate percellit eos qui dixerint, *Missæ Sacrificium non esse propitiatorium pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus* item in canone 30. Sess. VI. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori Pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc Sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, Anathema sit*, & rursum in Sess. XXV. in qua legitur Decretum, quod de Purgatorio Tridentini Patres edocti ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in Sacro Concilio ediderunt. Videmus ergo ex his, quam fictitia sit Pseudo-Martyris commentatio, & insaniens Calvini, ceterorumque Novatorum effrons audacia, & penitus corruere tertium quoque argumentum, quod ab illis addebatur contra Catholicum ritum orandi pro mortuis. Ipsa etenim Ecclesiæ praxis, quæ vetuit pro Martyribus reliquisque Sanctis orare, ut S. Augustinus notavit Tractatu 84. in Joannem, satis probat Ecclesiam non postulare pro defunctis id, quod jam habent, sed ut *Deus illorum misereatur, ut quiescere eos faciat ubi videtur lumen ejus*, quemadmodum legitur in Liturgia Epiphanii, vel sicuti in nostra legitur, *ut ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus Dominus locum refrigerii, lucis, & pacis indulgeat*. Contra vero cum justorum nomina in Sacrificio recitat, ita Orationem concludit: *quorum meritis, precibusque concede, ut in omnibus semper protectionis tuæ muniamur auxilio*. Discrimen itaque maximum est, quia Ecclesia non orat pro his, sed magis ut orent isti pro nobis precatur.

XI. Undenam vero Petrus Martyr acceperit, quod cum Christus pro Lazaro oravit, oraverit pro eo, quod jam sciverat se obtinuisse, ignoratur. Hoc unum non ignoratur, quod Lazarus nondum resurrexerat cum Christus oravit; quod scivit ergo Christus, erat, Lazarum resurrecturum, & hoc illud idem est, quod scit, & sperat Ecclesia, quod qui in pace requiescunt aliquando regnaturi erunt cum Christo. Non petit ergo Ecclesia id, quod defuncti jam acceperint, quemadmodum Christus non orat pro Lazaro, qui

jam

jam resurrexerat, pro resurrecturo orat, & ita petit Ecclesia id, quod defuncti aliquando accepturi sunt. Apertissimum igitur est Novatorum mendacium, & non sine gravissima Catholicæ Ecclesiæ contumelia prolatum, non aliter Concilia, Patres, Theologos de Purgatorio locutos esse ac si dubia res esset, quæ ad nos pertineret. Contrarium a Patribus semper fuisse traditum consulentibus eorum scripta cumulatissime patet. Purgatorii pœnis animas esse expiandas docuit Nyssenus in Oratione pro mortuis. *Non poterit*, inquit, *a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit*. Idem tradidit Ambrosius explicatione in illud Psalmi 36. *Gladium evaginaverunt Peccatores. Etsi salvos faciet Dominus servos suos, salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen uremur:* quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant alio loco nos docet Scriptura Divina; *nempe in mare rubrum demersus populus est Ægyptiorum, transivit autem Populus Hebræorum, Moyses pertransivit, præcipitatus est Pharao, quoniam gravia eum peccata merserunt eo modo præcipitabuntur Sacrilegi in lacum ignis ardentis &c.* hæc repetit Augustinus in libro 50. Homiliarum homilia 16. & in Psalmo 37. ubi sic scribit: *Quia dicitur salvus erit, ille ignis contemnitur, ita plane quamvis salvus per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Dogma esse fidei Purgatorium*, scripsit Hieronymus in fine Commentarii in Isaiam, & Gregorius Magnus in caput 39. libri 4. Dialog. *De quibusdam levibus culpis*, ait, *esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est*, & in Psalmum 3. Pœnitentialem. *Scio*, inquit, *futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii Sententiam æternæ subeant damnationis. Credimus*, subjungit Theodoretus *hunc ipsum ignem Purgatorium, in quo animæ defunctorum probantur, & repurgantur sicut aurum in conflatorio*. Idemque docuit Anselmus in 1. ad Cor. 3. *quare nobis non esse blandiendum*, inquit Petrus Damianus in Serm. 2. de S. Andrea, *si graviter peccanti levior Pœnitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus fecerit, quia dignos Pœnitentiæ fructus quærit altissimus*. Tot itaque Sanctorum, aliorumque Patrum testimonia graviter adeo Novatorum impudentiam urgent, ut nihil amplius expectari ab illis possit contra hujus argumenti vim, præter nugas, & repetita convicia; quapropter opportune notamus, ne fucum faciant nonnulla Ecclesiasticorum Scriptorum testimonia, quæ ab Adversariis proferuntur, quandoque videri Patres vel negare *modum satisfactionis* cum isthinc excesserimus, ut scripsit in Tractatu 1. contra Demetrianum S. Cyprianus: aut asserere tunc *in nostra manu non esse pænitere, & commissa diluere*, quod dixit Chrysostomus homil. 2. de Lazaro, & Ambrosius in lib. de Bono Mortis cap. 2. aut *se nescire utrum præter Regnum Cœlorum, & Gehenam alter locus sit, quo post hanc vitam animæ torqueantur*; quod Auctor libri Hypognostici, sive Hypomnestici, & Augustinus notavit in Sermone 14. de verbis Apostoli, & iterum in capite 26. lib. 21. de Civit. & rursum in Enchyrid. cap. 69. & lib. 1. cap. 28. de Peccat. Mer. & aliis in locis.

XII. Sed ex nullis his loquendi formulis revera Purgatorii existentia impugnatur 1. quia certo certius est duplicem satisfactionem Patres distinguere, alteram pro culpa, quæ justificationem præcedit, de qua est illud Actuum 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, si forte remittatur tibi hac* co-

cogitatio cordis tui, alteram vero post justificationem, qua Deo pro pœna satisfit. Hinc sequitur non semper Patres de secunda satisfactione loqui, sed non raro de prima, & de illa loqui Cyprianum in laudato loco clarissimum est, antequam enim dixisset. *Quando istinc excessum fuerit* (quæ sunt verba quæ a Brentio citantur) *nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus*, jam dixerat: *Hortamur dum adhuc aliquid de sæculo superest Deo satisfacere, & ad vera Religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere*, & postea sententiam ita concludit *hic vita aut ammittitur, aut tenetur*. 2. æque certum est aliquando Patres loqui de remissione mortalium, & aliquando de remissione, & satisfactione pro venialibus, de qua vero loquantur inferendum est ex contextu suorum verborum, quo notato cognoscitur Chrysostomum, & Ambrosium cum illud scripserunt, quod supra a Novatoribus indicatum est, nimirum: *cum hinc discessimus non esse in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere*, & rursum, *qui hic non acceperit remissionem peccatorum illic non erit*, tunc egisse de remissione mortalium, quia Chrysostomus exemplo Epulonis, qui in gehenna cruciabatur monet ne conversionem in aliam vitam differamus, & Ambrosius cum superiora verba dixisset se ipsum explicans ait: *nimirum in Patria Beatorum*: *Non erit autem, quia ad vitam eternam non potuerit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est*. 3. Certum quoque est Augustinum non negare se cognoscere tertium locum absolute, sed tertium locum æternum, qualem Pelagius excogitaverat pro parvulis non baptizatis, patet hoc ex verbis sententiæ quæ ex libro Hypomnestici citatur. *Quomodo Pelagiane vitam Regni Cœlorum promittis parvulis non renatis ex aqua, & Spiritu Sancto. Ejus enim edictum est: Si quis renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Cælorum. Intrare quippe in Regnum Cœlorum non est aliud quam in vita beata vivere, quæ permanet in sæcula sæculorum. Da mihi præter hunc alterum locum, ubi vita possit requies esse perennis. Primum enim locum Fides Catholicorum Divina auctoritate Regnum credit esse Cœlorum, secundum gehennam &c.* (hic addunt Novatores notam ad marginem hujus sententiæ temere ab Erasmo appositam: *Tertium locum ignoramus Purgatorium*) sed revera mox subjungit: *Finge Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiei, & gloriæ possidere parvuli possint. Dextera justi Judicis, & sinistra, Regnum est, & gehenna, vita, & mors, justi, & iniqui*. Quid quæso in tota hac sententia est quod pugnet contra Purgatorii fidem? Ceterum auctorem hujus operis, & Augustinum ipsum non ignorasse locum tertium præter Cœlum, & Gehennam dicendum est, cum quod omnis antiquitas tradidit, & Scriptura pronunciat ipsos non latuerit ante Christi passionem fuisse Sinum Abrahæ ubi degebant animæ Sanctorum Patrum. Augustinus itaque nunquam dubitavit de hujus tertii loci existentia, sed neque dubitavit post Christi in Cœlum Ascensionem ibi Defunctorum animas sistere, ut suum debitum solvant, quod ex aliis ejusdem S. Doctoris auctoritatibus jam demonstravimus. De modo tantum, & qualitate visus est quandoque dubitare Augustinus, scilicet an ignis Purgatorius idem sit in substantia cum igne Gehennæ, & utrum animæ ibi existentes amorem illum adhuc patiantur, quo rebus terrenis adhæserunt, eorumque illecebris tangantur ex pristini status recordatione. Hæc autem dubia nihil officiunt veritati existentiæ Purgatorii neque confirmant ter-

tertium Novatorum effugium. Quod si tanti ponderis hoc esse debeat, ut veris narratis hæc existentia periclitetur, stabilietur omnino, si revera tertius hic locus existet.

XIII. Sed cui de hoc dubitare licebit, si neque dubitarunt ii, quos veluti Parentes suos veneratur Calvinistarum familia? Desperata igitur caussa est Pseudoreformatarum falsi nominis Ecclesiarum, & Novatores omnes nobiscum sentire coguntur. Judice Calvino, Fidei non repugnat tertius hic locus ab Inferis, & Cœlo distinctus, quo recipiantur Fidelium Defunctorum animæ: neque a Fide Calvinus ipse putat alienum Defunctorum animas de sua beatitudine usque ad Supremum Judicii diem manere suspensas. *Non est licitum*, inquit in lib. Instit. 3. cap. 25. §. 6. *nec utile nobis inquirere curiosius de statu qui est inter mortem, & resurrectionem. Torquentur valde plurimi disputantes in quo loco sint animæ receptæ, & utrum fruantur jam gloria promissa an non? Scriptura non eo usque progreditur. Quis Doctorum docebit nos, quod Deus nobis celavit? Quandoquidem Scriptura vult nos esse suspensos usque ad adventum Jesu Christi, & præcipit nos eum expectare, & ad eam diem nos remittit recipiendæ eternæ gloriæ. Contineamus nos his terminis, quos Deus nobis assignavit, scilicet animas Fidelium in requiem recipi ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriæ, & sic omnia suspensa manere, usquequo Christus appareat in Redemptorem.* Quem non repugnare triplicem animarum statum Calvinus putavit, certum esse tradidit Wicleffus in cap. 22. libri 2. Dialogorum. *Vere*, inquit, *dicitur Ecclesia Corpus Christi mixtum, quod verbis prædestinationis æternis est cum Christo Sponso Ecclesiæ copulatum. Et talis est triplex Ecclesia, scilicet militans, Dormiens, & triumphans. Militans est corpus Prædestinatorum, dum hic viat ad Patriam. Ecclesia dormiens est Prædestinati in Purgatorio patientes, & Ecclesia triunphans est beati in patria quiescentes.* Eamdem divisionem adoptavit Jo. Hus, & eo ulterius progressus est in Elucidatione fidei suæ, quod dixerit *inibi existens* (scilicet in dormiente Ecclesia) *jam beatitudinem expectat, quam debet ingredi ex Dei gratia, & auxilio Ecclesiæ militantis*; scilicet Jo. Hus non solum credidit Purgatorium existere, sed præterea Animabus in Purgatorio existentibus Ecclesiæ suffragia prodesse, quod iterum docuit in Tractatu de Corpore, & Sanguine Domini cap. 4. & in Sermone de Exequiis. Debent itaque fateri Novatores Doctrinam de Purgatorio fidem nostram non labefacere, non evertere, neque haberi posse loco erroris fundamentalis, in quem lapsi sint PP. omnes, neque hujusmodi errorem fontem fuisse illius consuetudinis orandi pro mortuis, quam Ecclesia universa velut Apostolicam traditionem semper observavit, & commendavit. Dixi *Universalem Ecclesiam* ne quis arbitraretur Græcam Ecclesiam temporum posteriorum cum Latina in hoc dogmate non consensisse, singularia enim ad rem hanc confirmandam sunt testimonia Michaelis Glycæ, in Epistola ad Nilum Monachum, Simeonis Thessalonicensis, in responsione ad Gabrielem Pentapolitanum apud Leonem Allatium, Gregorii Protosyncelli Chii in synopsi dogmatum apud eumdem Allatium, Eustratii Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyteri in libro de Animabus separatis, Nicolai Cabasilæ in expositione Liturgiæ cap. 42. & 45. Gabrielis Philadelphiensis de Purgatorio, Manuelis Calecæ l. 4. adversus Græcos, Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani in expositione Concilii Florentini cap. 3. Joannis Plusiadeni in disceptatione

pro

pro Concilio Florentino, Jo. Eugenici in Antirrhetico adversus Synodum Florentinam, aliorumque, & multum efficax argumentum illud est, quo suam sententiam concludit laudatus Caleca: *Si quis vero*, inquit, *hujusmodi purgationem neget, necesse est ut confiteatur vel malum aliquod relinqui impunitum, vel Fidelium Ecclesiam cum macula Christo conjungendam, vel quæ pro Defunctis fiunt nihil valere.*

XIV. Perperam nunc additur dogma existentiæ Purgatorii inferre Deum vere, & sincere justos, quibus peccata dimittit in suam amicitiam non recipere. Longe enim alia est ratio reconciliationis hominis cum inimico, & Dei cum homine pœnitente, illa tota exterior, hæc externa, & interior, quæ aliter ac illa culpæ, & pœnæ remissione non indiget ut probetur. Justitiæ simul, & misericordiæ violatæ jura tenetur peccator resarcire. Quæ condonat peccata, misericordia est, quæ pœnas exigit satisfactorias justitia est. Jus itaque quod suum est hæc exercens remissæ culpæ pœnas repetit, ut peccator illatæ injuriæ debitum solvat postquam misericordia peccatorem in suam gratiam receperit. Nec adversariis favet illa Chrysostomi sententia in Psalmum 50. *Ubi misericordia est, pœna non expetuntur*, nam hoc Chrysostomus dixit ad perdendum peccatorem, non ad satisfaciendum Justitiæ Divinæ. *Quid est quod David postquam a Nathan audivit: etiam Dominus abstulit peccatum tuum, adhuc misericordiam Divinam implorat?* Ut se ipsum Chrysostomus explicet, sic David respondentem inducit: *Sublatum quidem est peccatum meum, at etiam tolli cicatricem cupio, sublatum est ulcus, at etiam pulchritudinem meam recipere cupio. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Jam quidem per Nathan Prophetam remissionem mihi dedisti, atque omnis generis calamitates tamquam ultiones quasdam mihi adhibuisti, verum ablutionibus adhuc opus habeo, ut qui ingentem fœtorem ex peccato contraxerim. Quamobrem Domine rursum me ablue, ut omnes peccati sordes abradas.*

Perperam etiam dicitur remissionem pœnæ pendere a remissione culpæ, ut quilibet alter effectus a sua caussa pendet, hoc enim absolute loquendo falsum est, sed solum est verum in illis effectibus, qui dependent a suis caussis, & ut sint, & ut conserventur, ut splendor ab igne, cum itaque reatus pœnæ sit culpæ effectus permanens, & inde pendens, ut vulnus est effectus gladii, ideo non recte concluditur, quod deleta per pœnitentiam culpa, hic quoque reatus deleri debeat. Sed de his plura diximus in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

XV. Perperam postremo additur veteres orasse pro mortuis ut ostenderent erga eos pium affectum, ut se ipsos consolarentur, ut se accomodarent Gentilium ritui, & opinioni Vulgarium. Nam præterquam quod momenta singula hactenus exposita scurrilitates has, stultitiamque reprehendunt; primum mendacium apertissime refellit Augustinus in Enchiridio cap. 110. ubi vivorum solatia a mortuorum auxiliis distinguit, & in cap. 4. libri de Cura agenda pro mortuis, & in Sermone 32. de verbis Apostoli ubi sic loquitur: *Proinde pompa funerum, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio vivorum sunt qualiacunque solatia non adjumenta mortuorum. Orationibus vero Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosinis, quæ pro eorum spiritibus erogantur non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum*

pre-

peccata meruerunt. Alterum vero mendacium antiqua Ecclesiasticorum virorum praxis revincit in Ethnicorum ritibus prohibendis, & in castiganda Ethnica superstitione diligentissimi, ut constat ex Tertulliani, & Cypriani sententiis. Verum revincitur adhuc ex iis, quæ Arnobius scribit in libro 4. adversus Gentes pag. 128. editionis Romanæ A. 1583. ubi de Christianorum conventibus loquens conqueritur, ab Ethnicorum crudelitate ea loca immaniter dirui, in quibus a Christianis summus onoratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur Magistratibus, Exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum viuctione: *Quæso tanta ne Ethnicos habuisset pro Christianorum Religione indignatio, ut illorum conventus impedirent, & loca ipsa diruerent si communis fuisset utrisque erga Defunctos Religio? Aliter certe de sorte defunctorum Pagani, aliter Christiani senserunt*. Plato in Phædone Socratem induxit ita differentem: *hominum qui se se terrenis cupiditatibus dediderint animas circa sepulchra vagantes pendere pœnas quoad rursus corporibus alligentur*. Docet ibidem Socrates mortuos ab eo Demone, qui viventibus ipsis obtigerat deduci ad inferos, & post longa deinde temporis spatia ab alio duce revocari; & quæ his consona apud eundem leguntur in Gorgia libro 10. de Republ. & in Timæo. Hoc certum est de Christianis constantissime illos sensisse, quod animæ indigentes venia, & pace ob levia quædam delicta, quibus inquinatæ a corpore migraverunt veniam ipsam, ac pacem possint obtinere jam gratæ Deo, ipsique per Gratiam Sanctificantem, & Charitatem conjunctæ, quare Suffragiis, Orationibus, & Oblationibus quotidie instabant maximum esse credentes earumdem juvamen pro quibus offertur precatio Sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est Sacrificii. Tanta itaque in hoc dogmate discrepantia Christianos inter & Ethnicos satis superque probat Orationem pro mortuis apud illos non cœpisse ex imitatione Gentilium, neque vulgarium opinioni se accommodasse, sed Apostolicæ Traditioni.

Colligitur ex his Purgatorium esse dogma Fidei cum id probetur (ut ostensum est) tribus illis fundamentis, quibus Ecclesia uti solet in definiendis Propositionibus Fidei, Scriptura nimirum, Traditione, & generali Ecclesiæ consensu, quanquam horum unum sufficeret, si saltem implicite in eo contineretur veritas, quæ definiri debet. Non ita vero certus est ubi sit Purgatorii locus, & an unus tantum sit. Quæ ergo probabiliter dici possunt circa hanc Controversiam breviter in sequenti paragrafo subjiciemus.

§. III. *Licet in Scriptura locus Purgatorii expresse non determinetur, tamen probabiliter, & secundum quod magis consonat Sanctorum dictis, & Revelationi facta multis, communis Purgatorii locus est locus inferior Inferno conjunctus. Secundum Dei dispensationem etiam in diversis locis aliqui puniri possunt, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem*. Ita S. Thomas in IV. Dist. 21. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. & est communior sententia.

XVI. Pro singulis animarum statibus singula a Deo fuisse deputata loca, ex iis, quæ in Scriptura leguntur res est apertissima, sive animam consideremus conjunctam cum corpore, sive ab eodem corpore separatam. Animæ corpori conjunctæ, scilicet homini, fuisse tellurem concessam ad habitandum, præterquamquod id ipsa Scriptura docet in illis verbis Ps. 113. *Cœlum Cœli*

De-

Domino, terram autem dedit filiis hominum, vident omnes: Animabus vero a corpore separatis quinam locus debeatur felix earum explicat, & ærumnosa conditio, quæ si beatæ fuerint illas supra Sydera evehit in perpetuas æternitates regnaturas, si vero fuerint vitiis, & sceleribus deturpatæ, illas rudentibus inferni detrahit in æternum cruciandas. Locum hunc ad ipsam tellurem pertinere, & in illius centro situm esse non obscure colligitur ex verbis Matth. 11. in quibus de Capharnao dicitur: *Et tu Capharnaum numquid usque ad Cœlum exaltaberis? usque in Infernum descendes*, & ex illis Psalmi 138. *Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in Infernum ades*, in quibus auctoritatibus duo loca a terræ superficie distantissima innuuntur, ut salvetur antithesis. Cum vero medius animarum status ex superius dictis reperiatur, illarum quæ in Cœlum penetrare non possunt, quia *nihil coinquinatum potest introire in regnum Cœlorum*, & quarum vitæ integritas nequit illas in Infernum damnare, locum harum animarum non importune in aliqua inferiori superficiei telluris regione nos credimus posse invenire hoc fundamento. Animæ quæ ante Christi in Cœlum Ascensionem a Cœlo arcebantur, quia ulli nondum patebat, & quæ Dæmonibus sociari non poterant, cum justæ essent, in subterranea regione, quæ Sanctorum Patrum Limbus appellabatur, detinebantur. Ergo a simili Animæ quæ modo, & Cœlitum, & damnatorum societatem non merentur in subterraneum locum sunt recipiendæ, donec suum debitum solvant. Hoc vero etiamsi evidenter non probetur ex Scriptura, in illa tamen testimonium aliquod legitur, quod præoccupatione opus est, ut dicamus ibi Scripturam de Purgatorio non loqui. Hujusmodi est id, quod legitur in lib. Apocal. c. 5. *Nemo inventus est dignus aperire librum, neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram*. Certe Angelus quærens quis esset dignus aperire librum, justum hominem quæsivisse credendum est: At nisi supposuisset Joannes Animas Purgatorii subtus terram detineri, perperam virum dignum subtus terram Angelus quæsivisset: ergo justi, qui subtus terram ab Angelo quærebantur ad Animas Purgatorii pertinebant: ergo Purgatorii locum subtus terram esse, licet non evidenter, tamen non inverisimiliter ex Scriptura colligitur, quæ superioribus verbis connectens hæc posteriora: *dixerunt laudem Deo omnes Creaturæ in Cœlo, in terra, & sub terram* id dicit, quod potest convenire animabus Purgatorii, & nullo modo accomodari spiritibus damnatorum. Alter Scripturæ locus legitur in c. 24. Ecclesiast. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Qui sunt hi dormientes in inferioribus terræ partibus? Ii profecto de quibus noluit Apostolus Thessalonicenses *ignorare, ut non contristarentur sicut & ceteri qui spem non habent*. Ii sunt de quibus dum Judas Macchabæus loquitur ait *se scire quod cum pietate dormitionem acceperant*, qui bene sperantes in Domino dicuntur, nam pro mortuo homine impio nullam esse ultra spem Proverbiorum 11. traditur, ii tandem sunt ad quos Christus descendendo ad Inferos, ait Augustinus libro 12. Genes. ad litt. c. 33. *illum descendisse, ut illorum aliquos liberaret*, quod ex illis verbis Actuum 2. repetit *solutis doloribus Inferni*, advertens per illa Sinum Abrahæ intelligi non posse, in quo nullus erat dolor, neque alium locum, damnatorum scilicet, aut puerorum, quia a ceteris locis neminem Christus eduxit. Eumdem locum tenuit Tertullianus in libro de Anima cap. 56. & Magnus Basilius, qui in cap. 5. Isaiæ illum *in terræ positum meditullio*, ob-

obscurum ab omni parte, & obumbratum agnoscit: ipsique Liturgiarum Auctores eumdem tenuerunt; sic enim inter cetera legitur in Paracletica, Sabbato in Defunctos. *Eripe Domine ab igne Gehennæ eos, qui a nobis migrarunt*, & rursum in precatione tertia in Pentecostem, in qua Sacerdos, vel Episcopus ante Altare ita orat: *Qui in hoc absoluto undequaque, & salutifero Festo Suffragia, supplicationesque pro detentis in inferis suscipere dignatus es, magna nobis spe subjecta detentis hujusmodi &c.* Qui orandi modus Græcorum parum differt a precibus Latinorum, cum hi in Sacrificio Missæ precantur *ut Deus liberet animas fidelium defunctorum a pœnis inferni, & de profundo lacu*. Hujus Lacus profunditatem ipsa Christi Martyr Perpetua descripsit, tum cum divinis visionibus dignata, quid sibi cœlitus de statu Dinocratis fratris sui fuerit revelatum, ipsa narravit, ut ex ejus Actis constat, quæ a Sancto Augustino laudantur in lib. 1. de Anima, & ejus origine. cap. 10. & lib. 3. c. 9. & lib. 4. c. 18. Omitto rem similem a Beda fuisse narratam in cap. 13. lib. 5. suæ historiæ, & quod hæc sententia communis est apud illos, qui ajunt Inferni, & Purgatorii animas eodem igne torqueri, ut infra observabimus.

Quid ergo dicendum erit ad illorum Patrum sententias qui Purgatorii locum alio trastulerunt? *Quidam dicunt*, inquit D. Thomas loco supra citato, *quod secundum legem communem locus Purgatorii est ubi homo peccat, quod non videtur probabile, quia simul potest homo puniri pro peccatis, quæ in diversis locis commisit. Quidam vero dicunt quod puniuntur supra nos secundum legem communem, quia sunt medii inter nos, & Deum quantum ad statum, sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infinitum in eis, scilicet peccatum.* Quod si Revelationes habentur, quæ possunt ostendere Purgatorium esse in aliquo loco super terram, reponimus Purgatorium illud fuisse extraordinarium, & præter legem propter Dei voluntatem, & caussam, quam ipse novit: quamquam & illud dici potest quod inquit Suarez in loco supra cit. Sect. II. n. 7. in his Revelationibus aliquid ostendi in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem, non quia in tali loco illud opus fiat, & argumentum petitur ex illa apparitione, quam narrat Petrus Damiani in Epistola 13. ad Desiderium cap. 7. ubi scribit animam S. Severini Episcopi in flumine apparuisse cuidam Presbytero, ejusque manum apprehendisse ut suæ pœnæ vehementiam sentiret, nam certe pœna illa vehementis ustionis non erat in flumine, quantum ex proportione loci, & effectus intelligi potest. Nihilominus primus explicandi modus non repugnat, imo confirmatur ex aliis apparitionibus, & inter ceteras ex illa apparitione, quam Magnus Gregorius in cap. 40. l. 4. Dialog. describit, ubi inquit Paschasium Virum Sanctum in Thermis Puteolanis apparuisse Germano Episcopo Capuano, eique revelasse in eum pœnalem locum fuisse deputatum, quia contra Symmachium, cuidam Laurentio faverat hoc est, quia Romæ peccaverat in electione Pontificis.

reatus pœnæ ex culpa mortali nascens, quæ est caussa aversionis a Deo, falsum esse censemus quod omnino tollatur, cum ipsius conservatio a culpa non dependeat in quantum ad hoc quod extenditur ad reatum pœnæ temporalis, sed solum in ordine ad pœnam æternam, præsertim quia supponi possunt in illis animabus peccata quædam venialia, quæ hanc temporalem damni pœnam mereantur, sive aliquam moram in conjunctione cum Deo: sunt enim aliquo modo offensiones Dei, & illos remorantur, qui tenentur in finem ultimum tendere. Ipse etiam D. Thomas in hac carentia Divinæ visionis maximam pœnam agnoscit propter hoc ut scribit in IV. D. 21. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. *quod quando aliquid magis desideratur tanto ejus absentia est molestior: & quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam in animabus Sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, & etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, ideo de hac tardatione maxime dolent animæ, quæ in Purgatorio existunt.*

Non negamus tamen pœnam hanc valde mitigari propter spem certam Divini boni acquirendi, ita ut in gaudium etiam convertatur quo magis illius exilii finis propinquat, & in hoc pœnam damni, quam Animæ in Purgatorio patiuntur esse distinctam ab illa pœna damni, quam patiuntur damnati desperationi certissimæ annexæ, de qua propterea pœna agens Chrysost. Homil. 24. in Matt. *mille Gehennas nihil esse*, dixit, *in comparatione illius*: quemadmodum etiam non concedimus hanc carentiam visionis eodem modo affirmari debere de Animabus Purgatorii, & Animabus illorum justorum, qui in Limbo SS. Patrum expectabant beatam spem, & adventum gloriæ magni diei, cum certum sit nullum ex illa dolorem beatas illas Animas percepisse, *a quibus*, ut ait Augustinus in Epist. 99. ad Evodium, *secundum beatificam præsentiam Divinitatis suæ nunquam Christus recessit*: unde mirum non est si olim Pater Abraham diviti damnato loquens de Lazaro *Tu cruciaris*, dixerit, *hic vero consolatur*, siquidem Lazarus justus in Limbo non dolebat.

IV. Quæritur modo an hæc sola pœna damni sufficiat, aut aliqua alia puniendæ sint Animæ quæ in Purgatorio reperiuntur? Non esse in Purgatorio necessariam aliam pœnam ex hoc potissimum, quia maxima est pœna damni ratione tristitiæ ex ea natæ, & apprehensæ attenta inclinatione Charitatis, cum totis suis viribus Animæ in Purgatorio Deum diligant, & inspecto naturali desiderio beatitudinis, a qua sua culpa, & negligentia arcentur, aliqui Doctores scripserunt. Eo vel maxime quod multis revelationibus hæc Doctrina innitatur, quæ ostendunt aliquorum Sanctorum animas fuisse post hanc vitam detentas, ne pro aliquo tempore Deum viderent, & præterea nullam aliam pœnam passas fuisse. Hujus generis exempla leguntur apud Bedam in l. 5. Historiæ Anglicanæ, & in libro 4. Dialog. Magni Gregorii c. 36. & apud Carthusianum in Dialogo de judicio particulari c. 31. Hinc est quod aliqui historiolis his excitati asseruerunt duo esse Purgatorii loca, in quorum altero purgarentur Animæ per solam detentionem ab ingressu Patriæ, alter vero Inferno damnatorum similis esset in pœnis, excepta illarum æternitate. Contraria tamen sententia est probabilior, illa inquam sententia, quæ docet præter pœnam damni Animas pati in Purgatorio veram pœnam sensus, quæ a vero igne elementari, & corporeo producitur.

V. Primæ partis hujus Propositionis fundamentum est in Scripturæ verbis, quæ Apocal. c. 18. leguntur: *Quantum glorificavit se in deliciis, tantum detur ei tormentorum*. Non quod hæc verba principaliter, & per se de Animabus in Purgatorio existentibus sint dicta, principaliter enim dicta sunt de damnatis, sed cum aliqua proportione, quæ in hoc salvatur, quod etiam hujusmodi animæ inordinatam delectationem, & affectionem habuerunt ad Creaturam, propter quam digne aliqua pœna cognoscuntur, quæ illi delectationi opponatur, quam viventes in hoc Sæculo, lachrymis, jejuniis, aliisque satisfactionibus non expiarunt. Huic fundamento accedit etiam, quod illa tristitia, quæ oritur ex carentia Divinæ visionis non est alia pœna, sed una & eadem, utraque enim est pœna spiritualis, & una includit aliam, illamque concomitatur, non secus ac unum, & idem præmium est visio Dei, & delectatio, quæ illam consequitur, & una eademque pœna est privatio pecuniæ, & tristitia inde secuta; cum igitur pœna hæc, quæ vocatur pœna damni, & quæ ipsam consequitur tristitia, sit pœna, quæ infligitur propter aversionem animæ a Deo, quando peccavit, necessaria est alia pœna, quæ respondeat Conversioni ad Creaturam, quæ pœna extrinseca esse debet, & ut solet dici pœna sensus, sive pœna quasi corporalis, quoad modum, & instrumentum, quo fit. Insuper Theologi conveniunt pœnam Purgatoriam, attento illarum Animarum statu, cui non convenit, ut possint, sibi aliquid mereri, per passionem potius quam per actionem esse debere, nam non dicuntur satisfacere, sed satis pati, quia tunc lata jam sententia est, & solum tempus superest rigorosæ Justitiæ, & executioni pœnæ pro ut fuit per sententiam declaratæ, alioquin per serventissimum Contritionis Actum possent illæ Animæ brevissimo tempore satisfacere, & Purgatoria pœna sensus, nec utilis redderetur, nec necessaria. Propter hanc, igitur rationem colligitur hujus pœnæ sensus necessitas, & talis pœnæ, ut distinguatur a quacunque alia interna, & Spirituali pœna, quæ potest etiam in ipsis oriri ex verme Conscientiæ, nimirum ex dolore de peccatis præteritis, quia offensa Dei fuerunt, & propter proprium incommodum dilationis beatitudinis.

Sequitur hinc nullam esse rationem distinguendi duo loca Purgatorii ex quacunque caussa animæ in Purgatorium detineantur, cum quidquid purgandum habeant animæ semper supponat inordinatum affectum ad creaturas, qui aliqua pœna sensus purgandus est. Apparitiones vero illæ, quæ reponuntur neque multiplicitatem horum locorum probant, neque excludunt a Purgatorio pœnam sensus, sed vel diversos status exhibent animarum in eodem Purgatorio, vel in singulis explicatur id quod (ut in superiori capite notavimus) magis confert ad finem earumdem visionum, cum præsertim in illis narrentur aliqua quæ absolute loquendo Purgatorio non conveniunt, nimirum quod Purgatoriæ pœnæ ad unum locum spectent, & carentia visionis in alio duret usque ad finem Judicii: quod in Purgatorio maxima sit lux, quæ lucem solis excedat: & postremo quod in uno loco sint animæ illæ, quæ post mortale peccatum ad vitæ extremum pœnitentiam protraxerunt, in alio illæ reperiantur quæ cum multa bona opera egissent, mundano conspersæ pulvere ante Christi Tribunal apparuerunt. Sed nunc est dicendum de conditione hujus pœnæ sensus, quam Animæ in Purgatorio patiuntur.

VI. Igne proprie dicto animas istas torqueri Latini Patres omnes in Florentino Concilio dixerunt, de quo quidem igne Paulus ad Cor. scribens: *Uni-*

Uniuscujusque opus, ait, *quale sit ignis probabit*, & paulo infra: *ipse autem salvabitur sic tamen quasi per ignem*. Adducimur vero ut credamus hæc Apostoli verba pro Purgatorio igne accipi debere plurimis aliis auctoritatibus, præsertim vero ex verbis his: *salva me Domine, quoniam defecit Sanctus*, quæ leguntur in Psal. 11. & ex his aliis Psal. 85. & 97. *Salva servum tuum Deus meus sperantem in te*: *& Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*; & ex illis quæ Petrus timens ne mergeretur apud Matth. 14. dixit *Domine salva me*, cui Christus extendens manum accepit, & salvavit ipsum, & rursum ex his: *salva Deus populum tuum*, in quibus omnibus sententiis constat verbum *salvare* semper accipi a Scripturis in bonam partem. Non possunt ergo laudata Pauli verba accipi pro igne perpetuo, nisi hujus oppositum efficacioribus auctoritatibus demonstretur.

Unum hoc dissimulari non potest, quod quanquam Græci Patres a Sententia Latinorum in Florentino Concilio discrepaverint in explicatione Apostolicæ sententiæ, & voluerint Purgatorium non ignem esse, sed obscurum quemdam locum ac laboribus plenum, nihilominus in Ecclesia Græca aliquando invaluit hæc sententia. Origenes licet male senserit, quando docuit nullas alias pœnas nisi Purgatorias post hanc vitam superesse, impiosque omnes homines, & dæmones ipsos aliquando salutem esse consecuturos, tamen cum Latinis Patribus sensit animas esse in igne purgandas, quod pluribus in locis dixit, præcipue vero Homil. 6. in Exodum ubi ait: *sed & illuc cum convenitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tamquam plumbum igne resolvitur, & purgatur*. Eumdem Purgatorium ignem tenuit S. Basilius in cap. 9. Isaiæ, & hanc sententiam Apostolica auctoritate confirmavit: *Si igitur per confessionem*, inquit, *detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum plane quod depascatur, ac devoret Purgatorius ignis*: & paulo infra: *Non omnimodam internitionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam: ipse autem salvus erit quasi per ignem*. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 39. in Sancta Lumina exhibet tres purgationes, primam per Baptismum, alteram per Pœnitentiam, tertiam per Ignem post obitum subeundam difficiliorem, & molestiorem: *In altero ævo*, inquit, *igni fortasse baptizabuntur, qui postremus est baptismus non solum acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit*. S. Gregorius Nyssenus in Oratione de Mortuis *illos*, inquit, *per expurgantis ignis fornacem expiatos ad sempiternam felicitatem pervenire*; & S. Cyrillus Alexandrinus l. 10. in Jo. c. 14. agens de palmitibus, qui manent in vite, & indigent Purgatione: *Beatum*, inquit, *cum Propheta* Ps. 39. *virum quem Dominus in hac vita corripuerit, & de lege sua eum docuerit, ut mitiget ei a diebus malis idest Purgatorii*: *Dies enim certe nefasti ac pravi recisis palmitibus illi sunt, in quibus in ignem æternum mittuntur, quando correctis & castigatis mitem se reddit Deus, non enim absolute tales damnantur, quoniam non omnino infructuosi palmites fuerunt*. Defendunt eumdem Purgatorium ignem Eusebius Emissenus Homil. 3. de Epiphan. Theodoretus in Schol. Græcis in 1. Cor. 3. & Æcumenius in eundem locum. Rem eandem confirmat Sacrum Græcorum Officium, cujus verba, quæ in Paracletica, Sabbato in Defunctos canuntur in superiori cap. 4. recensuimus, quibus omnibus monumentis hæc alia temporum recentiorum addere possumus, quæ pe-

tun-

cuntur ex iis, quæ Gabriel Philadelphienſis ſcripſit agens de Purgatorio ibi enim inter cetera ait: *Placet mihi ſententia nonnullorum Doctorum Occidentalis Eccleſiæ, qui aſſerunt ignem æternum illum eſſe, in quem animæ immiſſæ puniuntur ad tempus, ſui natura æternum, ſic a Deo factum, dici vero temporarium, non ſui natura, ſed ob animas, quæ liberantur, propter eas vero, quæ in illo abſque ullo fine cruciantur, æternum, & perpetuum*. Manuel etiam Caleca in lib. 4. adverſus Græcos ſic ait: *inter beatitudinem, & æternum cruciatum tertius locus relinquitur in quo minora peccata purgantur. Eum vero locum ignem eſſe ajunt, non eum, qui ante faciem Chriſti in ejus revelatione, ut ait Daniel, præcedit, & quem Gebennæ ignem Scriptura vocat (bis enim qui in illum ſemel merguntur, nulla eſt emergendi ſpes) ſed alius ignis, quem Purgatorium dicunt, quod in eo delicta purgantur, ac velut in fornace, qui in illam mittuntur mundantur, iſtudque ante judicium extremum. Poſt hac enim nullus qui mundetur erit, unoquoque proprium ſibi locum æterne vindicaturo*. Conſtat ergo ex his omnibus plures ex Græcis Patribus in Latinorum ſententiam de Purgatorio igne conſpiraſſe, & huic eorum oppinioni Apoſtolicam Sententiam anſam & fundamentum præbuiſſe.

VII. Illud ſolum notari poteſt in his Scriptoribus aliquos hunc ignem dixiſſe æternum, quod eodem igne purgari electos crederent quo cremantur damnati, quam opinionem revera, ut Philadelphienſis, ait nonnulli Occidentalis Eccleſiæ Doctores tenuerunt, & inter cæteros Auguſtinus, & Magnus Gregorius, & D. Thomas in Supl. q. 69. cap. 8. ſed quod hoc dixerint parum refert, quia ſtatim addiderunt locum habere multas, & varias manſiones, & multa tormentorum genera, quæ diverſitati peccatorum reſponderent, & nunquam dixerunt juſtorum animas in his manſionibus puniri pœna æterna, ſed *donec purgentur*, ex quibus loquendi modis perſpicuum fit ſingulis his Auctoribus eamdem fuiſſe de Purgatorio fidem, & ſolum de nomine quæſtionem inter ipſos agitari.

VIII. Notari ulterius poteſt, quod dum Nazianzenus ſcribit *in altero ævo igni fortaſſe baptizabuntur*, non inferri debet ipſum de veritate hujus ignis dubitaſſe, ſed quia ibi ſcribebat de hæreticis, qui reſcipiſcere noluiſſent, quibus certe ille ignis non profuiſſet. Illud etiam notare oportet quod Nyſſenus ſcribit in Oratione de infantibus, qui præmature arripiantur dum inquit: *Subibit actæ vitæ judicium, accipiet pro merito reſtitutionem, & compenſationem, vel igni purgata juxto Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata* cum non ita facile intelligi poſſit, quem Evangelii locum indicet, quoniam nullibi in Evangelio legatur animas igne purgatas meritorum reſtitutionem eſſe accepturas, quapropter cum Doctiſſimo Salmerone aliiſque arbitramur *Evangelii Nomen* in hoc loco Nyſſenum uſurpaſſe pro toto teſtamento, quod inuſitatum non eſt.

IX. Neque vero quis arbitretur hanc opinionem de igne Purgatorio a Latinis Patribus tunc primum fuiſſe excitatam cum Florentino Concilio interfuerunt. Antiquiſſima hujus fidei teſtimonia ſuppeditarunt Ambroſius Sermone 20. in Pſ. 118. Auguſtinus Homil. 16. ex libro 50. Homil. Hieronymus in fine Commentarii in Iſaiam, & Gregorius in Pſalmum tertium Pœnitentialem in ipſo initio. *Quædam peccata eſſe Purgatorio igne purganda* ſcripſit Iſidorus in l. 1. de Divin. Offic. c. 18. idemque ſcripſit Beda in Pſ. 37. *Purgatoriis ignibus ſi graviter peccanti levior pœnitentia a manſueto, vel a*

diffi-

dissimulante dictatur, perficiendum esse quidquid hic minus fecerimus, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus in Sermone 2. de S. Andræa docuit Petrus Damianus. Eundem ignem credendum esse inquit Anselmus in 1. ad Cor. 3. & Lactantius l. 7. c. 21. & Hillarius, qui in illud Psalmi 118. *Concupivit anima desiderare judicia justitiæ tuæ* scripsit. *Nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt graviora illa expianda a peccatis animæ supplicia.* Igitur ex his testimoniis probatur Orientalem, & Occidentalem Ecclesiam per plura Sæcula in eamdem descendisse sententiam ante Florentinum Concilium.

X. Quid vero utraque Ecclesia, aut utriusque Ecclesiæ Doctores crediderint de natura, & qualitatibus hujus ignis, non est difficile cognoscere, nam si Græci Patres supra laudati dixerunt hunc ignem *resolvere*, *depasci*, *devorare*, *consumere*, si Patres Latini voluerunt ignem hunc *urere*, *exurere*, *comburere*, singuli in hoc convenerunt ut crederent hunc ignem ejusdem esse speciei cum nostro elementari, quia iidem effectus utrique attribuuntur. Id patentibus verbis scripsit Gregorius in lib. 4. Dialog. cap. 29. & Augustinus in l. 2. de Civit. c. 10. & patet a simili de tartareo igne, quem ex eorumdem Patrum testimonio scimus esse corporeum, & ita credere ratio cogit propter hanc regulam Theologorum, quod verba Scripturarum proprie accipienda sunt quando non sequitur absurdum, quod nullum est in hoc casu attenta Divina voluntate; occultum certe, nobisque incognitum est in hac vita quomodo corporeus ignis in animam incorpoream agat, sed licet non sciamus, fieri tamen posse hac ratione docuit Augustinus in loco supra citato: *Si spiritus*, inquit, *hominum etiam ipsi incorporei nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari. Adhærebunt ergo animæ, licet incorporeæ ignibus cruciandæ, non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum juncturis inspirentur, & animalia fiant, sed miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam, quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino minus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipso homo est.* Alligatione, aut qualitate ab igne impressa, aut apprehensione torqueri ab igne animas Theologi Scholastici defendunt, sed Fideles nesciunt. Hoc tamen certum est omnibus ignem Purgatorii non eo modo agere in animas quo noster ignis agit in corpora, neque animas purgandas Purgarorio igni uniri hypostaticæ, ut recentior Theologus saltem quoad Diabolum, sibi temere defendendum assumpserat. Nec facit pro contraria sententia, quod Augustinus in 12. super Genesim ad litter. cap. 32. scribat: *Non sunt corporalia, sed corporalibus similia, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu male.* Ad hæc enim respondet D. Thom. Supl. q. 70. a. 3. ad 1. quod Augustinus in hoc loco loquitur *inquirendo, unde alium modum ponit determinando* in l. 21. de Civit. cap. 29. *cum dicit, quod sicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam (quamvis illud sit spirituale, & hoc corporale) & ex illa conjunctione vehementer concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, ut accipiens ab eo pœnam, & ex illa conjunctione concipit horrorem, & cruciatur quod ignem ut sibi nocivum videat.* Modus igitur quo ignis agit in animam juxta D. Thomam non est *per modum influentis sed per modum detinentis*, & ex hoc sequitur quod ignis non recipitur in anima, neque illius actio animam in ip-

sum

ſum tranſmutat, quod fit quando illa quæ agunt, & patiuntur ad invicem in materia conveniunt.

XI. Quod ſi quis addat Auguſtinum non ſibi ſemper conſtitiſſe, quod in cap. 26. lib. 21. de Civit. non *redargnat Purgatorium ignem allegorice explicari per tranſitoriam tribulationem*. Dico 1. hanc explicationem non repugnare: eſt enim de ratione ignis Purgatorii, quod ſit tribulatio tranſitoria, in quo diſtinguitur ab igne Tartareo, qui *ſuccenſus in furore Dei ardebit uſque ad inferni noviſſima*, ut legitur Deuter. 32. Sed dico etiam 2. hæc verba Auguſtinum non protuliſſe, ut explicaret naturam ignis Purgatorii, ſed ut quæreret qualitatem illarum pœnarum, quas ſentiunt illi, qui pereuntia bona dilexerunt, uxores, filios, parentes &c. quæ bona ad imitationem Apoſtoli vocat ligna, fœnum, & ſtipulam, an ſcilicet hi per has culpas igne puniantur, an potius poſt hanc vitam adhuc remaneant in anima ſeparata reliquiæ talium affectionum actualium, quæ purgari debeant tribulationibus, & moleſtiis illis, quas anima ipſa paſſa fuerat in hac vita, quod non eſſe incredibile, poſſet aliquis dicere attento appetitu illo, qui in eadem anima ſeparata ſupereſt, ut rurſum ſuo corpori conjugatur, qui poteſt conſiderari veluti cauſſa harum paſſionum, dum talium voluptatum anima recordatur, quas in corpore anima percepit, & per organa corporea. Verum cum modus iſte non ita facilis explicatu ſit, ideo Auguſtinus non ait hoc verum eſſe, ſed dixit *non redarguo, quia forſitan verum eſt, quod tantum eas urat dolor, quantum hæſerat amor*. Auguſtini verba ita leguntur in loco citato. *Poſt iſtius ſane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis, & remunerationis ultimus dies. Si hoc temporis intervallo Spiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiunt illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fœnum, & ſtipula comburantur; alii vero ſentiant, qui ejuſmodi ſecum ædificia portaverunt, ſive ibi tantum, ſive hic, & ibi, ſive ideo hic, ut non ibi ſæcularia, quamvis a damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſitan verum eſt.* Quæ ſententia aliena non eſt ab altera, quam ſcripſit in libro de octo quæſtionibus Dulcii q. 1. ubi ait: *Sive ergo in hac vita tantum homines iſta patiantur, ſive etiam poſt hanc vitam talia quædam judicia ſubſequantur, non abhorret quantum arbitror a ratione veritatis iſte intellectus hujus Sententiæ*, ideſt loci Apoſtolici expoſitio 1. ad Corintios 3. de quo uberius agit in hac citata quæſtione.

XII. Ad accerbitatem hujus pœnæ quod attinet, dicimus hanc omni tribulatione præſenti eſſe intollerabiliorem. Id docuit S. Gregorius in Pſalmo 3. Pœnitentiali, idemque docuerat ante ipſum Auguſtinus in Pſalmo 37 aliiſque in locis, & poſtea ceteri docuerunt communiter, Beda, Anſelmus, Cæſarius, Hillarius, Bernardus, & alii qui nulla eſſe Martyrum ſupplicia in comparatione illius, nullas eſſe a legibus inflictas contra Latrones pœnas dixerunt, ſi cum Purgatoriis ignibus conferantur, de quibus minimum majus eſt, quam maximum, quod in hac vita excogitari poteſt. Tantam pœnæ accerbitatem naturalis etiam ratio probat petita ex ordinatione Divinæ juſtitiæ, & ex conditione Divinæ offenſionis, quanquam minimæ, quæ quia in ratione mali moralis temporalium quorumcunque malorum graviſſimum eſt, ideo pœnam meretur graviorem: hinc juſtitia Dei per ignem ſe exerens, ignem hunc excitat,

tat, & quasi naturali quodam Zelo divini honoris accensum acerrime punientem irrogatas Deo offensas vehementer urget miris, sed veris modis, unde verisimile redditur quamcumque animam in Purgatorin existentem optare potius sustinuisse quascumque hujus vitæ pœnas, quam in illis quibuscumque, & qualicumque tempore detineri. Inverisimile quoque non est hanc pœnam ignis remitti posse, quo magis anima propinquat ad Coronam. Hoc S. Malachias intellexit ex apparitione suæ Sororis defunctæ, quæ oranti sibi visa est primo in veste nigra, & extra Ecclesiam, secundo in veste subfusca, & intra limen Ecclesiæ, tertio in veste alba, & ad ipsum Altare cum ceteris Sanctis, idemque agnoverunt alii, ex aliis Revelationibus, in quibus animæ nonnullæ apparuerunt apud Bedam libro 5. historiæ capite 13. in locis amœnis, & lucidis.

§. II. *Purgatoriæ Pœnæ nulla sunt futura, nisi ante illud ultimum, tremendumque Judicium.*

XIII. Propositionem hanc docet Augustinus in cap. 16. libri 21. de Civit. Dei, & nonnullis erroribus refellendis valde est opportuna. Antiquissimus est error Origenis, quem aperit in homil. 14. in Lucam his verbis: *Ego puto, quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Hic error igitur potissimum ab Augustino refellitur, sed neque Origenes ipse illum tueri potest sine contradictionis nota, cum in libro 4. contra Celsum scribat: *non negamus lustratorium ignem absumpturum una cum ipso mundo universam malitiam.* Si hoc in loco vera dixerit Origenes, quomodo hæ duæ Sententiæ conciliari poterunt, & statui infœlices has purgatorias pœnas esse duraturas ultra diem judicii, hoc enim sequitur ex prima illius sententia, cum sciant omnes mundi conflagrationem præcessuram esse mortuorum resurrectionem, & Dei judicium, dicente scriptura Psal. 96. *ignis ante ipsum præcedet*, quemadmodum alio in loco agens eadem Scriptura de resurrectione mortuorum, ait, *quod omnes salvandi resurgent in gloria impassibiles, & immortales. Seminatur corpus animale*, inquit Apostolus 1. Ad Cor. 15. *surget spirituale: seminatur in corruptione surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate surget in gloria*, & quod magis mirum est, cum Origenes ipse hunc locum perpendens in eadem citata homilia 14. in Lucam ante citata superiora verba dixisset: *piaculum esse maximum cogitare corpus resurgens esse sordidum, vel pollutum, aut purgatione indigens.* Hinc est, quod nonnulli crediderunt suppostitium, vel mendosum esse, quod paullo inferius legitur, *indigere nos post resurrectionem Sacramento purgante, ac si nemo purus omnino resurgeret.* Ceterum quidquid sit de Origenis Sententia, illud pro certo habemus, quod Augustinus docuit, & quod ratio ipsa verum esse demonstrat, quæ nititur in supremis Christi Judicis verbis apud Matth. 25. *Venite Benedicti &c. Ite Maledicti in ignem æternum*, per quæ Judicati omnes homines, vel in æternam Beatitudinem recipiuntur, vel in Gehennam non amplius egressuri relegantur. Fuit certe corpus Animæ instrumentum, quando ipsa peccavit: ergo ne oportebit ipsum cruciari postquam per satispassionem perfectam peccatorum quorumcunque maculas absterserit anima, & pœnæ reatum omnem solvit? Virtus instrumenti non est, si perfectum exurgat opus, sed principalis

lis agentis; ejusdem igitur, & defectus, & vitium erit præsertim quia solo libero suæ voluntatis arbitrio operatur, & quia in ejus sola voluntate vera, ac formalis ratio peccati existit. Accedit etiam, quod quidquid doloris, & passionis in humano corpore est, totum in anima est, quæ flagellatur in corpore, castigatur, atque conteritur: unde importunum, & haud satis aptum satisfaciendo corpus esse cognoscitur, quod si aliquo modo deliquisse dicendum est, materialiter tantum peccavit, & hujus peccati occasione multum est, & maximum id, quod illi moriente homine accidit, dum solvitur, dum putrescit, & dum in cineres totum redigitur.

XIV. Secundus error, qui refellitur Lutherum habet auctorem, qui in libro de Abroganda Missa privata asseruit solum in vita, & in morte esse Purgatorium: *horror enim*, inquit, *& pœna mortis purgat, si quid purgandum supersit*. Brevissima itaque juxta Lutherum est Purgatorii duratio, sed non admittenda hæc Lutheri cogitatio est, quæ falsis principiis, falsisque conjecturis innititur. Primo Lutherus innititur in conditione illarum rerum, quæ homini supersunt in Purgatorio eluendæ, quas ipse vocat *Peccatorum reliquias dolore mortis purgandas ab iis, qui fideles decedunt*. Si Lutherus inspexisset ad ea, quæ sub reliquiis Peccatorum venire possunt suum errorem facile correxisset, cum sive hæ peccatorum Reliquiæ sint Peccati fomes, vel sint mali habitus contracti, sive sint peccata venialia, aperte ostendatur locum non superesse Luthero, quomodo primo probet hæc omnia subjici Purgatoriis pœnis, deinde vero quomodo ostendat tam brevissimo tempore tolli. Primum patet tum in pueris baptizatis, qui propter fomitem, qui per Baptismum non tollitur, purgatoriis pœnis non subjiciuntur, quod inter alios tradidit Augustinus in loco in propositione citato, tum in adultis, qui cum antea infideles essent, gravissimisque addicti peccatis, & consequenter plurimis malis habitibus onusti Baptismum suscipiunt, & post Baptismum susceptum statim moriuntur, vel pro Christo occiduntur, quos non esse igne probandos certissimum est, & Cyprianus libro 4. Epist. 2. clare docet eorum peccata omnia esse in passione purgata, & pro illis orare injuriam esse dicit Augustinus in Sermone 17. de Verbis Apostoli, cum nos debeamus potius eorum Orationibus commendari.

Alterum vero dum Lutherus dicit non asserit illud, quod absolute verum est; licet enim in statu separationis animæ a corpore possit anima per actum contrarium, quem tunc eliciat vehementissimum, hujusmodi habitus tollere, & fomitem amittere, cum tunc sensualitas omnis extinguatur; imò possint etiam in hoc eodem primo instanti peccata venialia tolli per ferventem dilectionem, & animæ contritionem, cum in illo momento optime statum suum cognoscat, & sit expedita ad operandum, & ex parte Dei habeat auxilium efficacissimum juxta mensuram suæ gratiæ, & ipsa statim sine mora operetur, & perfecte tendat in Deum, & avertatur ab omnibus venialibus, ut sentit D. Thomas in q. 7. de Malo a. 11. tamen in illo instanti nullam Purgatorii pœnam remitti ex vi illius contritionis ex eo probari potest, quod cum in instanti mortis extrinseca finiatur hæc vita, & intrinsece incipiat alia, in illo jam non habet locum modus satisfaciendi hujus vitæ, qui est per proprios actus, sed intrinsece incipit satispassio per purgatorium ignem; siquidem ad satisfaciendum per nostros actus Deus tantum statuit hujus vitæ tempus, & reliquit futuræ vitæ tempus ad sustinendam con-

condignam pœnam ignis. Quod si hæc ratio insufficiens credatur, inverisimilis non erit hæc altera, quæ in eo fundatur, quod quandoque, imò plerumque contingit: quod scilicet aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito peccandi venialiter occupantur somno, vel aliqua passione auferente usum rationis, & præveniuntur morte antequam possint habere usum rationis, quibus manifestum est, quod in hac vita, & in instanti separationis animæ a corpore peccata venialia non dimittuntur, & multo minus illis dimittitur pœnæ temporalis reatus, cum in hac hypothesi mors ipsa remaneat pœna peccati originalis, quam pœnam cum omnes homines luant, hæc non potest accipi tanquam pœna actualium peccatorum, pro quibus necesse est quod alia inveniatur: Deinde ipsa mors secundum se est aliquid naturale, & necessarium. Per naturalia autem mereri nullus potest, nisi id fiat ratione voluntarii actus concomitantis, qui actus in hac suppositione subitaneæ, & repentinæ mortis non reperitur. Quod si concesserimus actum hunc adesse, concedendum etiam esset, quod aliquid inveniretur, ex quo veluti ex certo fundamento innotesceret, quod debita per peccata contracta, eidem æquivalerent dispositioni, cum qua læti mortem suscipimus, & propter hoc lex generalis esse non potest, quod tota purgatoria pœna cesset in morte, ideoque præter mortem nullum aliud Purgatorium post eamdem remaneat.

XV. Colligitur ex his Purgatorium ultra mortem esse protrahendum. Quanto vero tempore unaquæque anima purgari debeat definiri non potest, & si aliquis Theologus hoc definivit, gravi censura illius Sententia notata est; quare communiter refellitur Soti Sententia, qui in 4. dist. 19. q. 3. a. 2. in fine dixit, *neminem ultra decennium in Purgatorium detineri*; neque audiuntur ii, qui animas omnes *usque ad diem judicii* in Purgatorio manere volunt, nisi per Ecclesiæ intercessiones citius liberentur. Argumenta, quibus utraque hæc opinio innititur simplices conjecturæ sunt, consequenter plurimi illas facere nec juvat, nec decet. Hoc unum dici potest non repugnare inæqualem in Purgatoriis pœnis durationem hac constantissima lege dimetiendam, quam Augustinus in libro 50. homiliarum tradidit in 16. *Quanto magis minusve transeuntia dilexerunt, tanto brevius, tardiusque salvabuntur, nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora*. Quod si Ecclesia pro defunctis particularibus Anniversaria celebrat, etiamsi constet eos ante centum, vel bis centum annos esse mortuos, hoc permittit, tum quia judicia Dei occulta sunt illi, tum etiam quia ii, qui hujusmodi Suffragia præceperunt, non propter suam utilitatem tantum hoc præstiterunt, sed ut aliis etiam, quando ipsi non indiguissent, prodessent.

XVI. Ad hæc, Divinæ justitiæ videtur incongruum, quod Sanctissimæ Animæ propter levissimam culpam vel reatum, tempore tam longissimo extra beatitudinem detineantur: nec valet paritas in animabus damnatorum perpetuo detinendis in infernum, etiamsi inæqualitas in eisdem sit peccatorum secundum mensuram justitiæ commutativæ, nam quod in illis substantiale est, in omnibus æquale est, scilicet æqualis est in omnibus aversio a Deo, & ideo etiam in æternitate pœnæ, quæ huic aversioni correspondet, æquales sunt. Justorum vero animæ, quæ in Purgatorio detinentur, quia in fundamento pœnæ æquales non sunt, ideo neque in duratione debent earum pœnæ æquales esse.

XVII. An vero interim dum plectuntur Animæ Purgatorio igne possint inde exire, res est Patribus, & Theologis non omninò certa. Pro negativa Sententia stant Tertullianus in lib. de Anima cap. 17. circa finem, Chrysostomus homil. 29. in Matth. Athanasius quæst. 11. ad Antioch. plerique alii, non certe quia anima separata a corpore nequeat virtute sua moveri localiter, sed ex lege Divinæ justitiæ, quæ in Purgatorio animas voluntariæ detinet, quia se Divinæ voluntati submittunt. Oppositum alii tuentur. Sed ne difficultatibus, quæ hic possent obrepere locus relinquatur, clarius explicandum est quid sit Animas egredi a suis receptaculis. Status itaque hujus quæstionis supponit Animas suis locis addictas esse, nimirum Cœlo, Inferno, Purgatorio, & Limbo. Sit igitur

§. III. *Fieri non potest, ut Animæ, vel de Paradiso, vel de Inferno ita exeant, ut jam locus earum non sit Paradisus, vel Infernus. Ad tempus vero inde egredi possunt.*

XVIII. Prima pars hujus propositionis fundamentum habet in certitudine, quam animarum Sanctarum status includit de felicitate non amittenda, illarum vero, quæ damnatæ sunt in certitudine quod in supplicium æternum destinentur. Error fuit Origenis, quod Dæmones quandoque, impiorumque Animæ per Dei Misericordiam liberandæ essent a pœnis contra Scripturæ auctoritatem, quæ habetur Apocal. 20. *Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & Bestia, & Pseudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Illud etiam huic errori peculiare fuit, quod ut notat D. Thomas in Supplem. q. 100. a. 2. *ex una parte Dei misericordiam nimis extendebat, & alia parte nimis eam coarctabat. Ejusdem enim rationis esse videtur bonos Angelos in æterna beatitudine permanere, & malos Angelos in æternum puniri: unde sicut ponebat Dæmones, & animas damnatorum quandoque a pœna liberandas, ita ponebat Angelos & Animas beatorum quandoque a beatitudine in hujus vitæ miseriam devolvendas*; quare jure ac merito ab Ecclesia reprobatus est hic error, cui certo constat quod nulla hominum, aut dæmonum pœna per Divinam misericordiam terminabitur, nec contrarium doceri a Scriptura, & a Patribus, cum verba Sapientiæ 11. *Misereris omnium Domine, quoniam omnia potes*, & ad Roman. 11. *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur*, & ea quæ scribit Anselmus in libro Cur Deus homo: *non est justum ut Deus Creaturam, quam fecit ad beatitudinem omninò perire sinat*, nihil aliud significent quam quod Deus, quantum in ipso est miseretur omnium, qui se Divinæ misericordiæ non fecerunt indignos, sicut dæmones, & damnati, qui sunt in malitia obstinati, nisi etiam dicendum sit, quod verba quæ citantur ex Apostolo accipi debeant pro hominibus, qui sunt in statu viæ, quorum omnium Deus miseretur, sed non docere Apostolum neminem in singulari non posse perire, qui remediis abutatur opportunis ad Consequendam salutem, cum Apostolus in eadem Epistola c. 8. comminetur mortem iis, qui secundum carnem vivent, & Matth. 12. dicatur: *qui dixerit contra Spiritum Sanctum verbum, non remittetur ei neque in futuro*; & quia hoc non raro accidit, hinc est quod nihil prohibet quin aliqui, vel ex hominibus, vel ex Angelis, qui

qui ad beatitudinem facti fuerant, ut dicebat Anselmus in æternum perierint, quia Divinæ voluntatis intentio impletur in aliis, qui salvantur.

Quod dixi de aliquibus hominibus verum est etiam contra sententiam illorum, de quibus Augustinus in lib. 21. de Civit. cap. 17. & 18. dicit: *quidam in hoc ab errore Origenis declinaverunt, qui dæmones posuerunt in perpetuum puniri, sed omnes homines quandoque liberari a pœna, etiam infideles*, quia ut Damascenus ait in lib. 2. de fide Orthod. c. 4. *hoc est hominibus mors, quod est Angelis casus*, & sic reproborum supplicium nunquam terminabitur; unde Ecclesia non solum pro his non orat, sed & orare prohibet, quia certa est illos non posse ullo modo salvari, neque ex privilegio. Nec juvat reponere pertinere ad Prophetiam comminationis, quod Deus prædixit de pœna æterna damnatorum, quæ hoc sibi arrogat, ut non semper impleatur, nam optime ad hoc respondet S. Thomas loco cit. a. 3. ad 3. *quod Prophetia comminatoria pœnæ tunc solum immutatur quando variantur merita ejus, in quem comminatio facta est*, unde Jer. 18. dicitur: *Repente loquar adversum gentes, & adversus regnum ut eradicem, & destruam, & disperdam illud: si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Unde cum damnatorum merita mutari non possint, comminatio pœnæ semper in eis implebitur.*

Nec favet etiam huic errori illud, quod Glossa dicit super illud Isaiæ 14. *Tu autem projectus es &c. Etsi omnes animæ aliquando habebunt requiem, tu nunquam*, cum Glossa ibi non loquatur simpliciter, sed ut idem S. Doctor ait *sub hypothesi impossibili ad exagerandam magnitudinem peccati ipsius Diaboli.*

Posset demum objici novum non esse in historiis mortuos nonnullos resurrexisse: sed dicendum est quod si aliqui sancti Viri resurrexerunt, hoc contigit ante eorum in Cœlos coronationem, quam Deus distulit, conscius quid ipse fuisset facturus; & idem statuimus dicendum, si audiverimus ex inferno aliquos fuisse advocatos, ut iterum in mundo viverent; hujusmodi scilicet damnandorum animas secundum præsentem justitiam fuisse punitas, sed eorum sententiam fuisse suspensam.

XIX. Quamquam vero secundum legem naturæ, vel secundum naturalem cursum animæ separatæ propriis receptaculis deputatæ a conversatione viventium penitus segregentur, non repugnat tamen secundum dispositionem Divinæ potentiæ, quod aliquando a suis receptaculis ad tempus egrediantur, & conspectibus hominum præsententur. Authenticum hujus doctrinæ testimonium utriusque testamenti historia suppeditat. Primum legitur in 1. Reg. c. 28. ubi Samuelis anima Sauli adparuit: Alterum in cap 17. Matth. ubi Moyses in Monte Thabor apparuit cum Elia quibus testimoniis Augustinus innixus, ita in libro de Cura pro mortuis gerenda c. 15. nostram Conclusionem confirmat. *Mitti ad vivos aliquos ex mortuis, sicut e contrario Paulus ex vivis in Paradisum raptus est Divina Scriptura testatur. Nam Samuel Profeta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit: quamvis nonnulli non ipsum fuisse, qui posuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse: Cum liber Ecclesiasticus, quem Jesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed si*

huic

huic libro ab Hebræis (quia in eorum non est Canone) contradicitur: quid de Moyse dicturi sumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus? Subscribit Augustino S. Thomas 1. p. q.89. a.8. ad 2. sed utrisque præiverant S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone p. 333. Origenes in Commentariis in eumdem locum Regum, & Ambrosius in 1. caput S. Lucæ, quibus post Augustinum plurimi alii, & Patres, & Ecclesiastici Scriptores adhæserunt, sustinentes verum Samuelem Sauli visum, ipsi futuram cladem prædixisse, non tamen magicis Pythonissæ artibus evocatam fuisse Prophetæ animam, sed Dei voluntate, & imperio, quod ultimum probabilius esse censemus, utpote non alienum a sententia veterum Patrum, videlicet S. Peonii Presbyteri, & Martyris apud Simeonem Metaphrastem in ejus vita, Tertulliani libro de Anima c. 57. Eustathii Antiocheni Episcopi in Dissertatione de Engastrimytho contra Origenem, Basilii Magni in c. 8. Isaiæ, Gregorii Nysseni Epistola ad Theodos. Episcopum, Hieronymi variis in locis, Cyrilli Alexandrini l.6. de adorat. in spiritu, & veritate, Theodoreti, Philastrii, Procopi Gazei, Anastasii Sinaitæ, aliorumque qui hoc præcipue fundamento innituntur, quod Dæmon nullam animam hominum, præsertim Sanctorum, evocandi potestatem habeat, quanquam id non probet Augustinus in lib. 2. de diversis quæstionibus quæst. 4. ubi variis allatis exemplis. *Non est absurdum*, ait, *credere ex aliqua dispensatione Divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante, atque subjugante magica potentia: sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam, & Saulem latebat consentiret spiritus Prophetæ Sancti ostendi se adspectibus Regis divina eum sententia percussurus*, multo magis, ut advertit S. Thomas 2. 2. q.174. a. 5. ad 4. *quod Samuel nondum pervenerat ad statum Beatitudinis*, in quo casu eadem ratio non valuisset; quia Dæmones animam alicujus Sancti, qui in Patria sit evocare non possunt, neque ad aliquid agendum cogere. Vero autem, ac suo corpore Moysem, & Eliam in fidem Resurrectionis, & Christi, & nostræ eos apparuisse credibilius est, quia hæc corpora videri possunt a Deo in hunc usum asservata. Nam Eliæ corpus in superna raptum est, Mosis autem corpus non inventum, & custoditum Angelico ministerio ne perveniret in potestatem Diaboli habentis mortis imperium, ut Scriptura ad Hebræos loquitur 11, quem Angelum mortis Hebræi vocant, & cujus imperio, ajunt, corpus in pulverem dissolvi, quod ut recte intellectum a vero non abit, ita ab illis magno fabularum cumulo involvitur.

XX. Quod Scriptura commemorat de Samuele, & Moyse, de aliis dubitare non sinunt Ecclesiasticarum rerum Scriptores, apud quos exempla certissima sunt regressus animarum ex earum receptaculis, præterquam ex Lymbo puerorum, sicut Augustinus in libro supra cit. de Cura pro mortuis narrat de Felice Martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit cum a Barbaris oppugnarentur, huc spectant illa quæ referuntur a VII. Synodo in Act.4. illa etiam, quæ a Theodoreto l.5. histor. c.24. narrantur, & ea quæ scribit Nicephorus in l. 2. c.39. huc etiam spectant illa quæ a S. Gregorio scribuntur in cap. 40. & 55. libri 4. Dialogi, ut credi possit quod aliquando damnatis contingat quod ad eruditionem hominum, & terrorem permittantur viventibus apparere, aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in Purgatorio detinentur. Nec obest quod in cap. 7. libri Job. legatur,

qui

qui descenderit ad inferos non ascendet, cum hæc auctoritas loquatur quantum ad hoc quod nullus egreditur de inferno simpliciter, & non quod aliquis egrediatur ad tempus. Hoc solum discrimen inter Sanctos, & damnatos intercedere D. Thomas observat in Supplem. q. 69. a. 3. *quod Sancti cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem damnati, sicut enim Sancti viventes in carne per dona gratiæ gratis datæ accipiunt ut sanitates, & signa perficiant, quæ nonnisi divina virtute mirabiliter fiunt (quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt) ita etiam non est inconveniens, ut ex virtute gloriæ aliqua potentia animabus Sanctorum detur per quam possint mirabiliter apparere viventibus cum volunt, quod alii non possunt nisi interdum permissi*. Illud etiam observandum est non adversari huic sententiæ quod communiter dicitur, Receptacula post mortem dari animabus vel in præmium, vel in pœnam, quasi nimirum præmia Sanctis, & pœnæ damnatis minuerentur si de suis receptaculis exirent, cum certum sit quod quando hæc dispensatio fit, præmium, & pœna non interrumpitur, etenim cum secundum hoc locus animæ cedat in præmium, vel pœnam, quod anima ipsa afficiatur ex hoc quod tali loco deputetur, vel gaudendo, vel dolendo, gaudium hoc, vel hic dolor maneat in anima etiam quando extra prædicta loca versatur, ut patet, a simili in Dæmonibus illis qui licet non fint in abyssum demersi, & in aere hoc nostro caliginoso versentur ad hominum exercitationem nihilominus tamen omnes jam nunc puniuntur, tam pœna damni, quam pœna sensus; *quocumque Dæmones volitent*, inquit Beda in Commentar. c. 13. Epist. S. Jacobi *ii ubique suam Gehennam circumferunt*.

XXI. Postremo cum eodem Angelico Præceptore observandum est non semper credendum esse his apparitionibus, quæ sæpe fiunt vel in dormiendo vel in vigilando operatione bonorum, vel malorum spirituum ad instructionem, vel deceptionem viventium, sicut etiam vivi homines quandoque aliis apparent, & eis multa dicunt in somnis, cum tamen constet eos non esse præsentes: Cavendum tamen est ne dum fictitias refellimus apparitiones præconcepta aliqua opinione nullas probemus, quod hæretici faciunt, qui apparitiones omnes animarum rident tamquam Dæmonum illusiones. Cavendum etiam est ab illorum errore, qui revocationem animarum a Purgatorio fieri posse negant, quod certæ de sua salute per resurrectionem fierent incertæ: communis enim sententia est, vel in Purgatorio, vel in Lymbo Patrum fuisse illorum animas qui Eliæ, Elisei, Christi Domini, Petri, Pauli, aliorumque Sanctorum precibus surrexerunt, nec sine fidei injuria dici potest illos non fuisse vere mortuos, ut patet consulenti Scripturas Reg. 1. 17. & IV. 4. 13. Marc. 2. Lucæ 7. Joan. 11. Act. 9. & 10. Ne itaque de illorum futura beata sorte timeamus, docet Abulensis quæst. 57. in l. 4. Reg. Animas hujusmodi in gratia confirmari, ne imposterum pereant, quod non est dicendum in casu quo quis ab Inferno damnatorum excitaretur, nam fieri posset quod in eumdem locum talis rediret, tum si præteritorum peccatorum non pœniteret, tum si ab aliis perpetrandis non abstineret, sed ut supra dicebam casus hic impossibilis habetur ne impiorum damnatio incerta fiat, ne iidem damnati sperare salutem possint, aut alicui liceat pro eorumdem salute orare, quod enim Christus suæ passionis virtute non est consecutus cum descendit ad Inferos, quis fingere poterit alicujus sancti Viri gemitum

posse

posse obtinere, ex quo sequitur Apochryphum esse Scriptum, quod ex Codice Vaticano profertur nomine Joannis, & Petri Diaconorum, S. Gregorio attributum, quo testari finguntur hunc S. Pontificem pro Trajani liberatione orasse, eamdemque impetrasse. Sed quid hoc Scriptum commemoro? Certe eliminandum omnino est, vel quod præter morem S. Gregorium vocat *Divum*, vel quod Cardinales Episcopis anteponat contra illius temporis disciplinam, & S. Gregorio impiam, & supervacaneam orationem affingat. Commemorandos, & refellendos etiam censeo singulos illos Auctores, qui arbitrati sunt se in hoc facto narrasse plenam veritatis historiam cum temere in illa plurima esse dicta facile demonstretur. Atque illud in primis opus S. Gregorio attributum perperam quilibet statim intelligit qui argumenta illa perpendit, quibus confutat S. Pontifex ineptum illorum suppositum, qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, qui habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur; ita enim argumentatur in l. 34. Moralium cap. 26. *Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia Beatorum. Per semetipsam namque veritas dicit: Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. Præterea, si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam tolleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertione sua etiam electorum præmia, remunerationesque confundunt? Quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non esse quod veritas de æterno igne minata est, & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem. Rursum sine fine puniri non deberet culpa cum fine, si Judex justus non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere, nam magis appetunt peccare, quam vivere; & ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare cum vivunt. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quandiu valuit habere noluit, terminum criminis.* Et ne etiam videretur idem S. Doctor dissimulasse vanum nonnullorum argumentum dicentium Sanctos in die judicii extremi oraturos pro inimicis, quos in inferis ardere videbunt, paullo intra hæc subdidit. *Orant, idest Sancti, pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: ut det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem. Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque caussa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam caussa est, ut non oretur pro Diabolo, Angelisque ejus, æterno supplicio deputatis, quæ nunc etiam caussa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, qui de eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt ante illum Judicis justi conspectum, orationis suæ meritum cassari refugiunt:*

XXII. His argumentis merito commentitium esse concluditur quod de Tra-

Trajani Imperatoris ab inferis liberatione narratur precibus S. Gregorii, neque id a Theologo veritatis amante esse asserendum. Ipsa etiam Auctorum dissensio, & nugæ quibus narrationis Auctores suam historiolam adornant ejusdem falsitatem probant luce meridiana clariorem, cum veritas una sit, & simplex. Hoc unum certum est in probatis Ecclesiæ Romanæ Actis non inveniri, sed in obscuris tantum quarumdam Anglicanarum, & Saxonicarum Ecclesiarum monumentis: Hinc est, quod Joannes Diaconus IX. Sæculi auctor, qui in lib. 2. vitæ S. Gregorii cap. 44. hanc historiam refert, de hujus narrationis veritate dubitavit quammaxime, quod optime cognosceret adversari iis, quæ Grægorius tradidit in quarto Dialogorum suorum libro; Potuisset etiam citare ejus Epistolam 15. lib. 6. ad Georgium Presbyterum Constantinopolitanum, & Theodorum Diaconum datam, ubi inter cetera hæc inquit. *Nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne, per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit: Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum, omnia videlicet electa. Nam trahi a Deo post mortem non potuit, qui se a Deo male vivendo separavit*. Quibus itaque fundamentis S. Joannes Damascenus in Oratione de fidelibus defunctis scribere potuerit, quod Oriens totus atque Occidens testetur Historiam hanc esse veram, & ab omni calumnia alienam, nullus illorum videt, quibus perspectum fuit Damascenum in lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 4. scripsisse: *præclusam esse omnem resipiscendi facultatem hominibus postquam ex hac vita migrarunt*: hæc enim duo inter se pugnant, quod Trajanus potuerit Gregorii precibus juvari, & ab inferis eripi, & quod homini, qui in impietate decesserit præclusa sit omnis resipiscendi facultas. Videtur igitur apertissime perperam citari S. Damascenum tamquam hujus Historiæ Scriptorem, sed oportet alium Auctorem fuisse, qui Damasceni nomine abusus est, eo vel maxime quia illius Orationis Auctor supponit Missæ Sacrificium pro Damnatis offerri posse, & hoc Ecclesiam Catholicam docere. *Quis enim offerat*, inquit Augustinus lib. 1. de anima, & ejus origine cap. 9. *nisi pro eis, qui sunt membra Christi*? Deinde quomodo affirmare potuisset Joannes Diaconus a Romana Ecclesia improbatam hanc Historiam, si totus Oriens, & totus Occidens illam veram esse testantur? Concludendum igitur est, quod hujus Orationis Auctor post tempora Joan. Diaconi floruerit, & dixerit se Gentium omnium credulitate firmatam descripsisse historiam, quia apud Joannem Diaconum eamdem legerat, & Græcorum Euchologiis insertam viderat, uni videlicet illarum orationum, quæ pro defunctis recitabantur. Potuit sane historia hæc quondam legi in Græcorum Euchologiis, ast non in omnibus, nam illud quod editum est a Goartio multa habet, quæ totam hanc de Trajani liberatione narratam fabulam dissipant, & sanam de pœnis inferni doctrinam confirmant. *Non est in Inferis pœnitentia*, ita legitur in Officio funereo Sacerdotis *nulla ibi relaxatio: ibi vigilant vermis, tenebrosa terra, & chaos caliginosum.... Velut in divinæ resurrectionis spe mortui vitam omnium in Christo reperimus fideles: verum judicium ibi plurimum fratres, nec ullus inferno eripitur*.

Plurima alia, quæ possent reponi legenda relinquimus apud celeberrimos illos Auctores, qui in suis doctissimis operibus fabulam hanc confutarunt Baronium intelligo in Tomo 8. Annalium ad A. Christi 604. Bellarminum li-

libro 2. de Purgatorio cap. 8. Melchiorem Canum libro 11. de locis Theolog. cap. 2. Dominicum Soto in 4. Senten. dist. 45. q. 2. a. 2. Possevinum in Apparatu Sacro verbo *Jo. Damascenum*, Coefreum in lib. 9. suæ historiæ Romanæ, Joannem Nicolai in notis ad articulum 5. q. 73. in Supplem. D. Thomæ, & clarissimum Natalem Alexandrum in Dissert. 1. in Histor. Eccles. Sæculi 2. Hæc siquidem tantum delibasse satis fuit agentes de animarum egressu a suis receptaculis. Obiter tamen monere duximus non solum illicitum esse orare pro damnatis, ut a pœnis liberentur, sed neque licitum esse orare ut eorum tormenta mitigentur, quod tamen fieri posse nonnulli arbitrati sunt non recte intelligentes ea, quæ Augustinus in Enchiridio cap. 110.112, Chrysostomus homil. 3. in Epist. ad Philip. Prudentius in Hymno de novo lumine Paschalis Sabbati, & denique Innocentius III. in cap. *cum Martha* scripserunt. Sed de hac Oratione infra redibit sermo.

C A P U T III.

QUIBUS PERSONIS PURGATORIUM NON CONVENIAT.

DE Purgatorii existentia, & qualitate Pœnarum ejus in superioribus disseruimus quantum instituti nostri ratio postulabat, de Personis illis agendum modo esset, quibus Purgatorium convenit, verum cum multum etiam de hoc subjecto dixerimus propter maximam materiæ connexionem, refellendum modo assumpsimus errorem illorum, qui nullo facto animarum discrimine, quascumque animas ad Extremum usque Judicii diem extra Cœlum Empyreum ad Elysios destinabant, aut in invisibilem locum, ut Irenæus ait lib. 5. definitum eis a Deo, ibi usque ad resurrectionem commoraturas sustinentea resurrectionem, postea recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, ut sic veniant ad Conspectum Dei. Plurium Patrum, & plurium Sæculorum opinionem hanc fuisse conspicimus, nam Tertullianus hanc exposuit in lib. 4. contra Marcionem, & Justinus in quæst. 60 & Origenes homil. 7. in Leviticum, & Chrysost. homil.39. in priorem ad Corint. Theodoretus quoque, & Theophilactus eamdem docuerunt in Commentariis in caput 11. ad Hebr. Oecumenius vero, & Euthymius in cap.16. Lucæ, Victorinus Martyr in caput 26. Apocal. Hilarius in psal. 138. His accessere Lactantius lib. 7. cap. 21. Ambrosius lib. 2. de Cain, & lib. de Bono mortis cap. 10. Augustinus lib. 1. Retract. cap.14. in Epist. 111. ad Fortunatum, in Enchir. cap. 108. in lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. & Bernardus Serm. 3. & 4. de omnibus Sanctis; Imò nec desunt, qui Joannem XXII. eam asseruisse, & propugnasse Sententiam dixerint, ut Gerso Parisiensis Cancellarius in Sermone de Festo Paschatis, & sextus Hadrianus in 4. Senten. de Ministro Confirmationis agens, & Guillelmus Okam in opere quo trium dierum; ita ut oportuerit, quod in Synodo Florentina Oecumenica tanti momenti res ad trutinam revocaretur, ut tandem veritas eliquata universalis Ecclesiæ consensu firmaretur: itaque ut veritas hæc a Lutheranorum, & Calvinistarum calumniis vindicetur, & quibus innitatur fundamentis demonstretur sit

§. I.

§. I. *Illorum Animæ, qui post Baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illæ etiam, quæ post contractam peccati maculam in suis corporibus sunt purgatæ, in Cœlum mox recipiuntur, & clare Deum ipsum trinum, & unum, ficuti est, intuentur.*

I. Ut Controversiam hanc ordine illo, quo nata est pertractemus animadvertimus nullibi de hac re fuisse disputatum ante annum 1333. quo tempore Joannes XXII. Romanam regebat Ecclæsiam, qui Pontifex cum animadvertisset Scripturæ Sacræ Sententias, & Patrum dicta utrique parti favere, quæstionem hanc diligentissime excutiendam optavit, data propterea viris Theologis facultate de eadem re disputandi, ut sic plenius posset inveniri veritas disputata. Ne vero Pontificiam voluntatem male aliquis interpretaretur ad Episcopum Rotomagensem Petrum Rogerii ipse Pontifex libellum de hoc argumento transmisit, ut de statu Controversiæ Philippum Regem Christianissimum certiorem redderet, qui Catholicæ fidei succensus ardore hujus Sententiæ Assertores durioribus verbis increpuit, mortem etiam, ut hæreticis minatus, ni dicta revocarent. Sed parum profuit hæc Pontificis diligentia. Mox etenim in tota Gallia rumor percrebuit, Pontificem misisse Parisios Geraldum Ottonem Generalem Ministrum FF. Minorum, ut errorem propugnaret, & prædicaret Sanctorum Animas ante Generalem Corporum Resurrectionem Beatifica Dei visione non frui, quod neque Pontifex cogitaverat, ut ipse testatus est in sua Epistola ad Regem Christianissimum data, quam Epistolam ex Vaticano Codice descripsit Odoricus Raynaldus ad annum 1333. Numero 46. Plura alia Continuator Chronici Guillelmi Nangii coævus Scriptor commemoravit, ut Joanni XXII. detraheret. Subinde narravit Regem Philippum Episcopis, Abbatibus, & Parisiensibus Theologis in saltu Vicennarum congregatis jussisse, ut de hac Controversia Censorium ferrent judicium, qui omnes in hoc conspirarunt, quod a tempore mortis Domini per quam pretium redemptionis humani generis extitit persolutum omnes Animæ SS. Patrum, quas idem Salvator ad Inferos descendens eduxit de Limbo, ceterorumque fidelium Animæ, quæ de Corporibus exierunt nihil habentes purgabile, vel quæ jam in Purgatorio sunt purgatæ ad visionem nudam, & claram, beatificam, intuitivam, & immediatam Divinæ essentiæ, & benedictissimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritui S. quam Apostolus 1. ad Cor. 13. nominat visionem facie ad faciem, sunt assumptæ, ipsaque Deitate perfecte fruuntur, & jam, quod crediderunt videntes, quod speraverunt tenentes non in spe, sed in re sunt beatæ.

Potuisset tamen Continuator narrare nihil in hac materia Regem Christianissimum quæsivisse, quod offenderet ipsum Romanum Pontificem; referre quoque potuisset Episcopos, Abbates, & Theologos Parisienses animadvertisse, quod multorum fide dignorum relatione audiverunt, quod quidquid in hac materia Sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodo recitando. Non obfuit tamen Joanni XXII. Continuatoris silentium, siquidem quod ille præteriit, Prælati, & Doctores omnes in Palladio Parisiensi non præterierunt, ut apparet ex Autographo Instrumenti hac de re editi, Regique Christianissimo porrecti, quod legitur in Historia universitatis Parisiensis vi. Sæcul. Tom. 4. pag. 236.

Neque aliud unquam Romano Pontifici fuisse in animo credere, asserere,

aut credendum aliquid proponere, quod Scripturæ Sacræ, & Fidei Orthodoxæ contrarium esset, tum ex iis patet, quæ in publico Consistorio contestatus est die 3. Januarii A. 1334. tum ex suæ Fidei declaratione, quam lethali ægritudine correptus coram Cardinalibus, & Prælatis edidit die 3. Decembris ejusdem anni, tum ex testimonio Benedicti XII. ipsius successoris, cujus testimonii exemplar ex MS. Vaticano descripsit laudatus Raynaldus ad annum 1334. Num. 35. Sed quod omni exceptione majus testimonium est sanæ mentis, & sanæ opinionis Joannis XXII. illud est, quod legitur in Diplomate Canonizationis S Thomæ, in quo ait: *Cælum credentibus, & humilibus patere a Christo in Cælos ascendente reseratam dudum clausam in se credentibus januam Paradisi, S. Thomam devicto, triumphatoque mundo in perpetuas æternitates receptum in patria, ejus animam Cælum possidere, & in Cælestibus agminibus positum Deum glorificare*. Hæc profecto conciliari non possent cum Sententia Beatitudinis Sanctorum ad extremum usque Judicii diem differendæ, quemadmodum neque conciliantur ea, quæ idem Pontifex profitetur in Diplomate Canonizationis S. Ludovici Tolosani Episcopi, *cui Cæli*, ait, *præstant hospitium, quem Cæli cives*, inquit; *ut sibi conformem, & comparem ad suum hunc consortium admittunt in supernis, quem Christus reficit idem ipse prandium, & conviva, qui tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in Innocentia, in medio domus suæ ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie revelata, in sua innocentia est ingressus*. His similia Pontifex pronunciavit in Diplomate Canonizationis S. Thomæ Herfordiensis Episcopi, ex quibus omnibus cognoscitur Joannem XXII. *a Fide numquam defecisse*, ut Paulus Langius Citizensis Monachus in Chronicis, & Albertus Krantzius in cap. 16. libri 8. Wandaliæ scripserunt, neque *jam senem desipuisse*, ut in Cosmodromii ætate 6. cap. 71. excidit Gobelino Persona Paderbonensis Officiali, neque: *illius doctrinam potuisse damnari cum sono bucinarum coram Rege Philippo per Theologos Parisienses*, ut finxit Gersonus: *Regem ipsum potuisse vehementissimas ad ipsum Papam scribere litteras, rogum etiam ipsi intentantes ni revocaret errorem*, ut Petrus Alliacensis exposuit in Propositione, quam de tollendo schismate, & sancienda Ecclesiæ pace habuit coram Carolo VI. Rege Christianissimo, die 11. Decembris A. 1406. Dicendum etiam est Hadriano VI. excidisse ea quæ scripsit in 4. Senten. cum inquit, quod *Joannes XXII. declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod Animæ Purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara, & facialis visio Dei*: Oppositum enim sustinent præter locupletissima testimonia ejusdem Pontificis tum Ptolomæus Lucensis in lib. 24. Historiæ Ecclesiasticæ c. 42. tum Joannes Villani l. 11. c. 19. Historiæ de rebus Florentinorum, & laudatus ejus Successor Benedictus XII. in Diplomate quod incipit *Benedictus Deus* Tom. 1. Bullarii Romani ubi inquit: *Cum idem Prædecessor noster ad quem prædictorum determinatio pertinebat ad decisionem concertationum hujusmodi separaret in Consistorio suo publico dum Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, injungendo districtius, & mandando, ut super materia de visione prædicta quando requirerentur ab eo deliberate diceret unusquisque, quod sentiret: Tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit*. Hi profecto Auctores majorem quam Gersonus, quam Hadrianus VI. in rebus Historicis sui temporis fidem merentur, qui vel accu-

rate

rate non expenderunt Joannis XXII. historiam, vel incertis rumoribus crediderunt, multoque minus Guillelmo Okam credendum est, quem fuisse hostem hujus Pontificis, & hominem Schismaticum omnes norunt.

II. Ut Okamus, ceterique Joannem XXII. hæreseos nota potuissent inurere duo illis fuissent ostendenda, Universalis Ecclesiæ de hac re judicium, sive Papalis decisio, & ejusdem Joannis XXII. in sua opinione pertinacia. Horum alterum licet voluissent, non potuissent tamen probare, siquidem solum in Concilio Florentino primum Sessione ultima in Decreto Unionis, deinde vero in Concilio Tridentino Sess. xxv. hoc dogma definitum est. Alterum vero ejusdem Joannis Litteræ laudato Diplomati Benedicti XII. insertæ, aperte convincunt. *Ne super iis*, inquit, *quæ de Animabus purgatis separatis a Corporibus, an citra resumptionem Corporum Divinam essentiam, illa visione videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant tam per eos, quam per nonnullos alios in præsentia nostra recitando, & allegando Sacram Scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum, vel alias ratiocinando sæpius dicta sunt aliter, quam per nos dicta, & intellecta fuerunt, & intelligantur, ac dicantur auribus fidelium valeant inculcari; ecce quod nostram intentionem, quam cum S. Ecclesia Catholica circa hæc habemus, & habuimus, ferie præsentium, ut sequitur declaramus. Fatemur siquidem, & credimus, quod Animæ purgatæ separatæ a Corporibus sunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ. & vident Deum, ac Divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status, & conditio compatitur Animæ separatæ. Si vero alia, vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt, quoquomodo illa diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia, quæ fidem concernunt Catholicam, Sacram Scripturam, vel bonos mores, ea in quantum sunt consona fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, Sacræ Scripturæ ac bonis moribus approbamus; aliter autem illa habemus, & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, & ea revocamus expresse: Ac ea, quæ de prædicta visione, & omnia alia dicta prædicata, & scripta nostra de quacumque materia, ubicumque, & in quocumque loco, ac in quocumque statu, quem habemus, vel habuerimus hactenus, summittimus Determinationi Ecclesiæ, & Successorum nostrorum.*

III. His observatis circa controversiæ originem, & Joannis XXII. fidem, modo videndum est quænam fuerit Ecclesiæ Patrum Sententia. Ad Græcos quod attinet, aliud certe vetus, & aliud est, quod recentior docuit eorum Ecclesia. Sanctorum animas beatifica Dei visione frui ante Supremi diem judicii antiquissimi Græci Patres docuerunt. Sic enim Ignatius in Epistola ad Romanos, Dionysius in libro de Ecclesiastica hierarch. cap. 7. parte 1. Athanasius in vita Antonii, Basilius homil. in 40. Martyres, Nazianzenus Oratione in Basilium, Nyssenus Oratione in S. Ephrem, Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joannem cap. 36. Epiphanius hæresi 78. Eusebius lib. 4. Histor. cap. 15. Damascenus in historia Barlaam, & Josaphat, & quotquot per x. Sæcula Ecclesiam Græcam illustrarunt, crediderunt *Justorum animas proficisci de mundo ad Deum: percepturas exactissimam ad Christi speciem requiem cum ad præsentis vitæ finem pervenerint: Angelis esse stipatas: Illis aperiri Paradisi Portas: in æterna tabernacula recipi: beatam æternitatem eo quo est modo contemplari: in Cælestibus tabernaculis consedere ubi sunt ordines Angelorum, ubi*

ubi Patriarcharum populi, ubi Chori Prophetarum, ubi Sedes Apostolorum, ubi gaudium Martyrum, ubi piorum lætitia, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cætus, ubi sunt puræ lætantium voces: Non versari in terris post mortem Corporis, nec deduci ad pœnas Gehennæ, sed evolare in manus Dei Patris: quiescere in gloria: immortalitatis præmia adipisci: & vultui Domini nitide præsentari, illiusque gloriæ jam ante promissa sibi corona exornari. Hæc aliaque his similia de Justorum fœlicitate non differenda ad extremum Judicii diem PP. Græci docuerunt: quare perperam a nonnullis aliqui Græcorum Patrum pro contraria opinione citantur, quia fortasse non sunt eorum mentem assecuti. Ait certe Justinus in quæst. 60. *ex iis, quas Christianis Gentes opponunt ante resurrectionem unicuique ex iis, quæ in vita gessit præmium non reddi;* verum non dixit hoc, ut retributionem quamcumque fieri ante resurrectionem negaret, sed ut doceret perfectam retributionem, qua totus homo corpore, & anima gaudebit, post resurrectionem esse reservatam. Ceterum quid de hac re Justinus senserit ipse aperuit in quæst. 75. ubi sic ait: *Post animi a corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio, ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt ab Angelis, bonorum quidem animi in Paradisum ubi consuetudo est, & aspectus Angelorum, & Archangelorum, visio vero etiam conservatoris Christi ex verbis his peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum; improborum autem ad Inferorum loca &c.* quod si Dei visionis non meminit mori Græcorum hoc concedendum est, qui visionem dicunt illius rei, quæ plene comprehenditur, quanquam neque hoc omninò siluit Justinus in quæst. 76. cum ait: *Latronem, cui Christus dixit hodie mecum eris in Paradiso, in cætu beatorum esse*, hoc enim significat esse beatum, quod significat videre Deum, nam Angeli non alia ratione beati sunt, nisi quia Deum vident. Justinum imitatus est Irenæus cum libro 5. inquit, *Sanctorum animas abire in invisibilem locum, & post resurrectionem ituras ad conspectum Dei*, intellexit namque Irenæus loqui de perfecta beatitudine, in qua reperitur, qui animo, & corpore beatus est, & revera, non solum hoc colligitur ex Irenæi verbis, sed verba ipsa Irenæi expresse hoc dicunt. *Cum Dominus in medio umbræ mortis abierit*, ita scribit loco citato, *ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumptus sit, manifestum est, quia & discipulorum ejus, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, & sic venient ad Conspectum Dei*. Ut igitur ratio similitudinis inter Discipulos, & Magistrum salvetur, contendit his verbis Irenæus, quod illum in morte, in requie, & in resurrectione imitentur, qui cum statim a morte corpore beatus non fuerit, nec ipsi corpore beati esse debent statim post mortem, cum vero in triduo mortis animo Beatus esset, & in Paradiso, quod Latroni promiserat *hodie mecum eris in Paradiso*, vel ut Cyrillus Jerosolymitanus, ait Cath. 13. *Tu de ligno introduceris in Paradisum*, ita etiam Corpora Sanctorum dum in Sepulchris quiescunt, eorum animi in Paradiso esse debent, hoc est oportet illos esse beatos, alioquin illius similitudinis nulla esset vis, imò tota corrueret relatio, & ulterius contraria docuisset iis, quæ in libro 1. cap. 2. scripsit, cum inquit *Justis, & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem*

ab

ab initio, quibusdam autem ex Pœnitentia vitam donans incorruptibilem loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat. In Origene nihil aliud habemus in quo reprehendi possit nisi, quod vult Sanctos in alia vita paulatim proficere nam *post mortem,* ut scribit in 2. Periarchon prope finem *illos defert in Paradisum terrestrem, deinde ad loca aerea tandem supra Cælos ad Christum in quo perfecte caussas rerum omnium vident*, & dum homil. 7. in Leviticum ait, *quod nondum Sancti receperunt lætitiam suam, nec Apostoli quidem, sed & ipsi expectant, ut ego lætitiæ eorum particeps fiam*, hoc dixit de plenitudine lætitiæ, quæ oritur ex resurrectione corporis eorum, & ex glorificatione universitatis electorum, per quam justis omnibus, & ipsi Christo accidentalis quædam lætitia superadditur propter hoc, quod habet omnia sua membra, & plenas intuetur eorum sedes, quos *quia non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in Judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*.

Abest vero longissime Chrysostomum a Majorum Sententia recessisse, propter illa, quæ scripsit in homil. 49. cum exponens hæc Apostoli verba in 1. ad Cor. *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo miserabiliores sumus omnibus hominibus*, sic inquit. *Quid ais Paule? an non animus superstes erit? erit, & immortalis quidem: quamquam vero, vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur quemadmodum, neque pœnis punietur: omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur*, inquit Paulus, *ut unusquisque ferat, quæ per corpus sive bona, sive mala gessit; nam si corpus non resurget anima nostra incoronata manebit, & extra cælestem beatitudinem erit*. Videtur enim voluisse Chrysostomum asserere, quod cum caro, & anima simul laboraverint, æquum est, quod Caro, & anima suam mercedem accipiat, nec solam animam hanc esse accepturam nisi corpus resurgat. Verum ante Corporis resurrectionem Justos futuros esse cum Rege, illique propiores non per ingressum ad fidem, sed facie ad faciem, scripsit homil. 3. in Epistolam ad Philipp. & de beatitudine agens homil. 10. in 2. ad Cor. *Si cogitatio*, inquit, *illorum quamvis obscura sit tantam suppeditat voluptatem, cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta ipsa comprehensio, scilicet Dei visio*, ut interpratatur S. Thomas 1. part. q. 12. a. 1. & rursum hom. 32. in Epist. ad Rom. asseruit: *Pauli animam versari in summo cælo prope ipsum Regis solium*, quemadmodum de iis, qui pure communicant corpori Dominico in libro 5. de Sacerdotio dixit *in Extrema hora ab Angelis stipatos, recta in Cælum abduci*. Nihil vero aliud præter ea, quæ diximus voluisse Chrysostomum innuere in citatis ipsius verbis ex homil. 39. in 1. ad Cor. Theophylactus auctor est, qui eodem modo locum illum interpretatur, sed non solum Theophylactus, verum etiam Theodoretus, & OEcomenius, qui ut Chrisostomi discipuli, illius sensa exposuerunt in Comentariis in caput 81. Epist. ad Hebræos, quare immerito inter illos enumerantur, qui in hac materia a communi opinione recesserint, cum neque eorum desit auctoritas, ut id uberius probetur. Theodoreti testimonium legitur in lib. 8. ad Græcos, qui est de Martyribus, *quos majori sorte perfrui*, ait, *& nunc a cunctis mortalibus honores amplissimos ferre, & æternis insignitos esse coronis*. Testimonium Theophilacti legitur in cap. 23. Lucæ ubi ait: *idem esse Paradisum, & Regnum Cælorum, nam Latro est in Paradiso ac Regno, alioqui non frueretur perfecta* lo-

bonorum participatione, illud vero Oecumenii habetur in cap. 9. ad Hebr. ubi inquit, *non solum Christum in Cælum ingressum esse, sed etiam secum duxisse genus humanum*, intelligit Sanctos illos Patres, qui in Regno exultant cum Christo.

Primum Græcorum Patrum testimonium, quod huic Sententiæ adversatur est testimonium Euthimii Scriptoris Seculi XII. qui in caput 16. Lucæ Parabolam Lazari, & Divitis, designare ait id, quod erit post diem judicii. Verum quid hoc? Constans per duodecim Sæcula in hoc dogmate Patrum Græcorum doctrina hoc agere debet, quod si fortasse aliquis hujus gentis, vel dormitaverit, vel dissipuerit, hoc non credendum erit de antiquis, sed de Scriptoribus recentioribus, eo quod vel in ipso Schismate scripserint, vel in illa ætate, quæ Schismati fuit proximior. Quanquam, & hoc certum est, neque penes Græcorum Recentiores diu errorem hunc invaluisse, ut patet ex Actis Florentini Concilii sub quarto Eugenio, in quo Concilio suas jussi Græci sententias dicere de statu Animarum Sanctarum post mortem, multiplici Collatione habita, apparuit haud magnam esse Græcorum, & Latinorum circa illud dogma dissensionem: dixerunt enim Græci Animas Sanctorum jam quidem frui beatitudine, sed imperfecta, cum vero corporibus in Resurrectione conjungentur, tunc perfectam fore fruitionem, juxta Apostolum dicentem: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem*. Certe non defuerunt inter Græcos, qui sentirent Sanctorum animas in interiori loco versari separato, ibique lætari, mente volventes cogitationem de perfecta, quæ ipsos manet Laureola, absolutaque Beatitudine, & adeptione Regni Dei, sed paucissimis hæc sententia arrisit, & communiter rejecta est, placuit enim omnibus illa sententia, quæ justorum animas perfectam Laureolam in Cœlo jam consequutas esse docet, ac impiorum perpetuas pœnas luere, medias vero in Purgatorio esse, quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, non referre. Et hæc de Græcorum Patrum Sententia.

IV. Quod eadem fuerit constans in Ecclesia Latina fides ex eo colligitur, quod ipsi Heterodoxi nulla in contrarium argumenta proferunt. Visum est aliquibus posse ex Hilarii, Ambrosii, Augustini, & Bernardi auctoritatibus argumentum confici; sed inefficax illud argumentum est, quod ambigua loca suppeditant, cum clarissima, illisque repugnantia occurrunt testimonia. Objiciunt ex Hilario id, quod dicit in hæc verba Psalmi 138. *Si descendero in Infernum ades: Hæc humanæ lex necessitatis est, ut sepultis corporibus animæ ad inferos descendant, quam legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit*; & dissimulant se nescire, quod inquit in Psalmo 60. *Sanctos cum Deo habitare*, tum ea quæ scripsit in Psalmo 64. ubi postquam dixisset de tabernaculis, & mansionibus, quas esse in domo Patris sui Christus ait, post pauca subdit: *Beati quidem sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt: sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id, atque Orationibus expetentes*. Ex Ambrosio pariter reponunt quod in lib. 2. de Cain cap. 2. *Solvitur*, inquit, *a Corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ambiguo suspenditur*, & quod in libro de Bono Mortis: *judicii diem, diem Coronæ* vocat, *quæ ab omnibus expectatur, ut intra eum diem, & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur Victoris*; & se ignorare fingunt Am-

Ambrosium scribere in lib. 3. Epist. 22. Eccles. Thessal. quod *Acholius superiorum incola, possessor civitatis æternæ, illius Jerusalem, quæ in Cælo est, videt illic Urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine Sole perpetuum & hæc omnia jam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem manifesta*. Improperant etiam Augustino, quod censuerit cum veterum plerisque *tempus, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continere*. Enchir. cap. 109. de Cura pro Mortuis cap. 2. lib. 1. de Civit. cap. 12. & Tractatu 49. in Jo. Sed loca illa non perpendunt in quibus quamquam Augustinus videatur de loco dubitare ubi Sanctorum animæ ante judicii diem excipiuntur, se tamen non dubitare ostendit, quin æterna felicitate, & Dei visione fruantur, ut ex illis ipsis locis compertum est, nec non ex libro 9. Confes. cap. 3. ubi ait. *Nunc vivit Nebridius in Sinu Abrahæ, quicquid illud est, quod in illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit .... Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix*. Et lib. 2. quæst. Evangelicarum cap. 38. *Sinus Abrahæ requiem esse*, ait, *Beatorum pauperum, quorum est regnum Cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur, eumdemque esse Secretum Patris, quo post passionem suam resurgens assumptus est &c. Ubi etiam ante resurrectionem Justorum animæ vivunt, cum Deo*, & lib. 20. de Civit. c. 15. *Justorum animas prorsus inferos nescire*, ait, *ubi antiqui Sancti detinebantur, donec eos inde Sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret*. Demum in Serm. 2. de omnibus Sanctis observant S. Bernardum sic loqui: *Interim sub Altari eos esse, & non supra ipse nos doceat, cujus testimonium credibile factum est nimis, qui ut scribit in Apocalypsi: sub Altari ipso eorum etiam voces audivit. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici; & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, quæ implebit eos lætitia cum vultu suo. Interim, inquam convertuntur animæ illæ in requiem suam donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, donec veniat cum erit unicuique laus a Deo*. Notant insuper in Sermone 3. docere *tres esse Sanctarum status Animarum. Primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in Domo Dei*. Rursum inquiunt in Sermone 4. explicans S. Bernardus quid sit illud Altare, de quo agitur in Apocalypsi, ait esse Christi humanitatem, quam solam Sanctorum Animæ vident: post Resurrectionem postea exaltandas super Altare ad videndam ejus Divinitatem, hæc sunt ejus verba: *Interim ergo sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub Altari collocentur, sed exaltentur super Altare. Sed quid dixit? Numquid Humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super Altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altare quiescunt? Visione utique, & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis filius, ut pollicitus est, semetipsum non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis. Quoniam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum, & in eis etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique, &*

usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Hæc sunt, quæ ex S. Bernardo reponunt Adversarii, non opportuna tamen, ut illorum voluntati satisfaciant, cum perspicuum sit ex adjunctis S. Bernardum loqui de Beatitudine consummata, quam in laudato Sermone 3. conferri non docet, donec sit homo integer, cui detur; unde paulo post inquit, *quod Animæ Sanctæ acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur, & nos*, & infra, *Stola prima*, inquit, *est felicitas, & requies animarum, secunda vero immortalitas, & gloria corporum*: Oportet igitur, quod Adversarii non dissimulent verum sensum verborum Bernardi; Imò oportet, quod præterea non negligant diurna versare manu ea, quæ in Sermone 4. ex laudatis ponit discrimina inter sinum Abrahæ, & locum Animarum Sanctarum, si forte præsens quoque Sanctorum requies Abrahæ sinus vocetur, dicit itaque *longe alium hunc Sinum esse, quam illum, quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa, in inferno ille fuit, iste in Cœlo*. Non incongrue tamen ait, *etiam nunc videri dictorum Patriarcharum filios Paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortium ab hoc Sæculo transire meruerint*. Ut vero clarius intelligant Adversarii Bernardum docuisse Animas Sanctas statim post obitum visione divina frui, legant ejus Sermonem 2. de S. Malachia, item Sermonem de obitu Humberti Monachi, ejus Epistolam ad Sugerium Abbatem, & aliam in Ordine 311. ad Fratres de Hibernia.

V. Illud etiam intelligant necesse est cum in dubiam alicujus ex Ecclesiæ Patribus sententiam offendunt, in qua de Sanctorum Beatitudine agitur, vel illos loqui pro eo tempore, quo Cœlum clausum erat, & juxta hunc sensum scripsit Hilarius in Psal. 138. & Ambrosius in lib. de Bono mortis c. 10. vel illos loqui de retributione mercedis, quæ tam animæ, quam corpori post diem judicii danda est, & juxta hunc sensum idem Ambrosius loquitur in l. 2. de Cain c. 2. & Augustinus in Epist. 111. ad Fortunianum. Quod si juxta neutrum hunc sensum loquuntur Patres, in tali casu notent illos Patres non dicere animam separatam a corpore, non posse Deum videre, sed quod cum post resurrectionem, glorificato etiam corpore, perfectior futura sit animæ cum corpore glorioso conjunctæ operatio, Sancti beatiores erunt post judicium quam ante, & hoc est quod dicit Augustinus in l. 12. de Genes. c. 35. dum ait *quod anima ex appetitu corporis retardatur ne tota intentione pergat in illud summum bonum*, cujus rei hanc rationem reddit S. Thomas in Supplem. q. 94. a. 4. *Sicut anima separata a corpore corruptibili perfectius potest operari quam ei conjuncta, ita postquam fuerit conjuncta corpori glorioso perfectior erit ejus operatio quam quando erat separata*; & huc faciunt illa quæ S. Bernardus in supra cit. Sermone 3. scripsit Carnem ita compellans: *Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine te desiderant, quas redemit proprio Sanguine, te expectant: & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari Beatitudo non potest, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat cum inclinantur desiderio tui*. Ex Patribus itaque, quorum recitatavimus testimonia probari non potest animas Sanctorum in Sinu Abrahæ, in loco sub Altari, seu loco non cœlesti foveri, & gaudere ad diem usque Judicii. Sed concedamus Adversariis oportet id docuisse Tertulliani, Novatiani, Victorini, & Lactantii dicta. Hi enim cum intellexissent Di-

Divitem vidisse Lazarum in Sinu Abrahæ (Lucæ 16.) & dictum esse (Apocal.6.) Animabus Martyrum Stolis albis indutis quod expectarent sub Altari *donec impleretur numerus conservorum suorum*, intellexerunt etiam distinguendum esse statum animarum sine corpore ad futurum usque judicium a statu perfectiori animarum cum corporibus post resurrectionem universalem, & propterea primum statum laudatis *Sinus Abrahæ*, & quietis placidæ *sub Altari* appellationibus nuncuparunt: quemadmodum statum illum secundum e contrario Cœlestem Sinum, *Altare superius*, & Cœlestem portam dixerunt. *Eam regionem* inquit Tertullianus lib.4. contra Marcionem c.34. *Sinum dico Abrahæ, & si non Cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbiturum animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura cœlesti promissione, quam Marcion suo vendicat, quasi non a Creatore promulgatam*. Eadem repetit in Apolog. c.47. in libro de Anima c.7.9.55.56.58. in libro de Resurrect. Carnis c.17. & alibi. Novatianus item in suo libro de Trinitate c.1. *Quæ infra terram jacent*, ait, *neque ipsa sunt digestis, & ordinatis potestatibus vacua, locus enim est, quo piorum animæ, impiorumque ducuntur, futuri judicii præjudicia sentientes*, & Victorinus in cap.6. Apocal. *in novissimo tempore*, inquit, *Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damatio*; & propterea non post mortem protinus judicari animas scribit Lactantius lib.7.c.21. *Sed omnes in Arca, communique custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen*. Verum ex his Catholico dogmati non detrahitur, immo neque eruditioni, & pietati illorum illustrium Scriptorum, cum Ecclesia illis temporibus nihil adhuc certi de hoc articulo credendum statuisset, ut supra notavimus. Sed post primam factam damnationem in Epistolis Decretalibus Innocentii III., & Benedicti XII., & alteram per Florentini, & Tridentini Concilii Decreta, aliter sentire non licet. Quanquam neque dicta Scripturarum loca pro contraria faciunt sententia, si diligentius inspiciantur. Non primum, quia in illo loco ponitur status animarum Justorum ante Christi resurrectionem, & in confesso est apud omnes inde per Christum in Cœlum fuisse deductas, quod Regius Propheta prædixit Psal.37. & in cap.4. Epist. ad Ephes. scripsit Apostolus: *Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, idest vel ipso Apostolo interprete, *super omnes Cœlos*. Non secundum, quia in c.7. habemus quod stabant ante Thronum in conspectu Agni amicti Stolis albis. *Stolas albas* interpretatur Augustinus Sermone 4. de Solemnitate Sanctorum mercedem *Baptismi*, præmium Martyrii, & gaudium cœlestis Patriæ, & concludit quod stant in conspectu Agni ante Thronum Dei coronati, nulla illic ratione a contemplanda ejus gloria separandi.

VI. Non solum prædicta Scripturarum testimonia, sed quæcunque alia, quæ afferri solent huic Dogmati non officiunt. De his testimoniis id præcipue affirmatur, quod Heterodoxi abutuntur: hujusmodi est illud quod ex cap.20. Matth. opponitur, in quo legitur *quod ad vesperam* (post Resurrectionem interpretantur) *Pater familias Operariis suis omnibus, & simul reddidit denarium diurnum* (explicant vitam æternam). Et illud capitis 11. Epistolæ ad Hæbr. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur*. Illud etiam, quod in prima Jo. cap.3. invenitur, ubi Joannes inquit: *Scimus quia*

cum apparuerit (idest Christus judicaturus vivos, & mortuos) *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Ut singula hæc testimonia perpendamus, illud ab initio notandum est quod Chrysostomus in caput 20. Matthæi observavit: In Parabolis non esse necesse, quod singula singulis correspondeant, sed tantummodo Scopum attendendum esse, alioquin oporteret, quod murmur esset in Cœlo, quia Operarii accipientes singulos denarios murmurant, & opus esset, quod in Cœlo nequam oculus reperiretur, quia Pater familias objicit: *nunquid oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* & tandem necesse esset, quod ibi aliqui adessent, qui arbitrarentur quando dantur præmia Beatis se plus accepturos. Hæc singula nonne evidentissima absurda sunt? Videtur itaque, quod cum Parabola consistat in similitudine, vix unquam habere potest partes omnes cum re significata cohærentes, præsertim cum in illa quidquid proponitur, more hominum dicitur inter quos, ut nunc casus occurrit, ex inæqualitate mercedis solet esse murmuratio. In hac igitur Parabola de Opereriis, id quod dicitur non respondet explicationi Adversariorum, sed dicitur id, quod ostendit facilius Evangelicos Operarios suorum laborum mercedem assequi nunc, quam olim sub priori Testamento contingeret, nisi illud quoque per hanc Parabolam demonstrari dixerimus, quod Sacer textus de illo testatur, qui *consummatus in brevi explevit tempora multa*, qui propterea per breviorem laborem fortitur Coronam illi non absimilem, qua senectus venerabilis coronatur. Non absimilem habent relationem verba illa, quæ citantur ex 11. cap. Epistolæ ad Hebræos, cum Apostolus comparationem habeat ibi inter Sanctos Veteris Testamenti, & Novi. Illi Sancti fuerunt, & fide laudati, tamen ante Sanctos Novi Testamenti non acceperunt promissam Sanctis hæreditatem, Deo ita disponente, ut nemo Cœlum ingrederetur, donec satisfecisset Christus pro peccatis: ita nempe Deo providente, ut sine nobis non consummarentur. Non repugnat tamen illud etiam respondere, quod in hunc locum scribit S. Augustinus Tract. 49. in Joan. videlicet per repromissiones posse intelligi complementum beatitudinis in anima, & corpore, quod Viri illi Sanctissimi non habuerunt, & nondum habent, nec sine nobis habebunt. Ex verbis quibus utitur Apostolus elicit hanc explicationem Augustinus: *nos*, ait, *ne sine nobis remunerarentur, sed ne sine nobis consummarentur, videlicet consummatam acciperent beatitudinem*, per Beatitudinem animæ, & Corporis. Defraudatur etiam legitima sua interpretatione locus, qui ab Adversariis objicitur ex cap. 3. Epistola 1. Joannis; cum enim ibi proponatur quanta, & quam plæclara sit adoptio in filios Dei, hanc inquit Joannes non prius posse apparere, quam cum apparuerit Christus in secundo adventu, siquidem nondum apparuit mundo quales, & quam simus inde futuri ipsi Deo similes, non quidem natura, sed qualitate excellenti, & dotibus magnis, quia *videbimus eum sicuti est*, & tunc apparebimus cum ipso in gloria, in nubibus Christo assidentes. Numquam vero S. Joannes intellexit per illa verba docere justorum animas a Cœlesti beatitudine arcendas esse ante diem judicii, quod temere ex citatis verbis inferri dixerunt illi, qui testimonia Scripturarum in pravos sensus detorquent, ut simplicioribus fucum faciant, & incautos in errorem inducant.

VII. Quod si Scripturæ auctoritatibus acquiescere voluissent fraudulenti homines, testimonia eisdem non defuissent, qualia legimus Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*: Item.

in cap. 5. 2. ad Cor. *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in Cœlis, nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de Cœlo est superindui cupientes, si tamen vestiti, & non nudi inveniamur; nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est a vita*: & rursum in cap. 12. ad Hebr. *Non accessistis ad Montem Sion &c. sed ad Sion Montem, & Jerusalem cælestem, ad multorum millium Angelorum frequentiam, Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & Spiritus Justorum perfectorum &c.* in quibus testimoniis absque ulla æquivocatione traditur quod Deus in die obitus unicuique reddit secundum opera sua: & quod statim ac mortalis hæc vita perierit habebimus aliam longe meliorem in Cœlo, quod bene intelligens Apostolus, *audemus*, ait, *multa pati dum peregrinamur a Domino, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*, vel ut scripsit ad Philip. *& cupere dissolutionem & esse cum Christo, & cooptari cum Angelis in ordinem civium cœlestium, & cum animabus eorum qui primi crediderunt, qui primi mortui sunt, & jam in Cœlis conscripti*, scilicet cum animabus Patriarcharum, & Prophetarum cum Christo regnantium; quod scripsit etiam Cyprianus in libro de Exhortatione Martyrii cap. ult. & Hieronymus in Epistola ad Marcellam de obitu Leæ, in Epitaphio Nepotiani, Paulæ, Blæsillæ, & aliorum. Igitur intelligant, & tandem traditioni Universalis Ecclesiæ Heterodoxi omnes acquiescant, quæ docet quod Animæ SS. postquam de Corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui PP. dixerunt a cœlestis Patriæ perceptione differuntur, sed mox ut a carnis colligatione exeunt in cœlesti sede requiescunt.

VIII. Neque veteres Liturgiæ Heterodoxorum caussam juvant, dum illas objiciunt ut ostendant veteres Christianos pro omnibus omnino mortuis, etiam pro Sanctissimis, pro Martyribus, pro Apostolis, etiam pro Deipara ipsa Virgine preces, ac supplicationes Deo obtulisse. Dictum enim alibi a nobis est illas veterum pro Sanctis Orationes, non deprecationes esse, sed gratiarum actiones; & certe iniquissimi homines dissimulant in veteribus Liturgiis alia ratione mentionem fieri Sanctorum cum Christo regnantium, & ceterorum Fidelium Defunctorum. Illorum quidem ut eorum precibus adjuventur nostræ, ac sustententur: istorum vero, ut ipsimet Oratinibus nostris, & Sacrificiis subleventur, & requiescere eos faciat in regione viventium. *Post confectum spiritale Sacrificium*, inquit S. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesi Dystagogica 5. *& incruentum cultum in illo propitiationis Sacrificio oramus Deum pro communi Ecclesiæ pace &c. Rogamus te omnes, & hoc tibi Sacrificium offerimus, ut meminerimus eorum qui dormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus illorum precibus, & intercessionibus, preces nostras suscipiat: deinde pro iis qui jam defuncti sunt Sanctis Patribus, & Episcopis, & omnibus omnino, qui jam inter nos obdormierunt, rati magnam utilitatem percepturas esse animas pro quibus offertur Oratio, dum Sanctum illud maximeque tremendum Sacrificium proponitur.* Eadem docuit S. Augustinus in Tractatu 84. in Joan. & in Serm. 17. de Verbis Apostoli c. 1. ubi *Ecclesiasticam disciplinam hoc habere*, ait, *cum Martyres recitantur ad Altare Dei, ut non pro ipsis oretur*; quid quid Dallæus dicat cum vult Veteres, qui ante hanc latam ab Augustino legem vi-

ve-

vebant pro Martyribus ipsis orasse insignis enim est in hoc Dallæi fraus, qui dissimulat se nescire quod si aliqui veterum Sanctorum animas extra Cœlum degere ad resurrectionem usque, & nondum supremæ felicitatis compotes esse senserunt, nihilominus Tertullianus Martyrum animas excipit in cap. 36. libri de Anima ubi sic ait: *Et quomodo Joanni in spiritu Paradisi regio revelata quæ subjicitur Altari nullas alias animas apud se præter Martyrum ostendit? Quomodo Perpetua fortissima Martyr sub die Passionis in revelatione Paradisi solos illic commartyres suos vidit, nisi quia nullis romphæa Paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? Nova mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo alio, & privato excipitur hospitio... Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in martyriis, si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota Paradisi Clavis, Sanguis Tuus est*. Et libro de Resurr. Carnis cap. 43. *Nemo*, inquit, *peregrinatus a Corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativa, Paradiso scilicet, non inferis deversurus*. Et demum in Scorpiaco cap. 12. *Martyres residere*, ait, *cum Domino in Throno ejus, & candidam claritatis Stolam usurpare, donec & alii consortium illorum gloriæ impleant*. Fraus itaque Dallæi, & inventum est veteres ante Augustinum pro Martyribus orasse, ut Deus largiretur illis promissionum suarum bona, & præstaret requiem, bonamque memoriam. Verum quod apertius Novatorum mendacium demonstrat sunt Liturgiæ ipsæ Augustini ætate antiquiores, & quæ ab ipsis Hæreticis laudantur. In illa siquidem quæ Jacobi dicitur hæc leguntur; *Sanctissimæ, Inviolatæ, Gloriosissimæ, Benedictæ, Dominæ nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac Justorum memoriam faciamus, ut precibus, & intercessionibus ipsorum, omnes misericordiam consequamur*. Et in illa quæ vocatur Liturgia Jo. Chrysostomi hæc habetur: *In honorem, & memoriam super Benedictæ, Gloriosæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, cujus intercessionibus suscipe Domine Sacrificium hoc in supercœleste tuum Altare*. Commemorat postea Sanctos omnes Martyres, & Confessores, & rogat se a Deo eorum precibus visitari. Et ut eorumdem Heterodoxorum testimonis utar, Dallæus ipse improbans fuisse communem Ecclesiæ sententiam, quod Sanctorum felicitas ad resurrectionem usque differatur; *absit*, inquit, *ut ego vel existimem, vel contendam communem hanc fuisse totius Christianæ Ecclesiæ sententiam. Perronio fuisse neganti libens assentior, & facile si hic esset locus, ex Clementis in Epistola ad Corinthios, & Lugdunensium in Actis suorum Martyrum, & Cypriani in libro de Mortalitate, & aliorum testimoniis probare possem non omnes Ortodoxos putasse piorum corpore solutos animos extra Cœlum absque Dei visione usque ad resurrectionem detineri, sed quosdam, imò fortasse multos veriora, præeuntibus Scripturis, sequentes credidisse Cœlo statim recipi quot quot in Domino moriuntur*. Quæ cum ita sint patet uberius quam infeliciter sua in ratiocinando Logica Novatores homines, imò communis sensus, & ratio destituerit. Nihil itaque aliud superest quam brevissime animadvertere ex hoc animarum Sanctarum statu oriri, quod illæ in Cœlo fruuntur ituitiva Dei visione, cum enim ibi in æternum sin victuræ: tanquam effectus a sua caussa oritur & intuitiva Dei visio, & earum æterna vita, cum Christus Dominus apud Joan. 17. dixerit: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum*. Accedit insuper ejusdem Christi Repara-

ra-

ratoris voluntas, qua paulo infra apud eumdem Joannem Patrem suum alloquutus sic protestatur: *Pater, quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*: & propterea dicendum etiam est quod lumine Gloriæ illustrentur, eleventurque supra omnem ordinem creatum, & roborentur ad sustinendum tantum Divinæ Majestatis fulgorem.

§. II. *Animas decedentes cum solo Originali Peccato nullis Purgatoriis pœnis sive temporaneis, sive perpetuis esse plectendas asseritur.*

IX. Mirum non est Lutherum, & Melanctonem, qui peccatum Originale cum Actuali confundunt pœna sensus velint esse puniendos pueros, qui solo peccato Originali decedunt. Magis mirum est quod Zuinglius, & Calvinus parvulos non baptizatos in Cœlum cum Beatis collocent. Alterutrum tamen dictum a veritate non solum alienum est, sed & hæreticum, ut non paucis momentis infra probabitur. Non laboramus in ostendendo vero discrimine quod reperitur inter Peccatum Originale, & Actuale, nam præter quam quod discrimen hoc nullus est adhuc infantulus qui ignoret, hanc controversiam hic locus non patitur. Admittimus itaque tamquam certum hoc discrimen, & ostendimus nulla pœna sensus peccatum hoc esse puniendum, si vera sint quæ alio in loco ab omnibus admissa esse intelleximus, nimirum hanc pœnam correspondere conversioni ad Creaturam, amori concupiscentiæ, cujus intuitu quærit homo quomodo avertat a malis corporis, & demum inertiæ ad satisfaciendum Deo pro pœnæ reatu; quæ tria locum non habent in homine usu rationis destituto, & in puero, quem mater mortuum ennixa est, vel qui licet natus sine Baptismo decessit. Accedit quod pœna sensus voluntati solum infligitur si vera dicat S. Bernardus quod in Inferno sola voluntas ardet. Jam vero notum est Peccatum Originale non esse peccatum Voluntatis sed defectum naturæ, & originis in omnibus descendentibus ab Adamo causatum per peccatum ejus; idest est privatio justitiæ Originalis secuta in natura ex peccato Adæ, ergo huic peccato pœna sensus infligi non potest, sed sola carentia gloriæ, ut Innocentius III. in Decretalibus dixit, in quibus statuit pœnam sensus solis peccatis actualibus convenire. Postremo, ut observat S. Thomas q. 5. de pœna Peccati Originalis a. 2. *non punitur aliquis ex hoc quod abilis est ad furandum, sed ex hoc quod actu furatur, sed habituali privationi absque omni actu debetur aliquod damnum, puta qui non habet scientiam litterarum ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. In peccato autem originali invenitur quidem concupiscentia per modum habitualis dispositionis, quæ parvulum facit habilem ad concupiscendum* (ut Augustinus dicit in Sermone 45. de tempore) *adultum autem actu concupiscentem. Et ideo parvulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem divinam propter privationem Originalis Justitiæ*. Quare advertit idem S. Doctor quod nomen supplicii, Gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. Quod vero San-

Sanctorum PP. mens fuerit parvulos nulla pœna sensus esse puniendos clarissima Nazianzeni, & Ambrosii testimonia hoc docent, ille Oratione in Sanctum Lavacrum ante medium, hic in suis Commentariis explicans caput 5. Epistolæ ad Romanos. Imò huic sententiæ Augustinus ipse suffragatur, etiamsi ab aliquibus citetur tamquam accerrimus propugnator contrariæ opinionis, & hoc constat tum ex iis quæ scribit l. 5. in Julianum cap. 8. ubi neque audet pronunciare de Parvulis morientibus sine Baptismo illam Domini sententiam *melius erat ei si natus non fuisset homo ille*, quæ tamen de illis omnibus pronunciatur, qui sempiterno igne in Gehenna cruciantur, neque scit definire, quæ qualis, & quanta sit futura eorum pœna, tum maxime ex cæteris quæ scribit in cap. 23. libri 3. de Libero Arbitrio, quæ non retractavit neque in libro 1. Retractationum cap. 9. ubi hos libros ad trutinam vocat, neque in Epist. 28. ad Hieronymum, ubi disserit de parte quadam hujus citati cap. vigesimi tertii ubi tribuit parvulis non medium locum inter Cœlum, & Infernum, sed mediam sententiam inter præmium, & supplicium, quod unusquisque referet secundum opera sua. Hæc sunt S. Doctoris verba: *Dicunt qualis in futuro Judicio deputabitur, cui nec inter Justos locus est quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? quibus respondetur ad universitatis complexum, & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superfluo creari qualemcumque hominem ubi folium arboris nullum superfluo creatur; sed sane superfluo quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit, non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium*. Quod si in Sermone 14. de Verbis Apostoli contrarium scripsit Augustinus, advertendum est sic fuisse locutum, quia conducebat quod ita loqueretur, ut Pelagianos convinceret: Hinc factum etiam est quod ut robur huic contrariæ Sententiæ accederet, tum Augustinus, tum alii plura Sacræ Scripturæ loca citarunt. Sic ex cap.3. Matth. citarunt verba Præcursoris, in quibus de Christo Domino dixit: *Cujus ventilabrum in manu ejus, & mundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili;* item ex cap. 13. illa quibus Christus Dominus suos Discipulos erudivit in iis, quæ evenient in die Judicii, cum *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent illos in caminum ignis,* cum omnibus qui a sinistris erunt dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*. Citarunt item ex cap. 20. Apocal. hæc verba: *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem*, & ex cap. 21. mors secunda, *est stagnum ignis, & sulphuris*, & rursum ex eodem cap. 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, & alia citarunt ex aliis libris, sed satis patet Parabolas, illas ex quibus primæ auctoritates citantur, exprimere formam judicii eorum, qui sunt in Ecclesia, & propterea nihil dicere de infantibus, qui non sunt baptizati, quia sunt extra Ecclesiam; vel patet Scripturam loqui de adultis, qui secundum opera propria judicandi erunt, quæ opera in parvulis non sunt, & multo magis, si antequam nati sint decedant, nam de Jacob, & Esau nondum natis dictum est: *nihil boni vel mali egisse*. Quod vero Scriptura hæc opera præsupponat clarum fit ex iis quæ in citato c. 20. Apocal. leguntur: *Et libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex his, quæ scri-*

scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Tum ex iis quæ leguntur in cap. 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda*. Nec certe plurimum facit quod in laudato cap. 20. pusilli, & magni ad judicium vocentur, & qui undique mortui sunt. Priora siquidem verba per posteriora explicantur & illorum sensus clarus est, ex his quæ sequuntur: *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis*, quibus verbis ostenditur sensum Scripturæ referendum esse ad prædestinationem æternam, quæ omnes omnino homines respicit, & consequenter etiam infantes, qui nati non sunt. Hoc unum igitur ex singulis tum Scripturarum tum Patrum auctoritatibus inferri potest quod in illis non tractatur quæstio de parvulis, sed in genere de adultis damnatis, quapropter verissima esse illa singula, quæ in prædictis auctoritatibus leguntur, sed non per hoc inferri debet hujusmodi parvulos in Cœlum cum Beatis esse collocandos. Lex enim indicta est Cœlum patere non posse iis, qui renati non fuerint ex aqua & Spiritu S. Ad plurimum inferri poterit recipiendos esse in locum ubi est ignis, non tamen illo igne inflammandos esse, & cruciandos, & consequenter illorum animas, & corpora immunia a dolore erunt, & non erunt gloriosa. Imò S. Bonaventura addit, etiam aliquid gaudii inde parvulis esse futurum, quod considerent se evasisse aliorum damnatorum pœnas, & ex hac consideratione evasionis pœnarum oriri in illis quod neque tristentur per privationem Beatitudinis: sed D. Thomas hanc carentiam tristitiæ per privationem Beatitudinis repetit ex alio capite, quia nimirum parvuli illi probe intelligunt se nullam proportionem ad illam Beatitudinem unquam habuisse, eo quod & gratia, & usu liberi arbitrii caruerint, nisi cum Richardo fortasse dicendum sit non tristari parvulos singulari Dei providentia, qui dolorem ab eorum animis removet; quæ est etiam potissima ratio illorum Theologorum, qui parvulos sine Baptismate mortuos ad subterraneos locos pertinere docent, sed nullis pœnis cruciari, quia cum post judicium, corporum naturalium vis agendi in alia corpora tollatur, & si quæ agunt, tantum agunt ut instrumenta Divinæ justitiæ, ratio Divinæ justitiæ exigit, ut corpora parvulorum ignem non patiantur, quia Divina justitia non vult quod hæc pœna illi infligatur directè, & proprie, qui nullam habuit voluptatem, & qui se nunquam glorificavit.

X. His probabiliter dictis juxta varios Theologorum explicandi modos, illud omnino esse improbabile judicamus quod scripsit Ambrosius Catharinus in libro de Statu puerorum sine Baptismo decedentium, hujusmodi parvulos sine Baptismo morientes futuros post judicium beatos naturali beatitudine, & in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuo, feliciterque victuros, & hoc dicimus primo quia nulla ratio occurrit quæ demonstret hos parvulos post diem judicii non futuros sub potestate Diaboli, cum Theologica omnia loca contrarium probent. 2. quia locus in quem recipiuntur, quem carcerem esse inferni cum S. Thoma ferme omnes Theologi sustinent, immutabilis omnino est, cum post hanc vitam locus non sit misericordiæ, sed justitiæ. 3. quia necesse est quod careant illis perfectionibus, ex quibus Beatitudo naturalis resultat, & præcipue perfectione intelligentiæ per scientias, quas neque infusas habebunt, neque nec proprio labore acquirent. Non primum quia nec bonis operibus illas meruerunt, neque gratis illis donari poterunt, cum post mor-

tem non sit tempus gratiæ. Non secundum, quia ministerio sensuum parum juvari poterunt, quod quia valet etiam in ordine ad caput illud perfectionis, quod se tenet ex parte virtutum moralium, quæ plurimum ad naturæ felicitatem conducunt, quia ut ex hac vita discedent infantes, ita semper erunt aversi a Deo, ideo etiam ex hoc capite promoveri illorum Beatitudo naturalis non poterit. 4. tandem quia melioris conditionis essent infantes mortui cum peccato Originali quam ceteri, qui sine hoc peccato decessissent, singula enim commoda illa retulissent quæ a Catharino, Pyghio, aliisque hujus sententiæ propugnatoribus effinguntur, quibus alii caruissent, & ex peccato, hoc est quia in Adamo peccarunt, maximum præmium referrent. Præterea ex hac sententia sequitur parvulos Baptismo indigere, ut regeneratione adoptati admittantur ad Regnum Dei, & non ut non pereant, sed ut de bono trasferantur ad melius. Hoc autem quid aliud est quam hæresim Pelagii profiteri, ut Augustinus testatur in libro de Hæres. c. 88. Non meretur igitur Catharinus audiri, & quilibet alter, qui nullam salutem æternam præter Baptismum Christi non promittat infantibus, quam non promittit Scriptura Divina humanis omnibus ingeniis præferenda. Sed de his hactenus.

XI. Nunc dirimenda sunt nonnulla dubia, quæ moveri solent circa statum illarum Animarum, quæ in Purgatorio existunt: utrum scilicet illæ certæ sint de sua æterna salute, utrum in gratia sint confirmatæ, & utrum mereri possint. Evidentissimum est quod Augustinus scribit in libro de Correptione & gratia cap. 10. & 11. ubi *ad beatitudinis summæ plenitudinem*, ait, *pertinere, ut Sancti cadere non possint, ulterius & hoc de se certissime sciant. Istam summæ beatitudinis plenitudinem Angelos bonos tamquam præmium permansionis in gratia accepisse, idest, ut magna per Spiritum data abundantia Charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent. Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium stetisse ipsos, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruisse; tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Nobis beatam sine fine vitam promissam esse, & æqualitatem Angelorum, ex qua promissione certi sumus cum ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros.* Ex his Augustini verbis patet perfectam securitatem de perennitate beatitudinis illorum videri posse propriam, qui summæ beatitudinis plenitudinem attigerunt, seu qui Deo fruuntur, cum igitur Animæ Purgatorio addictæ Deo non fruantur, dici non poterit secundum mentem S. Augustini quod ipsæ certo cognoscant se nunquam in inferos esse detrudendas. Clarius vero hoc scripsit S. Doctor in cap. 24. lib. 21. de Civit. Dei ubi docuit quarumdam animarum sortem, eorum qui in Christo regenerati sunt, ad Judicium usque ultimum veluti suspensam manere, quibus tunc misericordia impertienda sit ut in ignem æternum non mittantur. Subjicimus S. Doctoris verba: *Nam pro Defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesia, vel quorumdam piorum exauditur Oratio. Sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse; nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessarium non habere. Sicut etiam facta resurrectione mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas quas patiuntur spiritus mortuorum impertietur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in fu-*

futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. Nec objiciat aliquis cum Riveto expositionem Verborum Christi: *non remittetur eis neque in hoc sæculo, neque in futuro assutam esse, quod non extet in antiquis libris Brugensibus, Coloniensibus, aliisque exemplaribus Friburgi excusis*, ut in Scholiis ad hunc Augustini locum observat Lodovicus Vives, nam præterquamquod hic Auctor, scilicet Ludovicus Vives notavit quod stylus non abhorret ab Augustiniano, illa verba legi in aliis melioris notæ Codicibus, viri doctissimi observarunt, & nihil in illis contineri quod dissonum sit, & quod non docuerint alii Doctores Catholici, & non infimi Subsellii, Dionysius in primis Carthusianus in libro de quatuor Novissimis articulo 47. & Gerson lectione 2. de Vita Spirituali, & Joan. Roffensis contra artic. 32. Lutheri. Fieri etiam potest quod hanc opinionem ille sit secutus qui preces composuit, quæ ab Ecclesia canuntur pro Defunctis, dum rogat ne illas animas Tartarus absorbeat &c. neque repugnat, sic tamen Deo volente, quod his animabus proprii status perfecta cognitio abscondatur, ut spem inter ac metum fluctuent, non secus ac Deus justos viventes hujusmodi anxietatibus probat, & purgat. Scriptura profecto, & Traditio nos non docent Purgatorii animas futuram beatitudinem suam certissime scire, solum Hæreticum est asserere Animas Purgatorio addictas desperationis motibus agitari ex gravissimis doloribus quos patiuntur, imò proprie desperare de sua salute, & in hoc gravissime peccare, quem errorem Lutherus priusquam Purgatorium negaret, amplexus est.

XII. Nihilominus communis Theologorum sententia est Purgatorio addictas animas ex effectibus, quos in se experiuntur cognoscere se non esse in statu damnationis. Experiuntur enim 1. se diligere Deum, detestari peccata, & nihil mali actu velle. 2. sciunt se esse in statu gratiæ. 3. vident se esse in loco, ubi Deus honoratur, & non blasphematur &c. quod si hæ cognitiones quæ eliciuntur ex fide, quam in hac vita Animæ habuerunt, communes non sint multis idiotis, qui justi moriuntur, sed sine fide, vel cognitione harum veritatum. Istorum Animæ certitudinem hanc in judicio particulari recipient, in quo sententia fertur, quæ ipsi animæ statim manifestatur, unde statim intelligent se dignas esse vita æterna propter sua bona merita, sed vitam hanc esse differendam propter temporalem pœnam quam prius redditure sunt usque ad ultimum quadrantem, & quia immutabilitatem sententiæ cognoscunt, de futura earum Beatitudine redduntur certissimæ. Nec concedi potest, quod Animæ illæ propter nimios dolores impediantur a cognitione sui status, ut constat ex cap.16. Lucæ, ex quo eruitur quod anima Epulonis non impediebatur ab hac cognitione, quamquam in profundum Inferni demersa esset, & flamma ardentissima torqueretur, ergo multo minus impedientur Animæ, quæ in Purgatorio erunt.

XIII. Ad alteram difficultatem, quæ agit de statu gratiæ Animarum Purgatorii, respondemus fuisse impiam Lutheri opinionem quod illæ Animæ semper peccarent, ac desperarent salutem, contra quem errorem facit id quod ait Augustinus in libro de Prædestinat. Sanctorum c. 14. nullum fidelem dubitare posse cum hac vita finiri pericula peccandi, quod etiam dixerat Cyprianus in libro de Mortalitate, quemadmodum post Augustinum idem asseruerunt tum Gregorius 12. Moral. c. 3. & 4. tum Bernardus in Serm. 49. ex parvis. Nec aliud eruitur ex verbis Ecclesiastici cap. 11. *si ceciderit lignum*

gnum ad Austrum, aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit ibi erit. Sensus enim horum verborum est, quod post hanc vitam nemo possit a statu Justitiæ, vel a statu peccati mutari in contrarium, sed in eo statu singulos immobiliter permanere, in quo post finem vitæ reperiuntur. Quod vero dicat Lutherus animas justas Purgatorio addictas peccare horrendo, & fugiendo pœnas illas justas, suumque commodum quærendo, & se ipsas amando amore concupiscentiæ, hoc vanum est. Siquidem hic horror, hæc fuga, hic amor per se malus non est, cum possit esse tum ex bono affectu naturæ, tum ex propensione Charitatis ad videndum Deum, aliunde vero hunc eundem affectum Divinæ ordinationi subjiciunt, & absoluta voluntate nolunt inde liberari, quatenus pœnas considerant ut instrumenta per quæ purgantur. Certum est apud omnes Christum Dominum propter horrorem ad futuras pœnas dixisse Matth. 26. *Pater transfer calicem hunc a me*, & tamen quis affirmabit illum propterea peccasse, cum æque certum sit illum non potuisse peccare? Hinc est quod Augustinus de pœnis loquens in lib. 10. Confess. c. 28. *Tolerari*. inquit, *eas jubes non amare, nemo autem quod tolerat amat, quamvis tolerare amet, propter amatum*, ut patet ex verbis Eleazari 2. Machab. 6. *Tu scis Domine, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo labores, secundum animum vero propter timorem tuum libenter hæc patior*, ut libenter Ecclesiæ Martyres acerbissimos pertulerunt dolores, & si qui postulabant, vel omnino, vel cito liberari, hoc optabant ut possent magis, & melius Deum laudare, sive secundum Dei voluntatem, & per media quæ Deus instituit. Præterea Lutherus repugnantia docet dum statuit Animas quæ in Purgatorio sunt posse mereri, quia imperfectæ in charitate sunt, & dum ex hoc quod imperfectæ in Charitate sunt, infert easdem timere pœnas, & timendo peccare; siquidem peccare, & mereri pugnant inter se, non secus ac repugnat habere charitatem imperfectam, & amare Deum amore concupiscentiæ, & velle pœnas refugere, qui enim ita agit nullam charitatem habet, nec locus illius Purgatorium, sed Infernus esset. Reliquum igitur est quod dicamus in ipso mortis instanti, & separationis a corpore animas illas confirmari in gratia, & in bono, ita ut amplius peccare non possint, sive postea hanc confirmationem habeant propter internam aliquam perfectionem actualem, habitualem, vel naturalem, sive per Divinam gratiam, & protectionem illis advenientem ratione talis status, quod secundum dictu verisimilius est, & fundamentum reperit in simili privilegio, quod Deus concessit Animabus Sanctorum Patrum in Sinu Abrahæ, & illorum viatorum, quibus interdum Deus concessit ut nunquam peccarent.

XIV. Ex hoc, quod ostensum est Animas Purgatorii demereri non posse, colligitur neque posse easdem mereri, quod est ultimum eorum, quæ inquirebantur. *Mortui nihil noverunt amplius, neque habent ultra mercedem*, scripsit Ecclesiastes in cap. 9. & hoc principium communi totius Ecclesiæ consensu receptum est; quapropter Lucæ 18. dictum est: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*; ut cap. 16. iratus Dominus difamato villico dixerat: *redde rationem villicationis tuæ jam enim non poteris amplius villicare*, mereri scilicet, & lucrari, sic enim hunc locum exponunt Ambrosius, & Theophilactus, Hieronymus item q. 61. ad Algasiam, & Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 27. *quia tempus non erit amplius*, ut Angelus Apocalypsis 10. *juravit per viventem*

tem in Sæcula Sæculorum. His consonat illud, quod legitur in Parabola de Talentis Matth. 25. & in Parabola vineæ, & similibus; unde Ecclesiast. 18. ob hanc caussam dictum est: *nec verearis usque ad mortem justificari*, quia tempus justitiæ acquirendæ est ante judicium, nam de his, quæ postea sequuntur nulli judicantur, quemadmodum damnatorum animæ non judicantur de malis actibus, quos in Inferno faciunt, neque animæ beatæ de bonis actibus, quos operantur in patria. Opportune itaque Chrysostomus hom. 27. in Matth. *præsens*, inquit, *hæc vita tam recte, quam contra tibi vivendi tribuit potestatem. postquam vero diem tuum obieris, Judicium, & Pœna consequetur.*

XV. Quanquam efficacissimæ sint hæ rationes, Lutherus tamen contra Catholicum dogma docuit Purgatorii animas posse mereri, ut proficiant in charitate, in qua nondum sunt perfectæ, & ut gratiam habeant consummatam, quod eo dicitur probabilius, quo certius est illas nondum esse in termino, sed in via, in quo statu, aut progredi, aut regredi oportere S. Bernardus docuit cum scripsit: *in via Dei non progredi esse retrogredi*. Accedit demum, quod Animabus Purgatorii non desunt ea, quæ necessaria sunt ad merendum, quia habent gratiam, fidem, spem, charitatem, & liberum arbitrium, quare S. Thomas in 4. dist. 21. q. 1. a. 3. ad 4. ait, *quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse. quamdiu manet homo in statu viæ aliquo modo, & ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpæ venialis.*

XVI. Nihil vero horum Catholicam sententiam evertit, quæ ex mox dicendis robustius confirmatur. Primum illud, quod Lutherus supponit falsissimum est, si loqui contendat de charitate essentiali, quæ respicit præceptorum Divinorum observantiam, dicente Scriptura 1. Jo. 2. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*. Si vero Lutherus loquitur de charitate illa per quam anima actu, & immobiliter suo ultimo fini conjungitur, Animarum Purgatorii charitas perfici poterit, sed nullis adjunctis meritis novis, sed tamquam præmium meritorum, quæ jam præterierunt, ex quo constat augmentum hoc se habere in genere gloriæ, non gratiæ, ut remunerentur omnia præterita merita, quod demum fiet in ipsa Beatitudine. Quod si cui mirum videatur Animas perfectas puniri, hic animadvertat non repugnare perfectioni charitatis in via reatum pœnæ, pro quo satisfaciendum sit in Purgatorio; nam quod Petrus scribat in sua 1. Epist. cap. 4. quod *Charitas operit multitudinem peccatorum*, hoc verum semper est, si sermo sit de culpa, sed non semper est verum de pœna, quam charitas non semper tollit per actum suum proprium, sed per opera satisfactoria ab ipsa charitate imperata.

Ad secundum respondetur verum quidem esse Animas Purgatorii non habere gratiam consummatam quoad hoc, quod conjunctæ non sunt suo fini, quia nondum Deo conjunguntur, & nondum illum clare vident, & possident, tamen gratia in illis quoad intensionem consummata est, quia hæc in illis nunquam crescere poterit, quia ut Hieronymus ait in cap. 9. Eccles. *mortui nihil valent ad id adiicere, quod semel secum tulere de vita, nec juste possunt agere, nec virtutes adiicere: etenim in mortis instanti habuit homo gradus omnes gratiæ, quos in hac vita aliquo titulo promeruit, nec habebit ultra mercedem*, ex quo sequitur falsum esse, quod Animæ Purgatorio addictæ sint in via, nam revera sunt in termino, & perperam S. Ber-

Bernardum citari, qui tamen non dicit, quod in omni opere nos mereamur augmentum gratiæ, aut aliquid ejusdem perdere, sed quod *ii, qui proficere negligunt magna sibi spiritualis vitæ commoda detrahunt*.

Neque Catholicis illis subscribimus, qui omnia ad meritum necessaria in Animabus Purgatorii reperiri dicunt, nam illis deest status viæ, qui cum vita finitur, quantum ex Scriptura colligi potest: quod si bona, & mala earum opera post hanc vitam leguntur, Animarum gloriæ, & earumdem damnationi effectus hujusmodi attribuendos esse fatentur omnes, qui de hac materia scripserunt. Neque satis intelligi potest quid sibi voluerit D. Thomas cum ait: *in Purgatorio posse esse actum meritorium quantum ad remissionem culpæ venialis*, nam q. 7. de Malo a. 11. contrarium docuit, ut contrarium docuerunt S. Bonaventura, & Richardus in dicta Distinctione, & Adrianus q. 4. de Confessione, Scotus, Durandus, aliique. Vult itaque Bellarminus in sua Controversia de Purgatorio lib. 2. cap. 3. quod S. Thomas nomen *Meriti* improprie usurpaverit, vocavit enim actum dilectionis in Purgatorio meritorium remissionis culpæ venialis, quia est remissories, licet non per modum meriti proprie dicti, sed per modum contrarii tollentis suum contrarium. Non solum remissionem culpæ venialis mereri non possunt Purgatorii Animæ, ut ex dictis compertum est, sed neque aliquid ab eis fieri potest, quod ad earum liberationem, seu breviorem exitum pertineat. Id ex D. Augustino colligimus, qui in cap. 110. Enchir. *Suffragia viventium illis non prodesse*, ait, *qui prius in hac vita sibi hoc non meruerunt*; unde verisimile est ipsas Animas sibi non petere hanc ab illa pœna liberationem, posse vero eamdem obtinere per aliorum satisfactionem improbabile non est; quemadmodum ipsas impetrare solatium aliquod, consolationesque per Angelos eorum statui non repugnat.

XVII. Illud, quod ex verisimiliori sententia repugnat est, quod Animæ Purgatorii orent pro nobis, & possint aliquid nobis mereri, aut impetrare, quia nec rebus nostris intersunt, ut Augustinus probat in libro de Cura pro mortuis cap. 13. nec in Deo Orationes nostras vident, quod proprium est animarum, quæ beatæ sunt, nec verisimile est, quod illis ordinarie reveletur quid nos agamus, vel putamus, addit D. Thomas 2. 2. q. 83. a. 11. ad 3. *quia sunt nobis inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur, & secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis, ut oretur pro eis*. Mortui, qui cum Christo regnant hi pro viventibus orant, nobisque merentur, & de hoc in pluribus argumentum habemus, sive in Veteri, sive in Novo Testamento. In veteri quidem nam 4. Regum 13. Elisæus mortuus mortuum alium suscitavit. 2. Machab. 15. Onias, & Jeremias jamdudum defuncti visi sunt orare pro populo Judæorum, & Apochalypsis 5. describuntur viginti quatuor Seniores in Cœlo procidisse coram Throno Dei habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum, quas Orationes Scholia Græca apud Oecumenium, & Gagneum dicunt intercessiones esse pro infirmorum stabilitate. In Novo etiam Testamento idem legitur nam singula illa loca, quæ ostendunt Communionem Ecclesiæ militantis, cum triumphante veritatem hanc probant, nulla enim esset hæc communio, si membra pro invicem non essent solicita, & invicem se non juvarent, ut docet Apostolus ad Rom. 12. & 1. ad Cor. 12. Hinc est, quod Moyses Exodi 32. orat *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum*, & Daniel. 3. dici-

citur. *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum.* & Paulus ad Rom. 15. *Obsecro*, inquit, *vos fratres, ut adjuvetis me in Orationibus pro me ad Deum*, & Petrus in 2. sua Epist. cap. 1. ait. *Dabo operam, & frequenter habere vos* (scilicet commendare) *post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Neque aliter senserunt Patres sextæ Synodi Generalis in cap. 7. ex canonibus recens editis, item Patres VII. Synodi Actione 6. in fine, quibus addi possunt decreta Concilii Gerundensis cap. 3. Aurelianensis 1. cap. 29. Moguntini sub Carolo Magno cap. 33. Toletani V. cap. 1. & sexti cap. 2. & Bracarensis II. cap. 9. quæ singula monumenta evidenter probant fuisse hallucinatum Calvinum, Lutherum, Melanctonum, & Brentium dum lib. 1. Instit. cap. 14. §. 12. & lib. 3. cap. 20. §. 20. & in libris ad Waldenses, & in Apolog. artic. 21. Confes. August. & cap. 24. Confessionis Wittemberg. docuerunt in Scriptura non inveniri, quod Sancti mortui orent pro vivis, vel si orent non nisi in genere orent, & propterea illicitum esse, & inutile eosdem invocare, vel quia preces nostras non audiant, vel quia Christus solus unicus est mediator, & intercessor noster. Apertissimum etiam mendacium est illud, quod Kemnitius scripsit in Examine Sess. XXII. Concilii Tridentini invocationem Sanctorum cœpisse post tempore Augustini, & quod dicit in Examine Sess. XXV. Auctorem invocationis B. Mariæ Virginis fuisse Petrum Gnapheum. Hujus generis sunt mirabilia illa multa, quæ Calvinus congerit in citato lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21. & 22. ubi pro sua sententia citat Concilium III. Carthaginense pessimo ratiocinio, quia infert non posse Sanctos invocari, quia Concilium dixit: *Orationes sacrificantium dirigendas esse ad Patrem non ad filium, vel Spiritum Sanctum*, nulla de Sanctis facta mentione. Omittimus petere ex Augustino, Hieronymo, Basilio, Athanasio, Irenæo aliisque sexcentis Patribus testimonia nam Heterodoxos ipsos non latent, quia citantur a Centuriatoribus in cap. 4. Centuriæ 4. & in cap. 4. Centuriæ 5. solum notamus 1. non licere a Sanctis petere, ut nobis tamquam auctores divinorum beneficiorum gloriam, vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant, quia *gratiam, & gloriam dat Dominus*, ut dicitur in Psalmo 83. *& omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*, ut scripsit Jacobus in sua Epistola cap. 1. Notamus etiam 2. Sanctos non esse immediatos intercessores nostros apud Deum, sed quidquid a Deo nobis impetrant per Christum ejus impetrare, quia ut Paulus ad Coloss. 1. inquit, *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem Crucis ejus quæ in terris, & quæ in Cælis sunt*; vel ut Joannes in sua 1. Epist. cap. 2. dixit, *ipse* (scilicet Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, solus ille advocatus apud Patrem, & ad quem nemo venit nisi per ipsum.*

XVIII. Contra primam partem postremæ hujus assertionis reponi possent beneficia illa per Animas Purgatorii impetrata ab illis, qui eas orant, & quos easdem orare sciunt, vel per suos, vel per Angelos nostros, vel per utrosque, quod videtur valde consentaneum, tum propter bonum viventium, tum propter earum Animarum solatium. Verum oporteret ostendere, quod quæ impetrant, qui eas orant beneficia, tantum ex earum ope, non potius ex viventium fide, & devotione emergerent, & ab Angelis suscipienti-

bus

bus eorumdem vivorum preces, & repræsentantes earum pesonas: quod ultimum noluit Augustinus definire in libro de Spiritu, & Anima cap. 9. Certe Angelorum Ministerium Scriptura commemorat, dum Tobiæ sepelientis mortuorum cadavera pietatem commendat: sic enim loquitur Tobiæ 12. Angelus: *quando orabas cum lacbrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli Orationem tuam Domino, & tunc misit me Dominus, ut curarem te, & Saram Uxorem filii tui a Dæmonio liberarem*; cur ergo dicendum non est, & alia beneficia fuisse a Deo per Angelos collata viventibus ob preces fusas pro Defunctis? Concedamus autem posse Angelos Orationes, & necessitates nostras Animabus Purgatorii revelare, sed quare iidem Angeli Animarum cruciatus nobis non manifestant, quod æquius esset, cum ipsæ plurimum nostrarum Orationum indigeant? Nulli autem sunt, qui illos nobis revelent; ita inverisimile videtur, quod Orationes, & necessitates nostræ ab Angelis, vel nostris, vel earum Custodibus revelentur Animabus Defunctorum, ut illæ pro nobis orent, quod certe sine Dei specialissima dispensatione fieri nequit. *Hoc enim ipso, quod dereliquerunt nos Patres nostri, ut dicit Psalmus 26. nostris curis, & rebus non intersunt, neque vivorum rebus, atque actibus cognoscendis, adjuvandisque miscentur, cum ibi sint ubi non vident, quæ aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus*, verba sunt Augustini in libro de Cura pro mortuis cap. 13. cujus Sententiam secuti viri doctissimi, Orationem ad ipsas directam vanam esse, & otiosam dixerunt, & superfluum videri ab eis ordinarie petere, ut orent pro nobis.

XIX. Movet nonnullos id, quod Lucæ 16. scribitur de Divite, qui oravit pro Fratribus suis cum esset in Inferno, in majoribus scilicet tormentis, quam sint Animæ in Purgatorio. Movet constans illa & fere omnium Doctorum opinio, quod illi qui a Deo, & loco, & mente plurimum distant, ut sunt peccatores viventes, quos certum est non mereri, tamen possint orare, & satisfacere, Indulgentias lucrando pro Animabus Purgatorii. Movet insuper quod Animæ pietate insignes dum viverent se, suaque omnia consuevisse commendare Animabus Purgatorii, quarum precibus ea statim obtinuerunt, quæ interposito Cœlitum patrocinio nunquam consequi potuerunt. Movet denique damnum illud certo Animabus Defunctorum eventurum spe sublata fidelibus eas orare, & preces fundere pro nobis, omnis enim tepescet, quæ ad eas a piis fidelibus habetur devotio, & extinguetur omninò.

XX. Nihilominus major Theologorum pars his momentis non flectitur, nec alia docet ab illis, quæ semper docuit, nec fertur in partes contrarias.

Ad primum itaque dicit eos qui flammis cruciantur æternis orare Oratione proprie tali non posse, quia fide, spe, & charitate destituuntur, quæ ad veram Orationem sunt necessaria, & Deum e contra summo odio prosequuntur, & propterea Divitis petitionem non fuisse veræ Orationis affectum, sed meræ passionis effectum, quia ille non oravit pro suis, sed pro se, ne per descensum eorum in Infernum ejus pœna augeretur, & certe de eodem Divite non ait Augustinus, quod *preces fudit*, sed quod *illi fuit cura de vivis*, Cura autem est solicitudo, quæ manet in corde, & differt a prece, quæ exit, & ad eum tendit, a quo aliquid petimus, porro Divitis oratio ad Deum non potuit tendere, qui eo quod recepisset bono in vita sua, se Inferni flammis ardere clamavit. Constat igitur, quod non pœna solum, sed status Defunctorum impedit, ne illi orent pro nobis,

& ne

& ne nos illos oremus: *Ad eos*, inquit Antoninus part. 4. Sum. Theol. tit. 15. cap. 8. §. 2. in fine, *qui sunt in Purgatorio non est dirigenda oratio cum sint in afflictione, sed nec supplicatio sicut ad bonos, qui sunt in mundo, quia non sunt in statu merendi sicut illi*, vel ut argumentatur Præceptor Angelicus in 4. Senten. dist. 15. q. 4. a. 5. quæstiunc. 2. in argumento sed contra, *quia non est ejusdem orare, & quod pro eodem oretur, sed pro omnibus, qui sunt in mundo, vel Purgatorio oratur: ergo ipsi non debent orari*.

Ad 2. respondetur, quod verum est, quod peccatores pro se, & pro aliis orare possunt, vel quia sæpius culpas intermittunt, vel quia non ita ipsi suas culpas concipiunt, ut vereantur supplices ad Deum accedere, & demum quia sunt in via, sunt liberi, & Deum habent misericordem, & volentem illis omne beneficium præstare. Hæc autem singula affirmari non possunt de Animabus Purgatorii, quæ adeo amantes sunt Ordinis a Divina justitia constituti, ut vel si concederetur eisdem a flammis illis emergere, prius quam Divinis juribus factum aliunde esset satis, mallent hærere. Habent certe hoc, quod nobis sunt charitate, & gratia superiores, quia confirmatæ in utrisque, verum quoniam nox pro eis venit, & operari non valent, diro carceri donec totum debitum solverint sunt mancipatæ, ut nulli earum ad summi Regis præsentiam, & colloquium accedere permissum sit. Pro his vero Animabus lucrari posse indulgentias mortali crimine obstrictos res adeo certa non est, cum clarissimi viri contrariam sequantur opinionem, ut suo loco observabimus; sed quanquam etiam hoc certum sit, nil nostræ refragatur Conclusioni, nam qui has Indulgentias lucratur pro Defunctis, non ex propriis meritis, sed ex thesauro Ecclesiæ, & meritorum Christi eisdem suffragatur. Incongrue igitur adducitur hoc exemplum, quia semper est verum, quod Animæ dum purgantur, neque pro se, neque pro vivis orare possint.

Nihil vero officiunt Piorum quorumdam testimonia in tertio argumento indicata. Primo quia unicum est testimonium, quod potest objici, & illud suppeditat Sancta Catharina Bononiensis, cujus meminit Pignatellus in Consultatione 104. Tomi 9. Aliter vero rem ipsam narrant Bollandistæ in ejusdem Virginis Actis capite 12. sic enim inquiunt, *ferventer orabat pro Animabus Purgatorii, & ad id faciendum alias hortabatur*, & apud eosdem auctores morem suum ita eadem Sancta Virgo exponit: *Recurro ad Animas in locis Purgatoriis existentes, ut meo nomine apud Deum Legatione fungantur.* Alterutra autem harum Sententiarum nihil favet contrariæ opinioni; non prima, quia nullus docet non esse orandum pro Animabus Purgatorii, sed hanc Orationem adprobant omnes. Ex secunda vero sententia sufficienter Sanctæ Virginis intentio colligitur, eo videlicet animo ipsam suis precibus ad Animas Purgatorii recurrisse, ut post earum egressum ipsarum precibus facilius a Deo exaudiretur. Dixi *facilius*, quia Cœlites alii tantum ex charitate, illæ vero viventium suffragiis de Purgatorio egressæ, & Cœlum ingressæ, ex gratitudine Deum pro suis benefactoribus sollicitant. Quod si urgeatur, quod etiam antequam Dei consortio, & præsentia fruantur conferre viventibus beneficia, eo quod in Dialogis Gregorii legatur Paschasium in Purgatorio existentem perpetrasse miraculum: Respondebit D. Thomas in Distinctione supra citata ad 2. *In miraculis præcipue attenditur fides, & devotio orantis*,

tis, unde etiam Dominus mulieri, quam sanavit dixit: fides tua te salvam fecit. Et quia ille Paschasius propter excellentiam meritorum credebatur in Patria esse, ideo orabatur, & talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tunc, ut vita illius approbaretur, non quod ille pro aliis in Purgatorio existens oraret, vel ut ait Antoninus loco supra citato *non quia Paschasius hoc procuraverit, sed ex fide, & devotione orantis.* Si demum adducuntur exempla eorum, quibus visi sunt Defuncti multa, & magna præstare auxilia in extremo periculo constitutis, responderi poterit, quod in cap. 11. lib. de Cura gerenda pro mortuis Augustinus respondit, ut explicaret id, quod Eulogio olim suo in arte Rhetorica discipulo, mox publico Magistro contigit, cum offendens in locum quemdam obscurum in Rhetoricis Ciceronis libris, quos discipulis explicabat, nec sciret quomodo illum explicaret, sibi somnianti visus est, quod non intelligebat exposuisse Augustinum, imò non illum, sed ejus imaginem Augustino nesciente: *quomodo ista fiant nescit: sed quomodolibet fiant cur non eodem modo fieri creditur, ut in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit, ut videat, & vivum, ambobus utique nescientibus, neque curantibus quis, vel ubi, vel quomodo eorum imagines somniet.* Falso tandem a nonnullis objicitur devotionem ad pias Animas per nostram sententiam extingui cum potius excitetur, & reparetur. Extingueretur profecto si animarum illarum favor, & nostra in eas devotio in precibus, quas fundimus ad eas fundaretur. Vera devotio in hoc sita est, ut Animæ per nostra suffragia juventur, & nostra sententia hoc præscribit esse faciendum. Orantes ad eas, oleum, & operam perdunt, si orent pro eis, sibi, & illis proficiunt, quam plurimum. Optimam igitur est hanc docere sententiam, & illam refellere, quæ dubiam, & forte vanam devotionem adstruit tamquam certam, atque legitimam. *Omissis, quæ a puritate Evangelii aliena sunt,* inquit Trevirense Concilium sub Paulo III. cap. 4. *verbum veritatis concionatores tractent, sed nec opinabilia, ac dubia pro certis, ac receptis asseverare audeant; ab Apocryphis abstineant, & quæ Ecclesia occultanda esse decrevit, non promulgabunt*, quod signanter in Decreto Purgatorii statuerunt Tridentini Patres Sess. XXIII. jubentes Episcopis ne in concionibus popularibus incerta, & quæ specie falsi laborant tractari permittant. Incertam autem esse, & specie falsi laborare opinionem, quæ docet Animas de igne expiatorio in quo purgantur orare pro nobis, pie, ac utiliter exorari, suaderi potest ex hoc, quod primus omnium hanc sententiam tradidit Medina de Oratione num. 4. & 5. cum antea Patres Ecclesiæ, & Theologi omnes contrariam opinionem docuerint, & ad quinque supra decem usque Sæcula opinio hæc constantissime in Ecclesia asserta perseveravit, quæ Ecclesia orat quidem pro mortuis, sed non orat mortuos, nisi quos credit vivere, & regnare cum Deo in Cœlo, cumque doctrinam Patrum semper sequatur Ecclesia, liquet Animas in Purgatorio detentas orandas non esse idque Patres omnes docuisse. Sicuti ergo Augustinus in sæpe citato libro de Cura pro mort. cap. 11. probat nos debere pro Defunctis orare, quia Universalis Ecclesia orat; ita a pari quia Ecclesia nunquam Defunctos orat, neque nos eosdem orare debemus: *Absit enim, ut SS. Virorum scripta Modernorum sustineant præjudicia, & flocci pendant posteriorum sensa, quorum venerantur memorias* Mabbilon. lib. 5. Annal. num. 45.

CA-

CAPUT IV.

DE MEDIIS, QUIBUS SOLVI POTEST PURGATORIA POENA PECCATIS DEBITA PER ALTERIUS ACTIONEM, VEL PASSIONEM ALTERI CONVENIENTEM.

AUxilium, quod unus fidelis præbet alteri ad obtinendam a Deo remissionem pœnæ temporalis a D. Thoma in 4. dist. 45. aliisque Theologis communiter appellatur *Suffragium*. Sequitur ergo Suffragium esse opus quoddam meritorium, siquidem nisi tale esset, alteri prodesse non posset. Quia vero omne opus meritorium, quod alteri prodest, vel tale est ex opere operato, vel ex opere operantis, & primi generis sunt Sacrificia, & Indulgentiæ, alterius vero generis sunt Oratio, & opera quæcumque pœnalia, & satisfactoria, ut Eleemosina, Jejunia, Peregrinationes, & his similia, superest, ut examinemus nunc suprema illa Controversiarum Capita, quæ ab Heterodoxis seliguntur, ut negent prodesse Defunctis vivorum Suffragia. Monemus tamen de Sacrificio Missæ, quod Animabus Purgatorii ex opere operato prodesse potest nos hic nihil dicere, quia de hoc satis diximus in Parte II. Tractatus de Sacramento Eucharistiæ; quemadmodum etiam omittimus de iis disputare, quæ respiciunt naturam Indulgentiarum, quia hoc præstabimus in alio Tractatu, unde hic solum agimus de Suffragiis illis, quæ operantur ex merito, & dispositione agentis, circa quæ tria inquirimus. Primo an hujusmodi Suffragia inter fideles reperiantur. Secundo a quibus, & quomodo fieri possint. Tertio utrum Defunctis omnibus prosint.

§ I. *Possunt Fideles sese mutuo juvare ad satisfaciendum pro peccatis.*

I. Contra Wiclephi, & Lutheranorum errorem est præsens assertio, qui negant posse unum fidelem alios juvare ad satisfaciendum pro peccatis, seu ad remissionem pœnæ temporalis. Eruitur hæc veritas ex iis, quæ profitemur in Symboli articulo de Sanctorum Communione, per quam qui sunt viva Christi membra in bonis operibus communicant, & singuli invicem adjuvantur, quod efficaciter Apostolus primo in 1. ad Cor. 12. expressit, exemplum instituens in membris corporis, quæ omnia in unum conspirant, ut consurgat unum integrum corpus, & talia sint, ut sibi mutuo sint necessaria; & rursum in 2. ad eosdem Cor. Epist. cap. 1. idem efficacius scripsit, ubi commemorans se Dei ope e multis ereptum fuisse tribulationibus, ut alios consolaretur, orationibus eorum se commendat; *ut ex multorum Personis, ejus quæ in vobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis*. Efficacius adhuc idem constat ex ejusdem Pauli verbis ad Colos. 1. ubi *gaudeo*, inquit, *in passionibus pro vobis, & adimpleo, ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego Minister secundum dispositionem Dei*. In qua sententia Apostolus docet, quod licet Christus suis pœnis abunde pro nobis satisfecerit, tamen quia voluit, ut suæ passionis fructus Ecclesiæ membris applicaretur per passiones, & labores aliorum, propterea ipse adimplevit in carne sua, quod Christus voluit, ut

ut passiones Carnis suæ conjunctæ passionibus Christi sibi, & universæ Ecclesiæ prodessent.

Non dissentit ab hac explicatione Augustinus in Psalmo 61. *Patitur Christus*, inquit, *in membris suis, idest in nobis ipsis ad communem hanc quasi rempublicam, nam quisque pro modulo nostro exsolvimus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum, quasi canonem passionum inferrimus paritoria plenaria* (*Paritoria*, inquit D. Thomas, *est vas, vel domus ubi pariter multa inferuntur*) igitur etiam ex D. Augustino intelligimus passiones Sanctorum aliis prodesse, quod visus est ipse quoque Origenes insinuare homil. 24. in Numeros, quando inquit, *ad expiandum pro parte aliqua populum, aliorum Sanctorum, & justorum sanguinem valere*. Nec aliud ostendit antiqua Ecclesiæ consuetudo si antiquissimi Ecclesiastici Auctores consulantur, Tertullianus, & Cyprianus, qui *consuevisse*, scribunt, *Ecclesiarum Pastores publicis Pœnitentibus aliquid de pœna remittere propter Confessorum, & Martyrum intercessiones*: Legatur Tertullianus in libro ad Martyr. cap. 1. Legantur Cypriani Epistolæ, & inter ceteras 13. 14. 15. libri 3. Neque caruerunt fundamento a Scripturis petito, *crediderunt enim auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis potuisse*, sicuti Paulus in 2. ad Cor. 2. ita se gessisse scripsit, idest se rogatum a Corinthiis homini incestuoso aliquid donasse propter illos; quia vero addidit se *idem fecisse in Persona Christi*, necessarium est dicere, etiam Christum Dominum remittere quibusdam peccatorum pœnas propter aliorum, sive intercessiones, sive satisfactiones.

II. Placuit utrumque conjungere, ut refellerem, quod a quibusdam Theologis est traditum, videlicet unum fidelem posse alteri suffragium ferre solum impetrando, ut Deus illi pœnam remittat, quod putent debitum pœnæ non esse reale, sed tantum personale, & propterea non posse per alium solvi, quia non potest per alienum factum contrahi, non secus ac meritum gratiæ, & gloriæ, quod ita personale est, ut nullus possit alteri suum meritum præstare, ut alteri valeat ad gloriam obtinendam. Fundamentum itaque nostrum robustius est fundamento adversariorum, quia non solum nitimur auctoritati, & veterum, & Recentiorum fere omnium Theologorum, sed insuper habemus Concilii Tridentini Catechismum, qui totam Sacramenti Pœnitentiæ doctrinam his verbis concludit: *Summa Dei bonitas, & clementia, maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, quæ humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere .... nec vero cuiquam fidelium de hoc dubitandi locus relictus est, quia in Apostolorum Symbolo Sanctorum Communionem profitemur*. Ex his Catechismi verbis patet solum ex Divina institutione factum esse, ut fideles sibi invicem petant suffragium illud, quod ab aliquibus controvertitur cum læsione Divinæ potestatis, imò contra ipsam facti experientiam in actibus contrariis, in quibus cognovimus Deum sæpe consuevisse, & solere peccata Patrum in filios, aliasque conjunctas personas punire. Certe specialissima unio est fideles inter propter virtutem Charitatis; hujus itaque intuitu optime servata justitiæ æquitate a Deo concedi poterit, ut vel per nos, vel per amicos pro temporali pœna satisfaciamus. Neque aliud eruitur ex perpetua Ecclesiæ traditione ex Scripturis supra citatis, ex unanimi Theologorum consensione, ex ipso nomine satisfactionis, quo Catechismus utitur, ex conditione gratiæ, quæ in satisfaciente requiritur, & postremo ex Ecclesiæ spirituali Thesauro, ex satisfactio-

ctionibus Christi conflato, & ex superabundantibus Sanctorum satisfactionibus, quo Ecclesia utitur ad redimendos fideles a suis debitis.

III. Principali itaque contrariæ sententiæ argumento satis ab illis factum esse putamus, qui negant debitum, de quo loquitur argumentum esse ita personale, ut necessario sit solvendum ab eo, qui illud contrahit; & probatur exemplo satisfactionis Christi, qua debitum nostrum solvit, cum se ipsum tradidit propter *iniquitates nostras, & propter scelera nostra. cujus livore Sanati sumus*. Nec valet allata paritas, quia ut scribit S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a. 2. ad 1. *præmium essentiale redditur secundum dispositionem hominis, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis Divinæ; & ideo sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur præmium essentiale, nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cujus merito solo pueri baptizati ad vitam æternam perveniunt, sed pœna temporalis pro peccato debita post culpæ remissionem non taxatur secundum dispositionem ejus, cui debetur, quia quandoque ille, qui est melior habet majoris pœnæ reatum; & ideo quantum ad pœnæ dimissionem unus alteri mereri potest, & actus unius efficitur alterius charitate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo*. Poterunt objicere Adversarii ea, quæ Paulus ad Galat. 6. ait: *Unusquisque onus suum portabit*; vel quæ ad Cor. in 2. cap. 5. inquit: *Unusquisque recipiet pro ut gessit in corpore*, & quod legitur in Psalmo 61. *Tu reddes unicuique secundum opera sua*. Sed quis ignorat loca illa demonstrare id, quod in retributione finali continget?

IV. Hoc unum tamen advertere necessarium est cum eodem D. Thoma dist. 45. q. 2. a. 1. q. 4. *quod opus suffragii, quod pro altero fit potest considerari dupliciter, uno modo, ut est expiativum pœnæ per modum cujusdam compensationis, quæ in satisfactione attenditur, & hoc modo opus Suffragii, quod reputatur quasi ejus pro quo fit, ita absolvit eum a debito pœnæ, quod non absolvit facientem a debito pœnæ propriæ, quia in tali recompensatione consideratur æqualitas justitiæ: opus autem istud satisfactorium ita potest adæquari reatui uni, quod alteri non æquatur. Reatus enim duorum peccatorum majorem satisfactionem requirunt, quam reatus unius: Alio modo potest considerari inquantum est meritorum vitæ æternæ, quod habet inquantum procedit ex radice charitatis, & secundum hoc, non solum prodest ei, pro quo fit, sed facienti magis*.

V. Advertendum insuper est cum eodem Angelico Præceptore 3. contra Gentes cap. 158. *quod affectio Charitatis in eo, qui pro amico patitur facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur*; unde concludunt plures Theologi hujusmodi satisfactionem habere infallibilem effectum, & plus valere ad majorem effectum remissionis pœnæ, quod repetunt tum ex opere ipso, quod cum majori quadam, magisque spontanea Charitate offertur pro alio, in quo vident reperiri sufficientem proportionem ad compensandam majorem pœnam, tum ex parte Dei, quem cognoscunt paratum ad talem satisfactionem acceptandam. Aliam vero caussam, & fortasse efficaciorem alii addunt, quia dicunt, quod qui pro altero Suffragium offert ex. gr. Jejunium, non solum opus Suffragii offert, sed etiam totam satisfactionem, quæ ex opere Charitatis sibi accrescit, hoc est totum opus internum, & externum, prout ab illo suscipitur, cui operi propter hoc accedit novus gradus satisfactionis a tota satisfactione distinctus; quia vero non necesse

cesse est, quod qui offert pro altero, offerat etiam hanc alteram satisfactionem, quæ sibi accrescit ex voluntate illa per quam opus oblatum alteri donatur, ideo generaliter non admittunt opus satisfactorium fieri majoris valoris eo quod pro altero offeratur.

§. II. *Solus Homo justus, qui faciat opus proportionatum ad satisfaciendum cum intentione per illud opus satisfaciendi pro altero, potest Suffragiis suis ad satisfactionem, seu remissionem pœnæ aliis prodesse.*

VI. Primam hujus Propositionis partem confirmat Apostolus dum in 1. ad Cor. 13. scribit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest*: Ratio etiam obvia est, quia peccator qui talis est, pro se ipso non potest satisfacere ut supra notavimus, quomodo ergo satisfaciet pro aliis? Maxime si hæc satisfactio esse debeat de *condigno*, ut ajunt, & de *justitia*. Dixi *Suffragiis suis*, ut excluderem casum Suffragii, seu Orationis, quæ publice fiat a Ministro Ecclesiæ nomine ipsius Ecclesiæ, certum est enim apud omnes hujusmodi Suffragia, quæ Ecclesiæ nomine fiunt prodesse, quia in hoc casu non operantis dignitas, sed attenditur excellentia illius, qui tale opus præcepit. Huic tamen limitationi non subscribit Magnus Gregorius, qui in Pastorali par. 1. cap. 11. *solicite formidandum*, inquit, *ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cuncti enim liquido novimus, quia cum is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur*, sed hoc fortasse dixit, intelligens de Suffragiis non per modum impetrationis, sed per modum solutionis, seu satisfactionis, quod Suffragium plures Doctores docent non habere effectum, etiam si nomine Ecclesiæ fiat a pravo Ministro, quia inquiunt, opus esse satisfactorium quatenus pœnale est, & proprium talis personæ, quæ illud patitur, non quatenus relatum ad ipsam Ecclesiam, quia nulla opera pœnalia, vel satisfactoria fieri solent ab Ecclesia per Ministros suos ad satisfaciendum Deo nomine totius Corporis, sed tantum Orationes, vel Sacrificia, aut alia signa religiosi cultus; unde addunt, quod quia tota ratio, quare opus satisfactorium est, fundatur in justitia, & bonitate Ministri, ex vi sui ministerii non tenetur Minister satisfactionem hanc offerre pro illo, pro quo Suffragium aliquod fieri jubetur, sed suo muneri satisfacit exhibendo Deo opus illud, per quod Ecclesia Deo ipsi sua desideria repræsentat, ut per modum impetrationis alteri prosit. Ceterum quidquid sit de singulari hac Theologorum sententia magis arridet illorum opinio, qui Orationibus, quæ fiunt nomine Ecclesiæ, a quocumque demum fiant, efficaciam hanc tribuunt, ut immediate, & infallibiliter impetrent a Deo remissionem pœnæ temporalis, *propter singularem amorem, & sanctitatem totius Ecclesiæ, quando Ecclesia per modum Suffragii eas offert pro Defunctis. Illæ vero Orationes nomine Ecclesiæ factæ dicuntur, quæ ab illa sunt institutæ, & dicuntur, a Ministris ad hoc deputatis ex præcepto, vel ordinatione sua, ut contingit cum Sacerdos dicit in Ecclesia exequias mortuorum.*

VII. Non solum quando peccator Suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ illius Suffragia pro Defunctis prodesse docuit D. Thomas in 4. d. 45. quæst. 2. a. 1. quæstiunc. 3. sed etiam quando agit, ut instrumentum alterius, *Opus enim*, inquit, *ministerii est magis principalis agentis, unde quamvis ille,*

ille, qui agit ut instrumentum alterius non sit in statu merendi, actio tamen ejus potest esse meritoria ratione principalis agentis. Exemplum affert S. Doctor in servo, qui in peccato existens opus misericordiæ facit ex præcepto Domini sui charitatem habentis, & in illo, qui in charitate decedens præcepit sibi Suffragia fieri, quæ *valere defuncto*, ait, *quamvis illi, per quos fiunt in peccato existant*. Utrum vero hujusmodi Suffragia imperata cum executioni demandantur sint per se satisfactoria independenter a voluntate ejus, qui defunctorum voluntates exequitur imò etiam eum mala voluntate illius, qui defuncti mandata exequitur, res est maxime dubbia. Qui tuentur opus externum esse satisfactorium quatenus procedit ab interna voluntate proximi agentis, illique conjungitur; qui in satisfactione requirunt opus humanum per quod fiat, neque sufficere inquiunt quemcumque effectum procedentem, quovis modo ex præcedente voluntate, negant Suffragia, de quibus disputatur esse satisfactoria, alioquin dormientibus, inquiunt, nihil de actibus suis cogitantibus, Amentibus item, & phræneticis ex eorum operibus, quæ cum valebant, & rationis compotes erant in futurum facienda decreverant, meritum, & demeritum accederet, si in tali statu operarentur, quod falsum est, quia respectu illorum hujusmodi actiones humanæ non sunt. Similiter Defuncto accresceret satisfactio, & remissio pœnæ in casu, quo non hæres negligens in implenda testatoris voluntate, eleemosinam elargiretur, sed si ille occulte acciperet, cui danda fuisset Eleemosina, quod non est verum, quia hujusmodi satisfactioni hæredis ipsius voluntas adversatur.

Contrarium nihilominus alii sustinent, qui extremum opus putant addere per se satisfactionem, unde in eodem casu eleemosinæ juxta voluntatem Defuncti pauperi elargiendæ dicunt, quod cum hæc ex sua natura redimat a peccatis, addita priori voluntati speciali valore redimet, quia quamvis decesserit, qui illam imperavit, illius tamen voluntas non decessit, & revera semper animæ actu perseverant in sua priori voluntate desiderando, ut executioni demandentur pia illa opera, quæ fieri præceperunt. Imo aliqui addunt, quod si quis sit in peccato mortali quando mandat fieri eleemosynam, aut quodlibet aliud pium opus, si moriatur postea in gratia sufficit, ut imparata opera Suffragii effectum sortiantur, cum enim *Testamentum in mortuis confirmetur* satis est, quod tunc in gratia moriatur. Ceterum quia contra hanc sententiam facit, quod antecedens Defunctorum voluntas non influit in posteriorem, quando animæ non sunt in statu satisfaciendi, & quia aliunde sequeretur, quod etiam defuncto in peccato mortali posset prodesse opus, quod in statu gratiæ legatum fuit ad remissionem alicujus pœnæ debitæ, ideo verisimilior putatur illorum sententia, qui inquiunt hujusmodi opera imperata conferre aliquid ad impetrationem, eo quod Deum movere possunt ad præstandum ex misericordia aliquod beneficium, non vero valere posse ad præmium justitiæ obtinendum, & in hoc sensu Augustinus inquit, *Animas defunctorum meruisse in hac vita, ut Suffragia viventium illis prodessent post mortem*, scilicet per illarum bona opera vel facta, vel imperata, ut imposterum fierent meruisse talem statum habere, in quo capaces essent fructus Suffragiorum, si fierent, hoc enim pendet ex voluntate viventium. Concluditur ergo ex hac postrema sententia, quod tota ratio satisfactionis inest in actu, quo quis præcipit futura Suffragia, nihilque præterea satisfactionis addi per externum opus ex ope-

opere operantis respectu illius, qui Suffragium illud præcepit; ex quo sequitur valde utilius esse hæc opera in vita præstare, quam post mortem alteri facienda relinquere.

VIII. Quod dictum est de Suffragiis imperatis extenditur ad restitutiones, quæ post mortem fieri præcipiuntur, videlicet restitutiones has nihil conferre Animabus Purgatorii, ut a pœna citius, vel serius liberentur, si anima decessit in gratia, & sine ullo pœnæ reatu, quia anima non punitur a Deo nisi sit debitrix pœnæ propter id, quod est in potestate ejus; tum quia fieri posset, quod illius beatitudo ad finem mundi differretur si illius debita nusquam solverentur. Per accidens vero seu remote prodesse potest restitutio facta post mortem, si acceptis, quæ eorum juris erant, Creditores, aliique fideles pro Defuncti anima exorabunt. Quod in contrarium objicitur ex revelationibus, quibus conantur nonnulli ostendere animas tamdiu cruciari, quamdiu non restituatur ablatum, non obest iis, quæ diximus, ut patet ex allata ratione. Respondent itaque Sententiæ hujus defensores inter quos est Soto in 4. dist. 45. quæst. 2, a. 3. Animas non petere restitutionem, sed eleemosinas; si enim qui restituere non tenetur restituit, bene Defunctis hæc restitutio proderit, non secus ac Suffragia reliqua illis prosunt si proportionata sint ad satisfaciendum ex conditione ipsius operis, ut est a tali operante.

IX. Conditionem hanc statuimus in principali propositione, quæ conditio adeo certa est, ut de illa nullus dubitet. Quænam vero sint hæc opera proportionata, quibus dum aliquis utitur, quemadmodum pro se ipso, ita & pro aliis satisfacit, ex Decretis, & Sanctis Patribus Theologi repetunt; & singula referuntur ad tria, quæ supra etiam recensuimus, Orationem scilicet, Jejunium, & Eleemosinam. *Orationibus S. Ecclesiæ*, inquit Augustinus in Sermone 32. de verbis Apostoli, *& eleemosinis, non est dubium mortuos adjuvari;* idem repetit Chrysostomus homil. 96. ad Populum, & Beda, qui in lib. 5. histor. cap. 13. *Multos*, ait, *preces viventium, & eleemosinæ, & jejunia, ut ante diem judicii liberentur, juvant.* Omitto aliorum Patrum sententias referre, quia in hoc conveniunt omnes.

X. Admittitur etiam ab omnibus postrema conditio in Propositione principali asserta de intentione per illud opus satisfaciendi pro altero, quia nisi pro altero offeratur ab operante, illius tantum manet, cum nulla sit caussa cur in alium transferri debeat. Multipliciter autem potest opus unius justi aliis prodesse, nam si uni tantum applicatur Suffragium, illi soli prodest per modum satisfactionis, non secus ac pecunia, quæ offertur ad liberandum aliquem e carcere, quæ illi soli prodest, & non aliis; si offertur pro multis singulis prodest juxta offerentis intentionem cui plus, cui minus, sive omnibus ad æqualitatem. Si vero Suffragium offeratur per modum impetrationis plus illi impetrat pro quo offertur, quam aliis; siquidem oratio est quædam petitio, quæ ad hoc ordinatur, ut voluntas petentis impleatur, sed si offeratur pro multis, pro singulis impetrabit, quod impetraret pro uno; natura enim petitionis est, quod innitatur liberalitati, vel Divinæ promissioni, quæ non coarctatur ex hoc, quod Deus pro pluribus postuletur. In casu vero, quod Suffragium offeratur pro non indigentibus, tunc pro Dei arbitrio applicabitur aliis indigentibus, nisi verisimilius sit arbitrari in Thesauro Ecclesiæ esse bonum hoc reponendum.

§. III.

§. III. *Suffragia Ecclesiæ prosunt Defunctis, sed non omnibus ad remissionem Pœnarum.*

XI. Primus omnium, ut alibi diximus Catholicam hanc veritatem Aerius impugnavit, qui utilitatem Suffragiorum pro Defunctis parvi faciens non esse orandum pro illis docuit. Ex hactenus dictis momenta plurima colligi possunt, quæ efficacissime Heterodoxam sententiam evertunt. Non juvat ergo in his remorari, sed satis erit palmarium fundamentum, cui innititur hic error recensere, & refellere, ut Fidei Dogma confirmetur. Argumentum, suppeditat Novatoribus Propheticum illud ex ipsius Dei Persona oraculum Ezechiel. 14. *Etsi fuerint tres Viri isti in medio ejus Noe, Daniel, & Job. ipsi justitia sua liberabunt animas suas &c. Viri isti si fuerint in ea, vivo ego dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur*. quæ verba Hieronymus repetens in Commentariis in Epist. ad Galatas 6. ait: *Dum in præsenti sæculo sumus, sive Orationibus, sive Consiliis posse nos coadjuvari. Cum autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogari posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Igitur Animæ Defunctorum hoc ipso quod ante Tribunal Christi statim post mortem steterint, ut particulare Judicium subeant, sententiam suam audituræ, in eo non erunt statu, in quo viventium Orationibus, aliisque piis Operibus juvari possint*. nec aliud docuit Ecclesiastes in cap. 9. *Mortui*, inquit, *nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, nec partem in sæculo in opere quod sub sole geritur*, itemque Ambrosius cum in lib. 1. de Abraham cap. 9. scripsit: *ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus, ignoramus enim ubi Defuncti nostri sint, & sæpe qui in Inferno, vel Cælo sunt, putamus esse in Purgatorio.*

XII. Argumentum Novatorum recitavimus, modo subjicimus Catholicorum Theologorum responsionem. Duo sunt, quæ in Adversariorum argumentatione Catholicis reponuntur: Alterum est nos credere posse quemquam alterius Precibus juvari, ut a statu peccati ad statum gratiæ resurgat, si mortuus fuerit impœnitens, non secus ac Justorum precibus potest a Deo Peccatorum in hac vita degentium conversio impetrari: Alterum est, quod nos supponamus Viros Sanctissimos Divini Judicii ordinem suis Orationibus posse impedire, Neutrum vero a Catholicis Theologis traditur, imò utrumque negatur, cum fateantur omnes secundum opera propria unumquemque judicandum esse, neque mortuis, Orationibus nos posse prodesse cum ante Christi Tribunal stabimus. Tempus illud quod medium est inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem notant Theologi, & docent in hoc temporis intervallo Justorum imperfectorum animas posse viventium Precibus in pœnis, quibus expiantur, sublevari, & ab iis etiam eripi. Porro alium non esse sensum verborum S. Hieronymi ex ejus loco in objectione laudato satis patet. *Videtur*, inquit, *superioribus contraire* (*idest Apostolus Paulus*) *ubi ait: Alter alterius onera portate. Si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit; Sed videndum quod ibi præceperit, ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, ut in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus. Hic autem de Domini dicat in nos judicio, quod non ex alterius peccato, & comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus, aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure licet, do-*

cemur per hanc sententiolam novam dogma quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Sancti Doctoris mens clarius adhuc exponitur in iis, quæ scribit in lib. 4. suorum Commentar. in Ezech. ad 14. sic enim ibi loquitur: *Quod si nec Daniel, & Job pariter congregati, & in uno loco positi, peccatricem terram, hoc est eos, qui in terra peccatrice habitant non possunt iræ Dei subtrahere: quid dicendum est de his, qui putant merito Parentum, atque virtutibus posse filios peccatores de Gebennæ ignibus liberare? Unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare, nec sancta conversationis mater impudica filiæ dabit præmia pudicitiæ.* Ex his igitur S. Hieronymi testimoniis constat nunquam illum sensisse animas in Purgatorio detentas, viventium precibus juvari non posse, sed solum quod impiorum animæ non possint Justorum Suffragiis ex Inferis liberari; quare Gratianus citatum S. Hieronymi locum, ex Commentariis ad Galatas laudans in caussa 13. q. 2. cap. *In præsenti*, hac nota locum eumdem adornat: *Verum hoc de impœnitentibus accipiendum est, de quibus Propheta dicit: Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ, & ideo frater non redimet eum, sed laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* De aliis autem intelligi non potest; unde si vult Ecclesiastes quod mortui partem non habeant in hoc sæculo in opere, quod sub sole geritur, clarum est illum loqui de bonis hujus vitæ, quibus uti propria actione non possunt, non vero dicit quod a nobis juvari mortui non possint, hinc est quod Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani junioris Gratianum, & Valentinianum jam Defunctos alloquens: *Beati*, inquit, *ambo, siquid meæ Orationes valebunt; nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contentione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo*, & propterea in iis quæ scripsit in citato libro de Abraham, intellexit luctum, & pompam funeris de qua potissimum agit in laudato cap. 9. se præscribere moderatam, ut infra dicetur, non vero prohibere voluit solicitudinem orandi pro Defunctis, ut temere scripsit Calvinus in Præfatione ad Institut. Parum vero refert quod nos ignoremus ubi Defunctorum animæ repetiantur; nam ut monet Augustinus in cap. ult. libri de Cura pro mortuis: *melius est ut suffragia supersint iis qui non egent, quam ut desint iis, qui egent, sicut benefacimus in hoc mundo injustis, ne justi prætereantur.* Patet igitur prima pars Conclusionis, & solum additur quod hoc ipso quod Suffragia oblata sunt pro Defunctis, infallibiliter prosunt cuilibet existenti in Purgatorio, si pro eo offerantur, sola spectata conditione, quod Animæ illæ sanctæ sint, & tali Suffragio, vel Satisfactione indigeant, quam conditionem notavit Augustinus Sermone 34. de verbis Apostoli, & Dionysius in cap. 7. de Eccles. Hierar. ut ejus verba Turrianus exposuit in l. 4. contra Magdeburgenses cap. 12. Additur etiam, hæc Suffragia oblata pro Defunctis integre illis prodesse secundum totum valorem, quem habent, prout ab offerente procedunt, ex hoc enim quod satisfactio pro alio fiat, non minuitur ejus valor, quia hic valor non sumitur ex dignitate personæ, pro qua Satisfactio offeratur, sed ex dignitate offerentis, & conditione operis, & satisfactio, quæ pro nobis fit est veluti quædam donatio, quæ alteri fit, pro qua tantum requiritur, quod is qui donat habeat voluntatem donandi totum, & is cui fit, ejus donationis sit capax. Ad lreue

tan-

tandem hæc Suffragia solvere mortuos a pœna in quantum sunt satisfactiones quædam vice illorum, siquidem Deus nunquam remittit alicui pœnam pro peccatis debitam, nisi oblata, seu applicata condigna satisfactione, & servata vindicativa Justitia, & commutativa, ac distributiva, quatenus cum illa conjunguntur, & quemadmodum nullus potest impetrare aut sibi, aut alteri viventi gratuitam remissionem, neque hanc impetrare poterit Animabus Purgatorii, & hinc intelligitur id quod S. Bonaventura scripsit in 4. Dist. 45. q. 1. ad ultimum dum inquit: *quamvis per suffragia remittatur pœna, tamen nihil manere impunitum, quia punitur vel in ipso qui peccavit, vel in alio*. Intelligitur etiam id quod tradidit D. Thomas in eadem Distinc. q. 3. a. 3. ad 6. *quod Sancti, qui sunt in Patria non sunt in statu satisfaciendi*, & ideo non est simile de eorum Orationibus, & de Suffragiis Ecclesiæ, non enim hoc dixit S. Doctor ut negaret Sanctos orare posse pro animabus Defunctorum, quod prius dixerat nixus Auctoritati l. 2. Machab. c. ultimo, & testimonio Hieronymi in Epistola contra Vigilantium, sed ut adverteret discrimen inter Suffragia, quæ a viventibus fiunt, vel ab Ecclesia, & illorum Orationes, quæ per se, & immediate non sufficiunt ad remissionem pœnarum, quæ non fit nisi per modum solutionis, & satisfactionis. Dum itaque Sancti orant, possunt impetrare quod satisfactiones vivorum, si a Deo non essent acceptatæ acceptentur, & ut acceleretur animarum liberatio, diuturnitatem temporis intensione pœnarum compensando; quod si contingeret Sanctum aliquem immediate alteri obtinere remissionem pœnæ, neque in hoc casu gratuitam remissionem impetraret, sed ille sua satisfactione persolveret quod alter deberet, nimirum de satisfactionibus illis persolveret, quas ille dum viveret superabundantes reliquit, & a Deo obtinuit, ut illi, vel alteri Animæ Purgatorii ad remissionem pœnarum applicarentur. Hoc enim ipso quod vivens hoc potuisset præstare, idem jus, ac potestatem non videtur amisisse per mortem, aut beatitudinis statum. Alienas satisfactiones non possunt Sancti cui voluerint applicare, quemadmodum neque Christi satisfactiones, hoc enim proprium est solius Christi, sui Vicarii, & Ministrorum ejus, quibus hoc a Christo Domino fuit specialiter demandatum, nisi de speciali dispensatione illis concederetur, quæ per legem nullam probari potest, & scientiam omnem humanam excedit. Propria itaque satisfactione seclusa, Sancti aliam applicare non possunt, nec immediate pœnæ remissionem impetrare, nam per se expedit ut delicta impunita non maneant, atque Dei opera eo fiunt illustriora, quo exactius in eis justitia, & misericordia servantur.

XIII. Secunda Conclusionis pars, qua non omnibus Defunctis viventium Suffragia prodesse docet communis est in Patribus, & Conciliis. Augustinus eorum ordines in Enchiridio distinxit cap. 109. Illorum qui sunt valde boni, aliorum qui sunt valde mali, & ceterorum qui sunt in statu medio, & pro his tantum offerenda esse Suffragia docuit. Ex Augustini mente idem docuit III. Innocentius in cap. *cum Martha* §. ult. de Celebr. Missar. nisi quod tertium divisionis membrum ab Augustino datum in duo distinxit, in quorum altero recenset *mediocriter bonos*, & in altero *mediocriter malos*, & utrisque sensit prodesse Suffragia, quæ expiationes appellavit, & propitiationes, ex quorum Suffragiorum natura, locum, alioquin intellectu difficillimum, explicare posse nonnulli putarunt dicendo Innocentii verba accomodanda esse Animabus Purgatorii secundum diversos eorum gradus exinde natos, quod earum

 ali-

aliquæ cum magno reatu pœnæ, & aliquibus etiam venialibus culpis ex hac decesserint, ut merito dici potuerint mediocriter malæ: aliquæ vero quia solum habent alicujus minimæ pœnæ reatum, mediocriter bonæ debeant appellari. Verum quæcumque fuerit Innocentii mens ex hac distinctione colligitur Glossam supra citata Augustini verba plurimum errasse, cum aliquem existentem in Inferno posse vocari ait, mediocriter malum, cum de fide sit, nulla Suffragia prodesse damnatis, quæ tamen prodesse mediocriter malis Innocentius tradidit.

XIV. Primi itaque, quibus Suffragia ad remissionem pœnæ non prosunt, sunt damnati, pro quibus orandum non esse perpetua Ecclesiæ traditio docuit. Antiquissimi Patrum, Dionysius in cap.7. de Cœlesti Hierar. *eos tantum Defunctos posse adjuvari*, ait, *qui Sacerdotibus se in hac vita submiserunt*; & tametsi omnia bona externa quis largiatur pro impiis, S. Clemens in l. 8. Constit cap. 43. hunc illis juvare non posse ait: *Cui enim viro inimicus fuit Deus, haud dubium quia sit etiam Defuncto, non est enim injustitia apud Deum.* Videatur Augustinus l.21. de Civit. c. 13. & sequentibus, & præsertim c.24. in quo hanc Ecclesiæ traditionem inducit *de non orando pro iis quos Ecclesia scit esset damnatos*; & revera quemadmodum plura Concilia sunt, ut Carthaginense III. c. 29. Vasense I. c. 2. Toletanum II. c. 12. Arelat. III. c. 12. quæ pro his, qui in pœnitentia moriuntur offerendum esse, & orandum dicunt, ita plura alia decernunt ut nullus pro damnatis præsumat orare, aut eleemosynam dare, ut Triburiense Concilium statuit c. 31. de illo, qui in actuali peccato interficitur, *qui enim vivens se redimere noluit, nemo post ejus mortem illum fideliter redimit*, & ut Concilium Bracharense I. definivit in c.34. contra illos, qui se interficiunt, ut nulla Oblatio, nullumque Sacrificium pro illis fiat. Prætera si Damnatorum supplicium Matth. 3. & 25. æternum, & inextinguibile appellatur, statim patet nullum posse suis satisfactionibus hanc pœnam solvere, ut nullum posse satisfactionem exhibere pro culpa aliena, quæ in Damnatis semper perseverat, cum impossibile sit illos a culpa mortali, in qua decesserunt liberari. Cum itaque circa hoc nullum dubium esse possit, remanet ut videamus utrum inter Animas, quæ in Purgatorio existunt aliquæ reperiantur, quæ capaces non sint Suffragiorum. Dubium præcipue est propter omnes illos, qui sine Baptismo in re suscepto salvati decesserunt. Circa quod

XV. Distinguendum est Suffragium a Suffragio. Privatum scilicet, quod ab unoquoque in particulari pro Defuncto offertur, singulare quod ex opere operato impenditur, & commune, quod nomine Ecclesiæ offertur. Si sermo sit de singulari Suffragio, communis sententia est non posse offerri pro Catechumeno defuncto, & hanc rationem reddit D. Thomas p.3. q. 79. a. 6. ad 2. *quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi conjunguntur per Fidem, & Charitatem, ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis non habet effectum nisi in illis, qui conjunguntur huic Sacramento per Fidem, & Charitatem*, eo vel maxime quod juxta vetustissimum Ecclesiæ morem Catechumenis non conceditur sacris interesse Mysteriis, ex quo incipit fieri oblatio Sacrificii, ut intelligatur quod hi non sunt capaces effectus ejusdem, illius inquam effectus, qui dicitur ex opere operato, nam quoad impetrationem Sacrificium

cium pro Catechumenis offerri potest. Ex hac Doctrina non sequitur Catechumenum esse incapacem remissionis pœnæ, est cerre capax, sed non sufficit, ut eam possit consequi hoc medio, quod speciale est his qui in Christo sunt regenerati; possunt itaque Catechumeni hanc pœnæ remissionem consequi per privatorum Suffragia, ad quod sufficit, quod hæc tria concurrant, unio charitatis, intentio operantis, & indigentia recipientis. An vero illam possint consequi per communia Suffragia Ecclesiæ res incerta est, & ab illius praxi aliena, quæ solet tantum pro membris suis per visibile Sacramentum sibi conjunctis orare, unde in Bracharensi primo Concilio dixerunt PP. can. 35. *Placuit ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, neque oblationis sancta commemoratio, neque psallendi impendatur officium.*

XVI. Pro Sanctis qui in Patria sunt neque possunt offerri Suffragia; nullus enim esset illorum effectus, vel quantum ad pœnæ expiationem, qua non indigerent, vel quantum ad impetrationem alicujus boni, scilicet ad augmentum essentialis gloriæ, vel consecutionem eorum, quæ illam consequuntur quia hæc omnia unicuique conferuntur juxta propria merita. Sed neque gloriam accidentalem nos Sanctis impetramus pro illis orantes, aut bonum aliquod agentes, ex quo dicatur quod gaudium eorum augeatur, siquidem ut bene observat S. Thomas d. 4. q. 2. a. 2. q. 4. in respons. ad 3. *quamvis Sancti, qui sunt in Patria de omnibus bonis nostris gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris gaudiis eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum, quia omnis passio formaliter augetur secundum rationem objecti sui; ratio autem gaudendi in Sanctis de quibuscumque gaudeant, est ipse Deus, de quo non possunt magis, & minus gaudere, quia sic essentiale eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc, quod de Deo gaudent; unde ratio eis Deus est, non sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant, & ideo non sequitur, quod operibus nostris juventur.* Quod si Ecclesia in suis Orationibus aliquando legit sancta Mysteria Sanctis prodesse ad gloriam, cum Innocentio loco supra citato respondemus, Ecclesiam non petere ut Sancti crescant in gloria, sed ut crescat apud nos eorum gloria per hoc, quod toti mundo innotescat, & ubique glorificentur. Nec obest quod Damascenus in Sermone de Dormientibus inducens verba Chrysostomi dicat *justo appositionem fieri mercedis, & retributionis*, quia nunquam Damascenus id intellexit, ac si crederet quod per Suffragia ab aliquo facta Justis & Sanctis hæc appositio mercedis, & retributionis fiat, sed ut explicavit Angelicus l. c. *in quantum sibi de Suffragiis faciendis, justi adhuc viventes disposuerunt, quod eis meritorium fuit.*

CAPUT V.

DE FUNERE.

Magnam Populos omnes semper adhibuisse curam, ut Justa mortuis persolverentur, plurima quæ extant in Codicibus Divinarum, & humanarum Legum, eaque insignia monumenta demonstrant, & in primis Leges illæ de *Sumptibus Funerum*, de *Mortuo inferendo*, de *Sepulchro violato*, de *Cadaveribus*

daveribus punitorum, de *debita impensa in Exequiis*, & ne *Defuncti seu funera eorum injurientur a Creditoribus*; quin & illi plurimi ritus, quibus hodie circa mortuos, eorumque Sepulturam utuntur, & jampridem usi sunt Judæi, Gentiles, & qui ex alterutris nati ad Christianos ipsos derivarunt, ut Baronius notavit ad A. C. 226. In his ritibus recensendis operam perdere supervacaneum arbitramur, illis præsertim, a quibus neque abstinent ipsi Heterodoxi, & hujusmodi sunt obsequia illa, quæ Defunctis statim post obitum veteres exhibebant, & inter præcipuos recensentur, *lotio corporis*, de qua Apostolorum Acta loquuntur in cap. 9. Item *Corporis Unctio*, de qua Marcus in 14. & Joan. in cap. 12. agunt. Ejusdem Corporis *Indumenta* juxta Defunctorum gradus, conditionemque, cujus ritus præter innumera exempla, quæ Sacra Historia suppeditat, singulare est illud, quod legitur in vita S. Ignatii Patriarchæ CST. qui venerando Jacobi Fratris Domini Superhumerali ante aliquot annos Jerosolymis sibi misso voluit sepeliri. *Preces* tandem, & *Hymni*, *quibus* ut ait Chrysostomus homil. 4. in Epist. ad Hebr. *Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum qui excessit jam coronaverit, quod a laboribus liberaverit. quod abjecto metu eum apud se habeat, præcipue vero ipsius animam Deo Commendamus*. Contra usum Cereorum debaccantur Hæretici, & ritum reprehendunt mortuos sepeliendi in locis Sacris: Anniversaria quoque, & repetitiones Exequiarum; nihilque ajunt esse in Scriptura, quod opus Sepulturæ tamquam meritorium, ut nos ipsi arbitramur, commendet. Itaque contra hæc singula ponitur

§. Unicus *Non una fuit in humandis mortuis omnium Gentium consuetudo, cum alii extra, alii intra Urbes Mortuos inhumarent. In hoc tamen semper convenerunt fideles omnes, ut in religioso loco Defunctorum corpora sepelirent, Rituque solemni*.

II. Athenienses ne intra urbem mortuos sepelirent Lege Solonis prohibebantur, ut ex Cicerone 2. de Legibus erudimur, quem morem non fuisse insuetatum Corinthiis scripsit Pausanias lib. 2. & alii scripserunt de Sycioniis, de Smyrneis, & de Syracusanis. Hinc usus invaluit Sepulchrorum in agris sterilibus, & nulli alii usui aptis, quod præscripsit Plato in lib. 12. de Legibus: & hinc leges illæ originem habuerunt, quæ habentur in Digestorum libro 47. tit. 12. *de Sepulchro violato* §. 5. ne inter Urbis Pomaria Defuncti sepelirentur, imò neque urerentur, quod in antiquissima XII. Tabularum lege sancitum est: *in urbe ne sepelito, neve urito*. Spartianis vero, & Tarentinis contrarius usus invaluit, siquidem Lycurgus referente Plutarcho, ut Juventus mortem despicere, & non timere assuesceret, in ipsis urbibus, & prope Deorum ædes jussit mortuos sepeliri, quamquam Polybius histor. lib. 8. hoc Tarentinos fecisse referat, eo quod didicerant ab Oraculo *se fore beatiores, si cum pluribus habitarent*. Ritum eumdem descripsit Arnobius lib. 6. adversus Gentes, Prudentius adversus Symmachum, eumdemque narrare non omisit Cicero in loco supra laudato, sed non sine singulari Senatus privilegio advertit accidisse, quod in urbe nonnumquam Sepultura concederetur.

III. Non dissimili loco Christiani olim suos mortuos sepeliebant, & hoc Cœmateria illa plurima ostendunt, quæ extra Urbis Mœnia cernuntur per circui-

cuitum sita proximis sub collibus, variis cuniculis, multiplicibusque anfractibus in parte inferiori effossa, quæ antra, aut cavernas, vel speluncas, vel etiam cryptas proprio, aptoque vocabulo appellamus, ut Paulus Aringhus describit, in sua Roma subterranea lib. 1. cap. 1. n. 9. Ejusdem rei monumentum reliquit Hieronymus in Ezechiel. caput 40. Sozomenus lib. 7. histor. cap. 10. ubi agit de translatione Corporis S. Meletii, Gregorius Turonensis in libro de Gloria Confessorum cap. 80. & aliis in locis. Idem scribit Anastasius in Epistola ad Occidentales, in qua dicit Martinum I. Papam positum fuisse in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum Civitatis quasi stadio uno; & ut a ceteris recensendis monumentis abstineam, idem tandem dixerunt Bracharenses Patres secundi Concilii can. 18. ex quo etiam canone cognoscitur, non solum extra Civitates, sed etiam extra Ecclesias Defunctorum corpora olim fuisse sepulta. *Placuit* (hæc sunt canonis verba) *ut corpora Defunctorum nullo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc Privilegium usque nunc manet Civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet Defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.*

Ex Bracharensi non modo, sed etiam ex can. 6. Nannetensis A. 850. accepimus tunc temporis Ecclesiam in atrio, in porticu, & in ejusdem Ecclesiæ exedris Mortuos sepeliisse: In suo Capitulari Theodorus Cantuariensis eumdem usum repetit, cui suffragantur testamentum S. Ephrem Diaconi apud Bollan. 1. Februar. & Auctor vitæ S. Fulgentii apud Bollan. 1. Januarii Testis est Aldfridus S. Liudgerum Monesteriensem Episcopum numquam consensisse, ut in Ecclesiis consecrata sepeliretur corpus humanum; eamdemque consuetudinem passim in Galliis viguisse Anonymus Turonensis in suo Speculo manuscripto confirmat.

Sed illud notandum, quod sub idem tempus, scilicet circa Sæculum octavum, non tantum Episcopis, & Presbyteris, sed & quibusdam Laicis honoris caussa Sepultura in ipsis Ecclesiis concessa est. Legitur hoc in Epistola, quam S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis scripsit ad suos Presbyteros, ubi postquam dixisset neminem in Ecclesia esse sepeliendum, addidit, nisi forte talis sit Persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo suo corpori Defuncto locum acquisivit. Et hanc exceptionem in pluribus ejusdem ætatis Decretis legimus, præsertim in Capitularibus Attonis Vercellensis Episcopi capite 23. Spicilegii tom. 8.

Longe tamen ante hæc decreta solebant Episcopi in Ecclesia condi; imò ceterique fideles. Primum constat ex Epistola Pulcheriæ Augustæ ad S. Leonem Papam, in qua scribit Flaviani Constantinopolitani Episcopi corpus in Basilica Apostolorum, in qua consueverunt prædecessores Episcopi sepeliri, competenter fuisse positum; & Socrates in lib. 6. histor. Eccles. capite 17. idem narrat de Dioscoro Ermopoleos Episcopo, nisi melius dicatur de Ammonio ejus fratre, ut Henricus Valesius legit in notis ad hunc locum; & Gregorius Turonensis in libro de Gloria Confess. cap. 61. & 94. idem refert de aliis. Quin etiam ex Hugonis Flaviniacensis Chronico erudimur Ecclesiam S. Vitoni Virdunensium Episcoporum ab antiquo, ab ipsis scilicet nascentis Ecclesiæ primordiis, Cœmeterium fuisse; ut fuit Senonensium Ecclesia S. Petri, & Antis-

Antissiodorensium templum S. Germani: & Auctore Beda in lib. 1. histor: Angl. cap 33. *In Anglia Rex Edilbertus Ecclesiam B. Apost. Petri, & Pauli a fundamentis construxit ac diversis donis dotavit, in qua, & ipsius Augustini, & omnium Episcoporum Doroberuensium simul, & Regum Cantiæ poni corpora possent*. Non solum veteris Ecclesiæ Patres Episcopos Orthodoxos in Templo, sed etiam sub Altari sepelire consueverunt, *dignum enim esse putavit S.* Ambrosius in Epistola 22. ad Sororem suam, *ut ibi requiesceret Sacerdos, ubi offerre consueverat: ut cum ipsis Sacrificia, & Ordinationes fierent*, addit Bona in lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 19. *quia ad servandam fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam, communionem viventis Episcopi cum antecessore defuncto necessariam Patres existimabant*. Ad Laicos vero, quod spectat, ut prætercam animadvertere Imperatores, Reges, Reginas, aliasque illustres Personas sibi providisse, ut sua corpora in Basilicis sepelirentur, notum est Magnum Gregorium aliis communiter fidelibus permisisse promiscuam sepeliendi in Ecclesiis consuetudinem, & hoc prodesse animabus mortuorum docuit in lib. 4. Dialog. c. 50. *quod eorum proximi, quoties ad eadem Sacra loca conveniunt, suorum, quorum Sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis preces fundunt*. Idem sensisse Nicolaum Papam I. ex ejus Responsis ad interrogata Bulgarorum c. 99. satis constat. Videtur itaque ex his omnibus variam in variis Ecclesiis invaluisse Disciplinam in hac re pro temporum, & circumstantiarum conditione, quod his quoque temporibus observatur, siquidem utraque viget consuetudo promiscue sepeliendi defunctos in Ecclesiis, & corporum inhumationem ad Cœmeteria relegandi, quod alienum non est ab eodem illo ritu, quem observandum decrevit Paulus V. in Rituali Rom. *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmeterio retineatur &c. at vero cui locus Sepulturæ dabitur in Ecclesia humi tantum detur: & Sepulchrum*, addit S. Carolus in Concilio 1. Mediolanensi P. 2. c. 1. *in quo conditur, opere fornicato cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquatum sit*: Cavendumque esse tum idem Paulus V. tum Mediolanense IV. Concilium ajunt, *ne Cadavera prope Altaria sepeliantur, sed tam longe Sepulchra distent, ut Sepulchrale os scabello, seu bradella Altaris procul absit spatio saltem cubitorum trium*, quæ autem propius extructa jam sunt, omninò amoveri, obstruique Concilium idem Mediolanense decrevit. Quod si in Cœmeteriis mortua corpora deponantur, hoc prius in locum Religiosum per Episcopum solemni ritu erigendum, & consecrandum est. Hic ritus benedicendi Cœmeteria antiquissimus est, nec facile definitur a quo sumpserit exordium. Turonensis Gregorius in libro supra laudato cap. 106. meminit hujus benedictionis Eamdemque benedictionem supposuit Innocentius III. in cap. 7. sub titulo de Consecrat. Ecclesiæ scribens: *Cœmeteria in quibus Excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aqua solemniter benedicta, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit*, quod certe fieri non oporteret, si Cœmeterium religiosus locus non esset, nec talis efficitur ex Jure novo per solam corporis humani inhumationem, sed per preces, & benedictiones Sacerdotales. Solemnis itaque benedictio requiritur, ut locus e profano efficiatur religiosus, hinc Cœmeteria tamquam loca Religiosa Ecclesiis junxit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. specialemque venerationem illis deberi plura Provincialia Concilia dixeruut immunitatemque localem eidem concesserunt.

IV.

IV. Quam vero sanctum, & pium sit Sepulturam sibi in Sacra æde curare, late demonstrant Henricus Spondanus lib. 1. de Sacris Cœmeteriis p. 3. cap. 14. Theophylus de Martyrio par. 4. cap. 6 n. 7. & Augustinus in lib. de Cura pro mortuis, qui totus fere in hoc negotio consumitur, & S. Paulinus Carmine de obitu Celsi pueri, Ambrosius, aliique, qui præter rationem a S. Gregorio traditam ajunt, *quod viventes ad Ecclesiam Orationis caussa commeantes, dum incidunt in monumenta defunctorum commonefiunt mortis, & sui ex hac vita exitus, qua nulla est salubrior cogitatio;* & ob hanc rationem notat S. Chrysostomus Sermone de Fide, & Lege Naturæ, maxima Cœmeteria, vel in aditu Urbium, & Castellorum locata fuisse, vel fere in viis frequentatissimis, cujusmodi fere erant Romana, etiam apud ipsos Ethnicos, ut multis exemplis confirmat Kirmannus lib. 2. de Funeribus c. 22. Accedit etiam, quod si Defuncti in Ecclesia, vel alio religioso loco inhumentur, magis juvantur Ecclesiæ precibus moraliter semper durantibus, quas semper fundit pro iis, qui sunt in loco benedicto, vel consecrato. Apparet ergo quam improbandi sint, & damnandi Waldenses, quos asseruisse testatur Piedonius in Tractatu contra eos c. 22. non plus referre sepeliri in loco Sacro, quam in profano, in agro scilicet, aut horto, quorum errorem referunt quoque, & refellunt Æneas Sylvius lib. 3. de Origine Boemorum 35. & Prateolus verbo *Pauperes de Lugduno* N. 30. quibus accessisse videntur Albigenses, ut ex Luca Tudensi colligitur lib. 1. contra eos c. 22. quos propterea refellunt Castro adversus Hereses verbo *Sepultura*, & Theophilus Raynaudus Tomo 15. ad finem pagina 549.

V. Quamquam tamen hæc certissimis fundamentis statuantur, Adversariis nihilominus non infirma momenta desunt, quibus præsens assertio impugnetur: Atque inter cetera ex D. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 3. & Guillelmo Conventrensi in Elucidario, & ex S. Anselmo possunt reponere nihil prorsus justis obesse non sepeliri in loco Sacro: totus enim mundus est templum Dei, quod dedicatum est Sanguine Christi, & sive in campo, sive in sylva, vel in palude, vel in quovis loco sepeliantur, vel projiciantur corpora, vel a bestiis, vel a belluis devorentur, semper in gremio Ecclesiæ conforentur. Quos enim peccata deprimunt, non ad absolutionem, sed potius ad majoris damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis tumulari docuit S. Gregorius loco supra citato; idque tunc magis observari debet, si quis talem elegerit Sepulturam, cum certum sit ultimas hominum voluntates publice interesse habere exitum L. *vel negare* 5. D. *quemadmodum testamenta*, & cap. ultimo 13. q. 2. cap. *ne quidem*, & cap. *si hæredes* de Testam. Ad quod faciunt Exempla illa Piorum virorum, qui extra Ecclesias sepeliri voluerunt.

VI. Verum ex his momentis non satis nostræ assertionis veritas impugnatur, cum non quæramus utrum justis hominibus obsit in profanis locis sepeliri, sed dicimus interesse, ut in religioso loco sepeliantur, non quia illis hæc Sepultura prosit ex opere operato, sed ex patrocinio Sanctorum, qui in illis locis coluntur, & precibus Ministrorum Ecclesiæ, & ceterorum fidelium, qui ibi conveniunt, ut Sacrificium Deo offerant, unde absurdum, & alienum est ab usu universalis Ecclesiæ per Sepulturam in loco profano privari fidelium animas tot precibus, & Suffragiis. Imò cum in Evangelio Matthæi, & Lucæ cap. 8. Marci vero cap. 5. legatur dæmonum incursiones frequentius fieri circa Sepulchra, quod Dæmoniaci Spiritus in Sepulchris habitent,

necessaria demonstratur religiosa Sepultura, ut fidelium corpora in his Sepulchris quiescant, ut in asilis, mediante ipsius loci benedictione, hanc enim tutelam ab omni incursione malorum spirituum precatur Pontifex, qui Cœmeterium benedicit, ut ex ipsius Cœmeterii benedictionis formula constat, quæ extat in Pontificali. Eamdem necessitatem probamus ex Decretali Innocentii III. in cap. *fraternitatem* de Sepulturis, ubi Pontifex dicit *eligentem Sepulturam in loco minus Religioso, non esse in eo sepeliendum, quia non creditur testatorem ita fuisse immemorem propriæ salutis, ut neglecto Ecclesiæ Sepulchro turpem Sepulturam eligeret contra commune fidelium votum*; & Rituale Romanum præcipit, *quod si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum Sacrum quam primum transferatur*. Nec obstat, quod Bonifacius VIII. in cap. 2. §. finali, titulo de Sepulturis in 6. dicat. *Si quis antiqua dimissa, novam, etiam in loco minus religioso elegerit Sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari*: multum enim inter se differunt impugnare electionem in loco profano, eamdemque impugnare in loco minus religioso, ut in Oratorio, vel Eremo, in qua cum desit Religiosorum Fratrum conventus, nec ibi frequenter Missarum solemnia tam pro vivis, quam pro Defunctis celebrantur, quod secundum dicit Bonifacius, & propterea ex ejus Decretali talis electio Sepulturæ sustinetur, sed cum primum inspexisset Innocentius, ideo talem electionem, ut irrationabilem, & contra antiquam institutionem noluit esse attendendam.

Nec novum est in Jure Testatorum voluntates, si turpes fuerint revocare, & præcipere non esse observandas, clarum enim est textus in L. *quæ* 8. §. 5. D. de Condit. instit. imò non solum, quæ turpes sunt Jura revocant, verum etiam ineptas, & præsertim circa Sepulturas in L. *servo* 113. §. *ineptus* D. *de Legatis*, cujus voluntatis exemplum suppeditat Donellus lib. 8. Commentar. 12. *si testator juberet Reliquias suas in mare projici*: idemque repetit L. ultima §. ultimo D. de Auro; & Argento *contra illos qui voluerunt inhumari vestimentis sericis, Margaritis, aut variolis, & secum pecunias sepeliri*. Plurimum certe Jus Civile voluntatibus Defunctorum indulsit, sed non hujusmodi voluntatibus, quas in Ethnicis ipsis veteres reprehenderunt, & deriserunt; & revera nullus veterum probavit, quod Diogenes suum corpus jusserit inhumatum abjici, tantum baculo juxta illud apposito. *Si enim*, ut inquit Augustinus libro 1. de Civit. Dei cap. 13. *paterna vestis, & anulus, ac si quid ejusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, quam qualibet indumenta gestamus... Unde, & antiquorum Justorum funera officiosa pietate curata sunt, & Exequiæ celebratæ, & Sepultura provisa*, ipsique dum viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt, & Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse puoque Dominus die tertio resurrecturus Religiosæ Mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui Corpus ejus de Cruce acceptum, diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendum-

dumque curarunt. Verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus Cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam. Exempla Piorum in contrarium relata non certe plurimum faciunt, cum in illis dispar sit ratio, qui ex humilitate fecerunt id, quod Adversarii ex erronea opinione faciendum esse contendunt. Arbitrabantur enim religiosissimi homines illi se indignum inhumari in loco, in quo Christi corpus adest, vel cum ceteris Sanctis conjungi intra Ecclesiam sepultis, quod ultimum attendentes Altissiodorensis Concilii Patres in can. 14. statuerunt. *Non licere in Baptisterio corpora sepelire, quia in Baptisterio Martyrum reliquiæ condebantur, ut significaretur etiam post mortem duraturam gratiam Dei per Baptismum infantibus traditam*, non deseruerunt tamen Religiosam Sepulturam, nam illam in ipso aditu Ecclesiarum elegerunt, ut constat de S. Ephrem, de S. Amato, & de Magno Constantino, qui in his locis sua Corpora sepelienda curarunt. Constantinum enim sepultum fuisse in vestibulo ædis Apostolorum, quam Constantinopoli erexerat, *quasi eorum Janitorem* scribit S. Jo. Chrysost. homil. 26. in Epist. 2. ad Corinthios, *in peculiari porticu, quam ad idipsum extruxerat* addit Zonaras, quidquid Eusebius referat in cap. 6. libri 4. de vita ejusdem Constantini; quod quia ab illis pie admodum factum est, licebit & ceteris eosdem imitari, eo quod ut Paschalis II. ait, *sicut morienti conceditur judicium rerum suarum facere cuicumque loco sibi placuerit, sic nimirum justum est sui corporis habere licentiam illud judicandi in quocumque loco voluntas ejus extiterit, sive in Monasteriis, sive in aliis Religiosis locis*, nunquam vero in locis profanis.

VII. *Manus sibi inferentes, fatumque properantes*, nisi constet id ex Divina inspiratione factum esse, Religiosa privari sepultura Ecclesiæ canones præscribunt, prohibentque pro his defunctis oblationes recipere. *Si sit sepeliendus, qui se ipsum occidit*, Nicolaus Pontifex ad Consulta Bulgarorum cap. 98. inquit, *vel si sit pro eo Sacrificium offerendum requiritis? Sepeliendus est quidem ne viventium odoratui molestiam ingerat: non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulchra ferendus. Sed & qui sunt, qui ejus Sepulturæ studio humanitatis obsequuntur, sibi, non illi, qui sui extitit homicida præstare videntur.* Insepulta tamen hujusmodi hominum cadavera ab aliquibus Nationibus abjiciebantur, ut quod observat Quintilianus Declamat. 337. qui *sic mori voluissent patris imperium non expectantes privarentur quasi Matris gremio, terra sepulchro*, & Cedrenus refert circa mediam Constantinopolim locum fuisse ubi istorum Cadavera projiciebantur, quia nefas esse sepeliri eum putabatur, qui mortem sibi ipsi conscivisset, unde nec illi lugeri poterant, nec eorum nomina in parentationibus referri. *Excommunicatos* etiam non esse tradendos Religiosæ, & Ecclesiasticæ sepulturæ, & si de facto intra Ecclesiam sepeliantur, exhumandos esse, si discerni possint ab aliis fidelium corporibus, Innocentius III. decrevit in cap. *Sacris* de Sepulturis, & libro 4. Regest. Epist. 26. *reconcilianda esse statuit Cœmeteria*, in quibus Excommunicatorum corpora per suorum violentiam propinquorum sepulta fuerunt, eosdemque, *appellatione non obstante detumulandos, & de Cœmeterio ejiciendos*, scripserunt Alexander III. in Epistola 40. inter eas, quas Sirmondus edidit. Sepultura quoque Religiosa privantur in cap. *Ecclesia* 27. cum sequentibus de Consecrat dist. 1. & cap. *sane* 24. q. 2. *Judai*,

dai, *Hæretici*, *& Schismatici*, etiam si post mortem detecti fuerint, eorumque defensores, & receptatores, ut dicitur in cap. *sicut ait*, de Hæreticis: *Interdicti* quoque nominatim cap. *in nostra* hoc titulo, & illi, quibus Ecclesiæ prohibitus est ingressus, capite *is cui* de Senten. excom. in 6. *Raptores item impœnitentes*, *fures*, *& latrones*, qui in furando occiduntur, & *decidentes in torneamentis*, ex pluribus canonicis sanctionibus Ecclesiasticæ Sepulturæ non traduntur, quam pœnam Tridentini Patres extendunt Sess. xv. de Reformatione cap. 19. ad illos; *qui in Duello*, seu singulari certamine occisi fuerint; & tandem omnes *publici Peccatores notorie in ipso peccato decidentes* capite *quibus*, capite *non æstimemus* 13. q. 2. cap. *quia omnibus* de usuris, & capite *quamquam* eodem titulo in 6. *quoniam grave est eis in morte communicare*, *quos dum viverent Ecclesia a suo sinu prosuit excessibus segregavit*, *nec illi defuncto debet in Ecclesia ingressus permitti*, *cui in vita prohibitus erat*. Unicus casus est respectu eorum, qui cum essent excommunicati, in loco Sacro sepulti sunt, si eorum cadavera ab aliis fidelium discerni non possint, in quo casu exhumari non debent, propter confusionem, cujus ratione plura permittuntur, quæ alias prohiberentur. Quod si furibus, raptoribus, & aliis prohibita non est Communio in vita, hoc est propter spem Pœnitentiæ, quæ quia post mortem deest, ideo qui impœnitentes decedunt, Ecclesiastica Sepultura privantur.

VIII. Nihil vero favet, quod aliquis putet crimina morte extingui; quod emendatio in defuncto deficiat; quod quilibet habet jus, ut sepeliatur in Sepulchro Majorum, Licet enim extinguantur crimina, tamen pœna pro illis imposita durat etiam post mortem, donec defunctus excommunicatus reconcilietur Ecclesiæ. Quod si in hoc casu ratio pœnæ duret, quæ ad hominum emendationem constituitur, exemplum, & aliorum terror non deest, qui dum vident excommunicatum Sepultura Sacra privari, ab hac pœna absterriti, ab illis criminibus abstinent, quibus annexa est excommunicatio. Lutheranis profecto, Calvinistis, aliisque Novatoribus plurimum satisfacit illa ratio, quæ tertio loco exposita est, sed non satisfacit Spondano, qui in illo, quem edidit Tractatu de Cœmeteriis Sacris lib. 4. p. 3. c. 1. hunc errorem refellens ait: *juste eos privari sepulchris Majorum*, *nec amplius dici posse propria Sepulchra*, *siquidem aut commercium*, *aut Communio cum illis non est*.

IX. Advertendum tamen est, quod ubi agitur de privandis excommunicatis Ecclesiastica Sepultura, antiqua Ecclesiæ praxis, quæ Innocenti III. temporibus vigebat paululum est immutata post tempora Viennensis Concilii, & Joannis XXII. nam Viennense Concilium solum publice excommunicatos, & Joannes XXII. in Extravaganti *ad evitanda* solum denunciatos, vel notorios Clerici percussores decernunt, in religiosis locis non esse sepeliendos.

Advertendum insuper est his non officere Honorii responsum quod habetur in cap. 2. de Sacramentis non iterandis, in quo dicit Defunctorum nonnulla corpora tempore Schismatis sepultura non esse exhumanda, licet enim cum Ambrosio l. 7. in Lucam c. 11. fateamur omnes Hæreticos, & Schismaticos a Regno Dei, & ab Ecclesia intelligi separatos, & cum D. Hieronymo ad Epistolam D. Pauli ad Titum c. 3. credamus inter Schisma, & Hæresim hoc interesse, quod hæresis perversum dogma habeat, Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet, & cum Fulgentio dicamus in lib. de fide ad Petrum c. 38. non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Ju-

Judæos, Hæreticos, & Schifmaticos, qui extra Ecclefiam Catholicam finiunt vitam, in ignem æternum ituros, nihilominus id non evinci ex Honorii refponfo affirmamus, quod Adverfarius aliquis vellet, nam Defuncti, de quibus agitur in hac Honorii refponfione non erant Schifmatici, fed erant Corpora Fidelium Laicorum fepulta ab ipfis Schifmaticis, & propter hoc merito ait Pontifex exhumanda illa non effe: non vigebat enim tunc communis illa ratio, quibus nec vivis communicamus, nec mortuis communicare debemus.

Advertendum poftremo eft neque nobis officere leges illas, quæ corpora femel defuncta exhumari poffe negant, & alio transferri inconfulto Principe, de quibus late agit Furnerius l. 3. rerum quotid. c. 6. Guther. l. 2. de Jure Pontif. c. 9. quia leges illæ fupponunt defunctorum corpora effe perpetuæ fepulturæ rite, & religiofe tradita; non vero injufte, & per violentiam in loco alieno; quod ubi conftiterit: corpora exhumari, & in fuum locum reftitui, id Bonifacius VIII. decrevit in cap. 1. de Sepulturis in 6. fi tamen ab iis petantur, ad quos jus fepulturæ pertinere fuerit declaratum.

X. Age modo videamus quid de ipfa Funeris pompa notari debeat contra Novatorum calumnias. Illud in primis occurrit quod Auguftinus fcripfit in libro de Cura pro Mortuis, nimirum Sepulturam, & Funeris pompam *folatia effe vivorum, non mortuorum præfidium*. Graviffimum hoc tanti Doctoris teftimonium fibi favere Heterodoxi putant, quare illud Catholicis reponunt, & ab illo recedere turpe ducunt: ii tamen non affequuntur Auguftini mentem, quæ ut pateat, præftat exponere tum antiquiffimam, tum recentiorem Ecclefiæ praxim. Ritus Funebres, quibus Defuncti corpus honeftæ effertur apud omnes bene moratas gentes obtinuerunt, eofque non tam humanitatis, quam Religionis operibus annumerarunt. Hinc officia mortuis impenfa alii *Juftorum folutionem*, alii *Exequiarum ritus*, alii *Exhibitionem Mifericordiarum* nuncuparunt, quam poftremam nuncupationem ex Hebræorum fontibus petitam, Divina Scriptura commendat, quæ Reg. 2. c. 2. Davidis in Jabes Galaad viros humanitatem defcribens, quod Saulem honeftæ fepulturæ tradidiffent, fic eofdem illum fuiffe alloquutum ait: *Benedicti vos a Domino, qui feciftis mifericordiam hanc cum Domino veftro Saul, & fepeliftis eum*. Ipfis quoque Ethnicorum fapientibus non difplicuiffe eamdem nuncupationem in illorum fcriptis legimus, nam officium Funeris *Humanitatem* vocavit Cicero Orat. pro Quint. *Humanitatem, & Manfuetudinem* Valerius Maximus dixit lib. 5. cap. 1. *Mifericordiam, & Religionem* Quintilianus appellat l. 12. cap. ultimo Inftit. Orat. *Mifericordiam, & Humanitatem* Seneca de Benefic. l. 5. c. 20. *Sortis humanæ commercium* Tacitus, *Mifericordiam, & Pietatem* Ulpianus, Modeftinus tandem *Memoriam humanæ conditionis* dixerunt; e contra vero eorum qui fupervacaneam facerent Sepulturam *Sævitiam* vocavit Livius l. 8. *ultra humanarum irarum finem*, & tales Spartianus in vita Caracallæ ait effe *fine humanitatis reverentia*. *Impiamque fapientiam* Lactantius libro 6. illam effe ait, quæ Funeris pompam faftidit; & certe nil infipientius effe poteft, quam Ecclefiafticam pompam, & ornatum Funerum, quafi nuperæ fuperftitionis commercia fugillare, Cantum, Cereos, Suffragia, & Oblationes, quæ mitigandis Defunctorum pœnis Ecclefia adhibet irridere, cum fimiles ritus a primis Ecclefiæ fæculis obfervatos legamus.

Per totam, qua funus ducebatur viam, Pfalmos, & Hymnos decantatos fuiffe Auguftinus de funere Matris agens in lib. 9. Confeff. cap. 12.

fe

testatum reliquit, idemque tradidit in Epistola 258. agens de Exequiis cujusdam pueri notarii Evodii, id quod amplius patet ex S. Gregorio Nysseno, qui describens Sororis suæ Macrinæ funus hæc ait: *Cum igitur nocturna pervigilatio, ut in Martyrum celebritate, canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum advenisset, confluentium vicinis a locis omnibus virorum, & mulierum multitudo, psalmorum decantationem fletibus interpellabat. Itaque confluentem populum in genere distribuens, mulierumque multitudinem admiscens virginum choro, virorum autem turbam adscribens monachorum cœtui, unum quemdam ex utriusque studii aptum concinnumque, tamquam in psalmos canentium congressum ex communi omnium concentu apte conjunctum ordinem constituere.* Ejusdem usus, & ritus aliud testimonium suppeditat Sulpitius Severus in Epistola 3. ad Basulam de obitu, & funere S. Martini, & Antonius Monachus in vita S. Simeonis Stylitæ, itemque Surius die 11. Decembris in Actis etiam Danielis Stylitæ. Unde cum Vandali hæretici hymnos in Exequiis Catholicorum decantare prohiberent, ita Victor Uticensis, in historia Vandalicæ persecutionis hanc injuriam Catholicis illatam deflet: *Quis sustineat, atque possit sine lacbrymis recordari, dum præciperent nostrorum corpora Defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam duci*: Eumdem hunc ritum Toletani III. Concili Patres decreverunt in Can. 22. item Justinianus in sua Novella 59. & Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ in eodem peragendo consensionem indicavit Joannes Episcopus libro 5. Juris Græco-Rom. seu lib. 1. Responsorum. Ritum eumdem illustrant Filasac. l. 1. Scelect. c. 16. Bosius Tom. 1. Romæ subter. cap. 19. Savarus ad Sidon. l. 2. Epist. 8. Baronius A. 34. n. 319. & Cujac. l. 2. qq. Papinian. in L. ultima *de his qui notant &c.* Huc etiam spectat peculiaris ille mos in Episcoporum prætertim Exequiis observatus eorum corpora deducendi per varias Ecclesias antequam in tumulum deponerentur, in quibus prius, & solemnes Absolutiones pro ipsius animæ requie fiebant, ut scribit auctor vitæ S. Wolfangi, Surius in vita Annonis Archiepiscopi Coloniensis, & Ugo Flaviniacensis in Chronico pag. 189. Etiam Durandus in Rationali l. 7. cap. 35. peculiarem quorumdam locorum morem describens tres notat ab elatione a domo ad Ecclesiam per viam fieri pausas, in quibus tres super mortuum fiebant absolutiones. Huc quoque spectant Defunctorum vigiliæ, quas Fideles agebant dum apud Fidelium corpora in Ecclesiis exposita orando excubabant, quibus hodiernum Defunctorum Officium respondet, quod Vigiliarum nomen retinuit, primis Vesperis, & Officio nocturno constans. Corpore enim sub vesperam ad Ecclesiam delato, ut ibi tota nocte quiesceret, statim Preces, & Vigiliæ inchoabant, quæ preces, quia vesperi coram corpore agebantur, primæ Vesperæ appellatæ sunt, reliquæ vero, quæ de nocte agebantur Officium Nocturnum. Antiquissimum hujus Officii monumentum Hugo Menardus illud habet, quod invenit in Codice Sacramentario S. Remigii Rhemensis, quod anno 1000. scriptum credit, & quod excripsit in notis ad Sacramentarium S. Gregorii. Illudque speciale observat in hoc Officio, quod post Cantatum Psalmum *in Exitu*, qui Psalmus in principio Officii occurrit, statim dicitur Alleluja, *quare*, inquit, *olim hanc lætitiæ vocem in Defunctorum Officio non fuisse prætermissam ob lætitiam, quæ toti Ecclesiæ ex morte justorum obvenit, & ut scirent fideles de morte propinquorum non esse dolendum more gentilium, qui spem non habent, sed potius iis congratulandum de triumpho*, quod jampridem notavit S. Cyprianus in Tractatu de Mortalitate, & Concilium III. Tole-

le-

letanum can. 22. conformiter ad illud Apostoli: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent*. Lugubrem Cantum adhibuerunt Gentiles in funeribus, ut suum de mortuis mœrorem declararent, cui insana plurima, & fanatica externi luctus indicia addiderunt, ut notavit Chrysost. hom. 61. in cap. 11. Joan. Fanaticum etiam plangentium morem in usu olim apud Judæos fuisse Evangelicus textus ostendit, *apud quos*, ut ait S. Ambrosius, *in more receptum erat, ut in omni ductione funeris tibicines ad incendendos excitandosque confluentium luctus adhiberentur, & præficæ Mulieres, scilicet quæ mercede conducebantur ad deflendum, laudandumque defunctum*. Hujusmodi immodicos luctus in Christianorum funeribus Patres improbarunt, & lugendi modos rejicientes, nonnullosque retinentes in patentissima lætitiæ signa converterunt. *Immodicos* dixi, cum aliquem in morte Christianorum luctum permiserint, ut scripsit S. Augustinus Sermone 32. sive 172. de verbis Apostoli: *Non admonuit Apostolus, ut non contristemur, sed non sicut ceteri, qui spem non habent. Contristamur ergo, nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi, inde angimur, hinc consolamur, inde infirmitas afficit, hinc fides reficit, inde dolet humana conditio, hinc sanat Divina promissio*. Similia legi possunt apud Balsamonem in expositione can. 106. Concilii Carthaginensis, & in ejusdem canonis supplemento latinæ solum editi, & ad Operum ejusdem calcem adjecti.

Corpora Defunctorum durante Ethnicorum persecutione ad Cryptas, & loca subterranea sepelienda noctu Christianos detulisse dubium non est, & nonnisi pace reddita Ecclesiæ per Constantinum claro die deferri cœperunt. Morem hunc per noctem Cadavera efferendi invaluisse apud Gentiles pluribus ostendit Gothofredus ad L. 5. Cod. Theodos. de Sepulchris, violatis, & eumdem restituit Christianis Julianus Apostata, hac ratione, quod cum Defunctis nihil inter sit utrum per noctes, sive per dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus. Creditur etiam, quod Theodosius junior ritus ejusdem observantiam probaverit, quod in suum Codicem Juliani legem retulerit, & revera S. Ambrosii temporibus noctu, sive vesperi corpora ad Ecclesiam deferebantur, ut eruitur ex ejus libro de Viduis. Hinc factum esse nonnulli scribunt, inter quos Bosius lib. 1. Romæ subterraneæ cap. 17. n. 29. & cap. 18. n. 1. quod Cereorum, & Lampadarum usus invalesceret in efferendis Defunctis, sed hoc non concederent ii, quibus innotuit id, quod in L. *Mævia* D. de Manumiss. Testamentar. statuitur, nimirum, quod *Mæviæ famuli libertatem assequantur hoc onere, ut ejus monumento alternis mensibus Lucernam accendant, & solemnia mortis peragant*, quibus verbis patet Luminaria accendendi morem, & mortuos hujusmodi ritu colendi, fuisse longe antiquiorem, nec id laudatus Auctor dissimulat, ubi notat Gentiles, & Judæos diurnis funeribus lumina adhibuisse, quod factum fuisse ab illis ad noctis tenebras effugandas dici non potest. Morem itaque hunc tum primos, tum insequentium ætatum Christianos tenuisse ad lætitiam insinuandam, & pium religionis cultum amplificandum, notavit S. Hieronymus adversus Vigilantium, notavit S Gregorius Nazianzenus, cum loquens de funere Constantii, inquit, *eum fuisse elatum luminibus accensis, quibus Christiani transitum honorare pium existimant*, notavit Chrysostomus homil. 4. in Epistolam ad Hebr. & demum notarunt alii, inter quos Baronius ad A. Christi 58. & Onufrius Panuinus de Ritibus sepeliendi mortuos cap. 5.

XL.

XI. Notavit idem Onuphrius, & multis testimoniis ostendit alium morem celebrandi Missam pro Defunctis, & quidem præsente corpore, nec non & illum morem offerendi pro mortuis eleemosinas condito, & curato funere. Primum morem hodie quoque observari desiderat Rituale Romanum antequam defuncti corpus Sepulturæ tradatur, & profecto, quo ad fieri potest attenditur non secus ac celeberrima illa defunctorum commemoratio, quæ antiquissimi instituti fuit die ab obitu tertio, septimo, & trigesimo, cujus meminerunt Amalarius lib. 4. de Divin. Off. cap. 42. Hincmarus artic. 14. Capitulorum anni 852. & Vulgatus Alcuinus lib. de Divin. Off. cap. 5. Eamdem commemorationem fuisse etiam communem Græcis scribit Nicephorus, qui cum dixisset *annis singulis ante magnam quadragesimam Vigilia Pentecostes, & primo mensis Octobris Sabbato a Græcis legi Officium cunctorum a Sæculo dormientium Christianorum*, addidit, *quod uniuscujusque præterea recens defuncti memoria studiose ab eisdem recolitur, precibus, & Sacrificiis Deo oblatis tertio, nono, & quadragesimo die*, cujus disciplinæ rationem magis consonam Neophytus Rhodius in sua Synopsi vernacula depromens ex Clemente Apostol. Constit. lib. 8. cap. 48. ait, *nimirum, ut Christi Resurrectionem ostendant, ut novem Angelorum Choris mortuum aggregari deprecentur, & ut luctum Israelitici populi Moysis morte ad quadragesimi usque diem productum fusis pro anima sui defuncti precibus felicius adumbrent*. De his *Tertianis, novenis, & quadragenis*, aliud profert testimonium vita S. Theodosii Cœnobiarchæ n. 17. apud Bollandum 11. Januarii: aliud Justinianus Imperator in Novella 133. cap. 3. & aliud Eustratius Tractatu 3. de Defunctorum Animis apud Phot. Bibliot. cap. 171. In antiquo Missali Lugdunensi Monasterii Athanacensis legitur peculiaris ritus observandus in Tricennario S. Gregorii pro defunctis, in canone 10. Concilii Celichytensis anni 816. alia statuuntur pro Suffragiis Episcopis mortuis concedendis, ex quibus omnibus constat universalem Ecclesiam probasse semper, & consuevisse precibus, & Suffragiis Christianorum pium a vita discessum exornare.

XII. Alias annectit Cæremonias Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 7. quibus ipsi Episcopi (tunc enim moris erat mortuum ad Pontificem ducere quasi coronis donandum Sacris, quem morem ubicumque temporum, vel locorum facultas tulisset servandum esse Concilium Triburiense can. 15. sancivit) fungebantur inter justa persolvenda. Postea inquit Venerabilis præsul, *precem super eo, scilicet defuncto, Sacratissimam peragit, finita prece osculatur Episcopus mortuum, & omnes post illum. Postquam omnes osculati sunt infundit Pontifex mortuo Oleum*. Cæremoniam hanc, ut a Christianis receptam etiam num hodie Græci observant. Primo enim e Sacerdotibus, quem reliqui inde sequuntur propius ad Cadaver accedente, & Orationem recitante a cunctis amplexu, & Osculo mortuus excipitur. Osculum autem hoc, precum pro mortuo faciendarum promissio est, & arrha, *os enim Orationis Officium est*, ut inquit Simeon Thessalonicensis, vel *est pietatis, charitatisque pignus*, ut ait Ambrosius in Examero lib. 6. c. 9. Ceterum Osculi genus præfatum apud Latinos desiit, scribunt aliqui propter Antissiodorensis Concilii Decretum, quod legitur in can. 12. in quo prohibetur mortuis Eucharistiam, & Osculum tradere; quamquam hujus canonis alia mens fuit: Siquidem Antissiodorenses Patres mortuos Anathemate prius in vita perculsos, vel hoc crimen aliquod ab Ecclesiæ cœtu sejunctos, Osculo, & Eucharistia datis, quasi resarcitæ pacis,

cis, & communionis redditæ Symbolis reconciliatos existimare solum vetarunt, voluerunt que sceleratum quemlibet in vita, sic post mortem Christiana tessera privandum esse. Ecclesia vero Latina mortuos deosculari nec jubet, nec prohibet, quæ osculi publice dandi usum nusquam assumpsit. Eucharistiam nihilominus cum mortuis sepultam fuisse post Concilium Antissiodorense, quod inclinante Sæculo VI. celebratum est, imò etiam post decretum S. Bonifacii Episcopi Moguntini in Statutis capite 20. Spicilegii Tom. IX. cognoscitur ex historica relatione inventionis Corporis S. Uldarici, quæ legitur in Sæculo V. Benedictino p. 475. ex narratione Bernonis Abbatis Augiensis. Verum etiam hic mos obsolevit omninò.

Neque usquam Latina Ecclesia morem assumpsit defunctos Oleo solemniter inungendi, qua de re in Florentino Concilio Latini Patres a Græcis inquisiverunt, quare ipsi mortuos Oleo inungerent prius quam eos Sepulturæ traderent, quod cum faciant, quia ut ex Dionysio Simeon Thessalonicensis scripsit: *recte, generoseque, qui vita functus est certamen obiit, ea propter, & prius unctus est, & nunc Oleo inungitur in Christi ipsius, qui unctus est, signum, in decedentium obsignationem, & in mortuorum corporum pro Christo præliatorum, conversatorumque devote sanctificationem.* Ad hæc, *& in honorem ipsorum, quia secundum Christum vixerunt, cujus sanctificatum Unctionis Oleum signum est, ac propterea depositis velut in Sepulchro Sacerrimis Sanctorum Martyrum reliquiis, Sanctum quoque Chrysma hujus Olei vice super infunditur: perfectis enim perfectum adjicere convenit. Nos itaque id agimus, & mortuis in Christo Fratribus Oleum super infundimus, non illud tamen viventibus præberi solitum, de quo Frater Domini loquitur, sed aliud ex Templi, & maxime Altaris lampade*, probabile est Dorotheum Mytilenensem Episcopum iisdem momentis Latinis inquirentibus respondisse, quæ certe Catholica sunt, & ab omni superstitione aliena.

Id a Christianis in suorum Defunctorum corpora factum fuisse scimus, quod legimus Corpori Christi D. contigisse, cum Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus more Judæorum illud sepeliverunt linteo involutum cum aromatibus: siquidem Martyrum Corpora Sepulturæ traditurí Christiani condiebant, ut tradunt S. Epuli Diaconi Acta apud Ruinartium, & Acta S. Calixti, & ut legitur apud Minutium Felicem in Octavio, apud quem inter crimina Christianorum illud notabatur a Gentilibus, quod *non floribus caput necterent, non corpus honoribus honestarent, reservarent unguenta funeribus*. Ejusdem moris testis est Tertullianus in Apolog. c. 42. ubi hoc honoris obsequium aliis quam fidelibus fuisse concessum describit; & hoc idem repetit in lib. de Resurrect. carnis, & in lib. de Idololatria. Ejusdem consuetudinis meminit Clemens Alexandrinus Pedag. lib. 8. Prudentius in Hymno ad Exequias defunctorum, Augustinus in Sermone 177. novæ editionis n. 7. & Sermone 131. n. 12. & meminit etiam liber Pontificalis in Vita Xisti III. ut prætermeam sexcentos alios, qui eamdem consuetudinem Sæculis longe sequioribus obtinuisse, & retinere adhuc scripserunt.

Thurificationem item, & Aspersionem Aquæ lustralis super corpus Defuncti, ut nunc in usu est, veteres Christiani non omittebant. Sic in Apologetico adversus Gentes cap. 42. scribit Tertullianus. *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris, & charioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis*: Et quod legimus in

Testamento S. Ephrem, ubi dicit: *Oro vos quoque dilectissimi ne cum aromatibus me sepeliatis, date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini: me Orationibus vestris comitamini, & aromata Deo offerte*. Thuris in funeribus usum per antiquum fuisse probat etiam apud Græcos, & confirmat illa, quæ pro thure vaporando in MS. Cryptoferratensi Bessarionis Euchologio legitur Oratio, tum id quod in funere Nili Junioris, Discipulus ejus contigisse descripsit: *Totam noctem illam in Psalmis, & funereis Hymnis Cantandis peregimus, mane vero cum cereis, & incenso, & cantibus lectulo sublato corpus extulimus*; quod ab eo non discrepat, quod factum quoque fuisse in funere S. Lupicinii in Vitis SS. PP. legitur: *dispositis in itinere psallentium turmis, cum crucibus, cereis, atque odoris fragrantis thymiamatis &c.* Lustralis aquæ usus præter Latinarum Ecclesiarum Ritualia, quæ illum invaluisse testantur, meminit Durandus in lib. 7. Rationalis cap. 35. ubi observat *in quibusdam locis in tumulo una cum cadavere aquam benedictam poni, ne Dæmones, qui multum eam timent ad corpus accedant, sive ut signum Baptismi, & Christianitatis suæ appareat, & testimonium, quod ipse fidem Christi habuit in mente*, ut Anonymus Turonensis notavit in suo MS. Speculo Ecclesiæ.

XIII. Justis persolutis mortuus in tumulo deponebatur habitu cuilibet ordini proprio indutus, qua in re cautum est in can. 3. Concilii Arvernensis, ne Pallns, ne Ministeriis Divinis Defunctorum corpora obvolverentur, ne ut dicitur in can. 7. *Sacro Velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, Altaria polluantur*. Sed Durandi ætate pene totus hic usus obsoleverat, præterquam in Italia, ut ipse scribit in Rationali l. 7. c. 35. n. 40. *Circa tumulum*, sequitur Anonymus Turonensis, *dicebantur septem Psalmi cum Antiphonis, & sequebantur septem Orationes, scilicet ut quidquid in Septennario hujus vitæ homo, dum viveret, deliquit, per hunc Psalmorum, & Orationum septennarium deleretur, vel ut Sabbatum animæ, idest requiem æternam consequeretur. Sequebatur deinde octava antiphona, quæ octavam, idest resurrectionem præfigurabat*. Tumuli plerumque erant lapidei, Imperatoribus, Regibus, aliisque illustribus viris marmorei, aut porphyretici, & sæpe in Ecclesiis elati, quem morem Pius IV. cohibuit decernens, ut narrat Johannes Franciscus Firmanus in Diario suo, *quod deponerentur*. Idem statuit in Galliis Theodulphus Aurelianensis in suis Capitularibus art. 9. Communiter tamen, ut dictum est, in Cœmeteriis Defunctorum corpora sepeliebantur. Quæ caussa moris hujus introducendi fuerit, ut corpora humo tegerentur, multiplex legitur apud Auctores, & præcipuas percurrit Grotius in l. 2. sui eruditissimi Operis de jure Belli, & Pacis cap. 19. Nobis autem potissima illa videtur, quam Sapiens insinuat Eccl. 12. *pulverem oportere ad terram redire, spiritum autem ad Deum, qui dederat*, quod argumentum Euripides ex Thesei persona in supplicibus tractans ait: *Jam finite terræ mortuos gremio tegi, Res unde quæque sumpserat primordium, Eo recipitur; Spiritus Cælo reddit, Corpusque terræ &c.* Non contemnenda profecto, & illa ratio est, quam Plinio teste l. 7. c. 55. Democritus excogitavit, ut scilicet hoc veluti monumento resurrectionis spes a primis humani generis parentibus posteris consignata putaretur, quam rationem Prudentius inspexit, cum Christianorum morem honeste condendi corpora, ad hanc spem retulit. Hoc humanitatis officium refert S. Bernardus Sermone 26. in Cantica se fratri exhibuisse: *Indutus*, inquit, *Sacerdotalibus, solitam Orationem proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci super dilectum corpus terram [illegible] ipsum futurum.* Nec

Nec utilitatibus vacat hæc Defunctorum corporum sepultura, nam prætermissis illis, quæ non sine errore defenduntur, ut Augustinus ostendit in lib. de Cura pro mortuis c.2. *Sepulturam nimirum esse necessariam ut Animæ requiescant, & ut corpora, quæ omnino sensu non destituuntur, ab externis offensionibus reddantur immunia*: dicimus cum Ambrosio in libro de Tobia: *nihil hoc Officio præstantius ei conferre, qui jam nobis non potest reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ, quod non fuisse eventurum invisis sibi Regibus minatus est Deus apud Prophetas* (Jer. 22.) *ut Asini sepulturam haberent, ut Canes eorum sanguinem lingerent*. Id præterea utilitatis exurgit corporibus Defunctorum, *ne velut probro afficiantur post mortem si nuda diffluant, quod alienum merito videtur ab istius naturæ dignitate, & alienum a ratione naturæ humanæ, arcana post mortem omnibus conspicua exponere*, quapropter morem hunc ab antiquo accepimus humana corpora sepeliendi, ut monumento condita, clam, & procul a conspectu tabescant, ad quod & illud pertinet Gregorii Nysseni in Epistola ad Lætojum: *ne soli ostendatur id, quod dedecori est humanæ naturæ*. Accedit etiam quod hoc sepeliendi officio non tam homini, idest personæ, quam humanitati, idest naturæ humanæ præstari dicitur, cui consequens est, ut nec inimicis, nec hostibus invideri sepultura debeat, nam ut Scriptor ad Herennium advertit: *quod malorum est extremum, accidit illis jam*.

Unum tamen notatu non indignum, in sepeliendis mortuis regulam, apud Hebræos habuisse exceptionem eorum, qui ut Josephus docuit l. 3. de Bello Judaic. c. 25. mortem sibi consciverunt, & apud Gentiles, eorum qui Paricidium, aliaque scelestissima crimina perpetrarunt L. 11. §. 3. de his qui notantur infamia, & L. 35. D. de Religiosis, & impensis funerum. De Paricidis enim tamquam scelestissimis decretum fuit ut cadavera eorum, aut in mare projicerentur, aut bestiis objicerentur devoranda; illos vero, qui sibi mortem consciverant inhumatos relinquebant, cum in hos aliud supplicium constitui non posse crederent, qui mortem pro supplicio non habebant. Hodie videmus quorumdam damnatorum corpora in publico conspectu relinqui, quamquam inter se plurimum certent Politici non modo, sed & Theologi utrum laudabiliter fiat. Satis nihilominus est id quod hujusmodi mortuis accidit, a vivis metui, ut hoc pacto a peccatis retrahantur. Sic Deus interdum Sepulturæ jactura quosdam puniit, & David Goliæ caput ostentui servavit. Unum certum est, nos non legere Ecclesiam unquam prohibuisse cadavera mortuorum humari, sive terra cooperiri, sed vetuit quorumdam corpora in loco religioso, aut ritu Ecclesiastico sepeliri. Ex hoc tamen non sequitur licere cuivis absque Judicis voluntate, attento etiam jure Pontificio, punitorum cadavera sepelire, quod prohibet textus in L. 7. tit. 13. part. 1. & L. fin. tit. 31. part. 7. imo Clerici vel Monachi furtim, atque per vim si hæc corpora extrahunt, gravirer puniuntur in L. *addicto* 7. C. de Episc. Aud. & licet ipsa in Ecclesiam asportaverint, non gaudere immunitate Ecclesiastica Ludovicus de Egda probavit in Tractatu de Cadaveribus punitorum. Unde Milites olim constituebantur ad eorum custodiam, ut legitur Matth. c. 27. & docuit Petronius in Satyr. cap. 71. 72. Petrus Gregorius in l. 31. Syntagm. cap. 27. n. 9. Baronius Tom. 1. Annal. fol. 167. Ramirez, Lipsius, Grethserus, aliique a Notatore Petronii laudati.

XIV. Ex iis, quæ hactenus scripsimus satis docemur, maximi semper se-

fecisse Ecclesiam opus Sepulturæ: verum quia sæpe contingit illa ipsa opera, quæ bona sunt, pravo aliorum usu dehonestari, Ecclesia ipsa Episcoporum curæ commisit ea singula prohibere, atque e medio tollere, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix, inducere potuisset, soliciteque attendere, ne quæ similia irreperent. Quænam vero illa sint, quæ Ecclesiarum Præsules statuerunt *ne Spiritus Defunctorum inquietarentur*, quod Eliberitani Concilii Patres in Canone 34. dixerunt, & Ambrosius in Epistolarum l. 2. scripsit Epist. 8. modo subjicimus.

1. *Non despecta esse debet, nec superba Sepultura*, Habetur hæc regula in Decretis Rhemensis Concilii A. 1583. sub titulo de Sepulturis n. 1. ubi legitur: *quantum autem attinet ad Christianorum Sepulturam, quam nec superbam, nec neglectam esse decet, aut despectam, Parochi in hanc Officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum funera Christianæ simplicitatis, & modestiæ limites non excedant*. Quomodo autem id impetrari possit docent Patres in n. 2. ubi inquiunt: *id autem fiet, si ipsi primum mercede consueta, & honesta contenti sint, dein superfluas impensas, quæ propter ambitionem, ac fastum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pauperibus erogari suadeant*. Neque primum hoc auditum est in hoc Concilio, longe ante S. Augustinus idem docuerat in lib. de Cura pro mortuis, & in lib. 2. de Civit. c. 12. & 13. & in suis Constitutionibus præscripserat Ludovicus Guillardus Carnotensis Episcopus A. 1526. tum Synodus Cameracensis, aliæque permultæ, & postremo ipsum Rituale Romanum sub titulo de Exequiis. Ipsæ Civiles Leges moderationem sumptuum, & expensarum in Defunctorum Exequiis desiderarunt, judicumque arbitrio jus determinandi in his reliquerunt Lex 12. §. 5. L. 14. §. 6. D. de Religiosis, & sumptibus funerum, ubi præsertim decernitur *quod si res egrediatur justam sumptus rationem, testatoris voluntas non attendatur*. Nil mirum ergo quod apud nos moderatus, & limitatus fuerit exequiarum sumptus, & fastus quod in immensum excreverat juxta personarum qualitatem. Ex hoc tamen factum non est quod hæredes defunctis Justa non rependant. Siquidem Carthaginense IV. Concilium can. 95. decernit, quod *qui oblationes Defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur; & ut infideles*, inquit Vasense Concilium II. c. 4. *ab Ecclesia abjiciendi sunt, quia usque ad inanitionem fidei pervenire certum est hanc Divinæ pietatis exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes Judicium Dei habendi sunt: Unde & quidam Patrum hoc scriptis suis inseruit congruente sententia, quæ ait: Amico quippiam rapere, furtum est, & Ecclesiam fraudare, Sacrilegium*. Teneantur ergo hæredes eorum qui ex hoc sæculo in Ecclesiæ communione migrarunt, pietatem, & gratitudinem erga mortuos conservare, & Christianæ charitatis officia omnia rependere pro suo quisque modulo, ac facultate, utpote Preces, Eleemosinas, Ecclesiæ Suffragia, ac Missæ Sacrificium, sed in his gerant se prudenter, & juxta laudabilem consuetudinem, & introductum morem, evitentque omne fordidum, cum & de Christi Sepultura scriptum sit *fuisse Sepulchrum ejus gloriosum*. Quod si mortuorum hæredes ita se impie gesserint, & Religiosum Exequiarum i[illegible]m neglexerint, & Cruci, Clericis, & Funeri debita lumina adhi[illegible]e nolint, cum illis bene actum esse, si ab

ab Episcopis ea comparare cogantur, quæ necessaria videbuntur, S. Carolus statuit, in suo primo Mediolanensi Concilio titulo de Funeribus, & Exequiis.

II. *Avaritia omnis ab Ecclesiarum Ministris, sordidusque quæstus arceatur. In Exequiis præstandis, qua par est modestia, ac devotione ita se habeant Parochi, aliique Ministri, ut ad Defunctorum salutem, simulque vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quæstum ejusmodi ritus instituti esse videantur*: ita loquitur Rituale Romanum loco supra citato. Sacerdotum cupiditatem maxime fovit Laicorum Ambitio, nam cum Laicis nonnullis, honoris aura, Sepultura in Ecclesiis concessa esset, iis scilicet, *qui per vitæ meritum*, ut inquit S. Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Epistola ad suos confratres Presbyteros, *talem vivendo suis Corporibus Defunctis locum acquisivissent, exceptio hæc totum campum aperuit Laicis Sepulturam in Ecclesia ambiendi, & Sacerdotibus plenam eam annuendi libertatem*. In hoc vero illud accidit, quod ut Laici honoratiorem Sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores, & Sacerdotes ipsi pro his locis pretium exigere non erubescebant, quod quantum sordesceret ex Decretis contra hanc exactionem factis abunde patescit. *Non adeo promiscue*, ait Concilium Rothomagense A. 1581. *sepeliantur in Ecclesiis ditiores, ne is honor detur pecuniis potius, quam gratiis Spiritus S.* Concilium Rhemense A. 1583. addidit *nisi forte de consensu Superiorum*; monuit tamen, ut Superiores non passim omnibus hoc privilegium concederent, sed in ejusmodi concessionibus delectum personarum haberent. Eosdem Laicos nonnisi cum licentia Episcopi in Ecclesiis sepeliendos esse ejusdem anni Burdigalense Concilium cap. 30. sancivit, & expressius adhuc id decrevit IV. Concilium Mediolanense in cap. 63. par. 1. ubi legitur: *ne Sepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur, ut sepulchra fiant constituanturque in ulla quavis Ecclesia sine Episcopi concessu scriptis exarato*. Huc spectant illa, quæ Personius refert in Tractatu de Beneficiis c. 4. par. 2. §. 4. n. 9. nimirum *Episcopum Silvanectensem præcepisse Compresbyteris suis ne intra Ecclesiarum septa, sine suo jussu Defunctorum corpora inferrentur*, & facit etiam moderna Ecclesiæ disciplina, quæ jus Sepulturam in Ecclesia eligendi fere solis Patronis, & Fundatoribus concedit. Facit etiam & illud quod Carolus Feuretius in l. 4. de Abusu c. 8. n. 31. scripsit de jure designandi locum Sepulturæ, quod in multis Ecclesiis earumdem Æedituis attribuitur: tum illud quod scripsit Mornacius ad L. 4. D. de Mortuo inferendo, in antiqnis Inscriptionibus legi, datum hunc locum Decreto Decurionum: & demum illud quod notavit Cicero Oratione de Arusp. referens antiquissimum Romanorum morem, quod scilicet Numa II. Pontificibus Justorum Funebrium curam demandavit. Consultius itaque erit etiam nunc, si quid hac in re contra insolitum morem statuendum, aut faciendum aliquis crederet, id Episcopis indicare, ne Parochi, ceteræque Ecclesiasticæ Personæ turpis quæstus gratia appetere videantur sumptuosas Sepulturas, vel Exequias.

III. *Jus funerandi Parrochialibus juribus annumeratur*. Propositio hæc quæ communis est apud Juris interpretes, fundatur in jure Sacramenta, aliaque Pastoralia inter limites Parochiæ Parochianis exhibendi; hinc est, quod Ritualia omnia, & Conciliorum Decreta, dum agunt de Sepulturis, & Funeralibus, Parochos solos tamquam Ordinarios Ministros cognoscunt, illisque præcipiunt quid in his agere debeant, & a quibus debeant abstinere. Parochiani dicuntur illi, qui intra limites Parochiæ degunt, ut vivi Sacramenta percipiant.

piant. Tales vero habentur Scholares in Academiis, Peregrini, & transeuntes, nisi commode sepeliri possint in Parochia domicilii; Pueri similiter, alieque non Religiosæ Personæ, quæ in Monasteriis morantur respectu Sepulturæ, non secus atque respectu exhibitionis Sacramentorum Parochiani illius Parochiæ sunt, in qua reperitur Collegium, vel Monasterium, nisi ex speciali concordia aliud ipsis sit permissum, quæ clausula in hac materia plurimum valet cum concordata semper servanda sint, ut sunt servanda privilegia, & indulta particularia, & jura omnia longi temporis præscriptione suffulta. Sic Canonicis, aliisque Beneficiatis Personis, quamquam in aliena Parochia habitent, quia tamen ipsi Ecclesiæ Capitulari sunt incorporati, Jus est ut in hac Ecclesia sepeliantur, si commode fieri possit, ut notat Cardinalis Tuschus Pract. Concl. litt. P. concl. 99. n. 5. & ut legitur in antiquis Decretis Cameracensibus titulo 21. *Illi quoque oblati qui se, & sua monasterio dederunt, & tradiderunt ad serviendum Deo, qui in sua professione promittunt obedientiam Abbati, & fidelitatem Monachis, votum autem castitatis, aut paupertatis non emittunt, sed tantum monentur, quod in virtute obedientiæ præstanda, perpetua etiam continentia, & carentia proprii sunt eis injungenda, & resignant in manum Prælati quidquid habent, sepeliuntur in sepultura, quam habent in Ecclesia, in qua sunt oblati, unde in eis non habetur ratio quarta canonica, censentur enim hac oblatione de familia Monasterii, sive ipsi familia incorporati.* Religiosi item omnes, qui suum Prælatum pro Parocho habent, & Monasterium pro Parochia in Monasterii ambitu, vel Ecclesia sepeliuntur cap. *finali* de Sepulpulturis in 6. idemque Privilegium ad Moniales extenditur, & ad illas mulieres, quæ alicui Regulari Ordini adscriptæ, vulgo Beghinæ vocantur, quas *licet susceptio habitus Beguinarum, aut earum Professio non efficiat veras Religiosas, neque dici queant assumpsisse propterea statum omnino fixum, & immutabilem uti est status Religiosus, tamen quia per habitus illius assumptionem se a sæculo, & mulierum sæcularium vestitu, & vivendi ratione, ac contubernio separant, atque ad aliquid particulare vitæ institutum transferuntur, idque ea in ratione ut toto vitæ tempore in eo permaneant, tametsi possint, sine peccato ad Sæculum, & communem Sæcularium vivendi rationem reverti, etiam vere dici potest Beguinas eatenus statum, seu vitæ conditionem assumpsisse, & ita vulgo creditur filias, professione Beguinarum emissa ad statum pervenisse, ac propterea inter alia Privilegia hoc quoque eisdem concessum est, ut Parochum proprium ubique habeant, cujus directioni, & curæ viventes subdantur, & ab eo demdefuncta Ecclesiasticam impetrent sepulturam.* Demum si defuncti habeant Sepulchrum Majorum, in hoc potius quam in Parochiali sepeliendos esse declaravit c. 1. & 3. tituli de Sepulturis, argumento petito a consuetudine Patrum veteris Testamenti, qui cum Patribus suis sepulti esse leguntur, quod verum etiam est, si quis Parochia, vel antiqua dimissa, novam elegerit Sepulturam, quam electionem a nemine posse impugnari, Bonifacius VIII. præcepit in cap. 2. §. finali tit. eodem in 6.

XV. Sepulturæ itaque Majorum, uti & Parochiali præferendam esse Sepulturam a Defuncto electam ex citato Canone clarum est, & clarius adhuc constat ex Christi exemplo, qui Dominus, & Magister noster alienam elegit ut propriam, & ex pluribus aliis juribus confirmatur, quæ in Decretalibus inveniuntur. Hoc tamen non videtur admodum certum, si quis eligat Sepulturam in Monasterio, cum Magnus Gregorius relatus in cap. 1. hoc tit. in 1. col-

collect. dicat *Monachi corpora tam vivorum, quam defunctorum deferre ad Ecclesiam suam nequaquam audeant, nisi assensu, & petitione Ecclesiæ, quæ eis dum viverent consuluit, & consulendo servivit, ac ministravit. Quod si fecerint, ut invasores S. Ecclesiæ sub districti anathematis interpositione, quousque satisfaciant Ecclesiæ, præcipimus*. Verum pro contraria sententia ea sunt, quæ Alexander III. docuit in cap. *ex parte* de Sepulturis in cap. *cum liberum* eod. tit. tum illa quæ Innocentius III. Episcopo Claramonrano. & Abbati Maurien. scripsit, & referuntur in cap. *in nostra* tit. eod. Faciunt etiam pro contraria sententia ea, quæ leguntur in Clementina *Dudum* in 6. in cap. *privilegia* de privilegiis in c. 1. de pactis l. 6. cap. 2. hoc titulo in 1. collect. ubi Paschalis II. hæc scripsit: *Volumus, & juxta Canonum statuta probabile nobis videtur, ut sicut morienti conceditur judicium rerum suarum facere cuicumque loco sibi placuerit, sic nimium, justum est sui corporis habere licentiam illud judicandi in quocumque loco voluntas ejus extiterit, sive in Monasteriis, sive in aliis religiosis locis*. Ad auctoritatem itaque S. Gregorii respondetur jure communi inspecto verum esse Monachos non posse admittere alienos Parochianos ad Sepulturam in suis Ecclesiis, sed datis illis jam privilegiis a Sede Apostolica, hoc jure non carent, & quoscumque, qui apud eos Sepulturam elegerint liberum illis erit sepelire, & Parochi, & alii perperam contra hoc privilegium obstabunt, quod Privilegium etiam per Episcopum illis recte concedi probat, adducens Decis. Rotæ Barbosa de Off. Parochi p. 3. c. 16. n. 14.

XVI. Ex hoc vero quod Religiosis sit acquisitum jus funerandi cadaver ob electam Sepulturam, non poterunt tamen propria auctoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam solemniter ad suam Ecclesiam deferre, nisi loci consuetudo id permitteret, vel specialia pacta cum Parocho inita ex cap. 1. de Pactis in 6. non secus ac vetitum est Parochis, qui corpora Defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possunt, & ibi permanere, in Ecclesias ipsas cum Stola ingredi, ibidem decantare, aut aliam functionem facere, ut ex declaratione Cardinalium docet Petrus de Murga in q. post. p. 3. q. 7. n. 6. Vetitum etiam est tum Religiosis, tum Clericis aliquem inducere, ut in suis Ecclesiis Sepulturam eligat sub pœna excommunicationis Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti ex c. 1. hoc tit. in 6, Clement. *cupientes* 3. §. *Sane* de pœnis. Temperatur tamen hic rigor si electio talis sit, quæ revocari possit, scilicet quæ voto, juramento, aut alio pacto perpetuo non concipiatur; quemadmodum non incurritur hæc censura si Regularis, aut Clericus inducant ad eligendam Sepulturam in aliena Ecclesia pœnalia enim sunt stricte interpretanda.

XVI. Sepulturam is potest eligere, qui a lege non prohibeatur, hujusmodi autem sunt, de quibus maxime potest dubitari Mulieres nuptæ cap. *Is qui* §. *Mulier* hoc titulo in 6. Filius familias si pubes fuerit c. *licet* hoc tit. in 6. & servi similiter ex L. 2. L 4. D. de Religiosis. De Uxoribus ratio clara est, nam electio sepulturæ consentientibus omnibus inter ultimas voluntates connumeratur c. *cum liberum* de Sepulturis, & mulier constante matrimonio potest condere testamentum, & quo ad ultimam dispositionem, habetur tamquam pater familias. Sicuti ergo hic potest relinquere Sepulchrum Majorum, & aliud eligere, ita & uxor novam eligens, poterit mariti Sepulturam deserere, præsertim cum *electio ista*, ut inquit Urbanus III. Episcopo Florentino scribens *ad eum statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri*, & satis est

est quod illarum dispositionum, quæ tempore inhabili fiunt, effectus in tempus habile conferatur L. *Quod sponte* Cod. de Donat. ante nupt. L. in tempus ff. de Hæred. instituit. Propter hanc rationem cognoscitur non posse Religiosum eligere Sepulturam, quia ipse testamentum facere non potest ex defectu bonorum, & voluntatis. Quod vero in cap. *unaquaque* 13. q. 2. dicatur: *Unaquaque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*, hoc verum est; si sepulturam non elegerit, in quo casu, & illud observatur quod si plures successive maritos habuerit, cum ultimo cujus nomen, & statum retinuit sepeliri debet, non vero si uxor Sepulturam elegerit: quare Glossa explicat verbum *in morte* de Consilio, & juxta exempla antiquorum. Non dissimili argumento probant Doctores filium familias posse eligere Sepulturam, quia hæc dispositio confertur in tempus, in quo filius solutus est a Patria potestate, quæ præsertim quoad Spiritualia non inspicitur c. finali de Judiciis in 6. sicuti ex supra citatis legibus non attenditur Dominica potestas supra servos Sepulturam eligentes, quia quo ad Sepulturam habent Personam liberam. Hoc unum observatur talem electionem in aliorum arbitrium relinqui non posse, nam juxta communiorem sententiam *mandatum morte finitur* ex c. *gratum*, & cap. *relatum*: observatur etiam quod si filius non elegerit Sepulturam, in Sepulchro Patris erit sepeliendus; quod si Pater, & Mater diversa Sepulchra habeant, filius non eligens Sepulturam in Sepulchro Matris sepeliendus est, cujus conditionem sequitur ex cap. finali de Filiis Presb. c. *licet* de Conjug. Leprof. nisi tamen aliter per contrariam consuetudinem statuatur.

Quod obiter dictum est de Religiosis, limitari debet in casu, quo tam remote a Monasteriis morentur, ut commode ad ipsa deferri non possint, tunc enim illis electio Sepulturæ non interdicitur. Limitari secundo debet, si Religiosi essent Prælati, & ex tali electione non læderetur honor, & bona opinio Religionis; nam Religiosi Prælati circa ea, quæ pertinent ad regimen Conventus, & sui ipsorum habent suum velle, unde poterunt eligere Sepulturam. Limitari 3. debet pro Novitiis, qui licet quoad plerosque effectus extra votorum obligationem Religiosis connumerentur, nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, Privilegium Canonis, & Fori, nihilominus habent suum velle.

In his casibus Electionis Sepulturæ, semper attenditur, quod non solum eligens sit pubes, ut dicitur in cap. penultimo hoc tit. in 6. sed quod sit etiam compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate: siquidem si leges in testamentis Militum, & Patris inter liberos nullas solemnitates, sed tantum probationem requirunt, idem etiam DD. communiter, & recte in dispositione ad Pias caussas extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio in cap. *relatum* 11. de testamentis ad substantiam necessaria sint. Probatio igitur electionis Sepulturæ fieri etiam potest per testem singularem, & quidem per solum Confessarium, cui tamquam interpreti voluntatis defuncti fides habenda est. Hanc singularitatem testium sufficere præter alios Doctores tradit Wamesius Conf. Can. 433. ex Guidone Papa Decis. 544. *sed hoc requiritur*, inquit, *ut deponant defunctum non jocose, non levitate quadam, aut obiter fecisse hanc electionem, sed destinato proposito, & verbis non omninò enuntiativis, sed dispositivis in re, & actione seria, seu ardua*. Advertit insuper probari posse electam Sepulturam ex facti evidentia, ex destinatione Patris familias, si videlicet sibi, vel uxori, seu familiæ aliquo in loco Monumentum

tum fieri fecerit, si Sarcophagum posuerit, si Epitaphium præveniendo tempus mortis posuerit. Non dubium tamen quin consuetudine, vel statuto induci possit, quod Sepulturæ electio regulis, & solemnitatibus particularibus fiat, ita ut nulla admittatur, nisi constet de electione facta cum his solemnitatibus, puta per Testamentum, aut aliam legitimam ultimæ voluntatis dispositionem, ut refertur judicatum in Actis Cleri Gallicani Tom. 1. tit. 22. cap. 6. a. 7. 19. Julii 1628. per Arrestum Parlamenti Redonensis. Patet igitur ex his propositum eligendi Sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operari.

XVIII. Cum Regulares Privilegia impetraverint a Romanis Pontificibus ut possent Corpora Defunctorum in propriis Ecclesiis tumulare hac adjecta clausula, *salva justitia Ecclesiarum*, ut legitur in cap. 9. de Sepulturis, in Bulla Honorii III. quæ incipit *Religiosam*, & in Bulla Sixti IV. quæ vocatur *Mare Magnum*: merito IV. loco dicimus, quod debetur Parochis Portio Canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi Sepultura electa est, occasione funeris obveniunt. Scimus laudata verba: *salva justitia Ecclesiarum*, nonnullos accepisse, ut distinguerent inhumationem Defunctorum ab Exequiis pro Defuncto exsolvendis, & ut dicerent Religiosis per Pontificum decreta solum fuisse indultum sepelire illos, qui in earum Ecclesiis inhumari elegissent, nequaquam vero eisdem fuisse concessum jus, ut ibidem celebrarent Exequias, cum hoc jus a laudatis Pontificibus fuerit per citata verba ipsis Parochis reservatum, tum quia a jure sepeliendi distinctum est; tum etiam quia ex justitia eis competit. Verum quamquam hoc ab aliquibus dicatur, & nonnullæ Parochiales Ecclesiæ consueverint primum corpus Defuncti ad se ipsas deferre, ut eo præsente Missa ante a suis Parochis celebraretur, quam sepeliretur in loco electæ Sepulturæ, ut testantur Claudius Henrys lib. 1. cap. 3. q. 10. suorum Arrestorum, Carolus Feuretius in Tractatu de Abusu lib. 4. cap. 8. n. 5. & 6. Barbosa de Officio Parochi p. 3. c. 26. n. 70. aliique; tamen attenta contraria consuetudine, quæ permittere cœpit, ut etiam Exequiæ peragerentur absente corpore, attentisque novis Privilegiis, Concordatis, & Conventionibus initis inter eos, ad quos jus funeris dicitur pertinere, dissimulatum, vel permissum fuit, ut corpora Defunctorum recta deferrentur ad locum electæ Sepulturæ, & Quarta Parochiali Ecclesiæ persolveretur de candelis, oblationibus, panno Tumbæ, ceterisque omnibus, quæ vel titulo Institutionis, vel Legati Defunctus pro Anima sua Ecclesiæ electæ Sepulturæ reliquisset in compensationem laboris, quem suffert Parochus in administratione Sacramentorum. Specialiter tamen excipitur in cap. finali de Testam. quod non sit solvenda portio Canonica de his, quæ pro Fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur; nec contra hanc exceptionem facit Clementina *Dudum* 2. h. t. quia, ut inquit Glossa: *ista Constitutio est Juris veteris correctoria, & sic restringenda, & ad alios, quam ad Prædicatores, & Minores non extendenda*: quamquam hodie per Privilegia Sixti, & Pii V. huic Clementinæ circa Portionem Canonicam respectu prædictorum esse abrogatum referant Sylvius *verbo Portio Canonica* in fine, Miranda in Manuali Prælat. Tom. 2. q. 48. a. 8. Molina de Justitia, & Jure Tractatu 2. disputatione 215. & alii.

Observandum tamen est, quod proventus, a quibus Quarta distrahenda est, sunt soli illi, qui proveniunt Ecclesiæ, in qua electa est Sepultura, non

vero illi, quos accepit Parochialis Ecclesia in casu, in quo primo Cadaver ad ipsam fuisset delatum, ut ibi Missa celebraretur.

Observandum est secundo Parochialem Ecclesiam nullam Canonicam portionem acquirere ex relictis Sepulturæ caussa, si Clerici ejusdem Parochialis Ecclesiæ, corpus illius, qui ex devotione apud aliam Ecclesiam Parochiali dimissa, jussit se sepeliri, violenter rapiunt, & in sua sepeliunt; imo cadaver ipsum, & omnia Sepulturæ caussa ab eis occupata integre restituere Ecclesiæ coguntur, ubi testator elegit Sepulturam; ita enim Ecclesiastica jura loquuntur in cap. *eum qui* de Præbendis in 6. in cap. *cum liberum* de Sepulturis, in capite *placuit* 16. q. 6. & in cap. *sic decet* 25. q. 2. ubi illud dicitur amitti, quod quis habet *si improba temeritate assumpsit*: & quod *qui irruens aliquid occupat, etiam si ipsius sit, caussa sua patitur jacturam*. Optandum tamen esset, ut quod in Constantinopolitana Ecclesia ex pia Imperatorum liberalitate, Magni scilicet Constantini, Anastasii, & Justiniani fuit ordinatum, sine vivorum sumptu mortuorum Exequiæ, & funeralia honorifice, & religiose pro ut eorum merita, & vitæ conditio exigunt, agerentur, ipsisque Clericis adimeretur occasio de hoc pietatis, ac Religionis opere, quasi mercandi, & de alieno luctu lucrum captandi, abessent dissidia, & lites, & quidquid aliud non raro committitur, quod simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habet. Constantinus nongentas, & quinquaginta Officinas instituit, quæ ab omnibus essent vectigalibus immunes, ut ad rem funebrem suppeditarent, 950. *Lecticarios*, sive ut tunc vocabantur *Decanos*, vel ut postea eos vocavit Justinianus Novella 59. *Copiastas* idest, ut Epiphanius loquitur, qui mortuorum efferrent corpora. Centum, & quinquaginta Officinas addidit Anastasius, easdem tamen Justinianus contraxit, ut in Novella 43. legitur, quia hoc prætextu multi a vectigalibus solvendis se subducebant. Inter funerum Ministros erant quoque *Ascetrii*, & *Acolythi*. Ascetrii, qui & Canonici vocabantur præcinebant, Acolythi vero prælucebant singulis Cadaveribus. Unum *Ascetrium* dari jussit Justinianus, idest octo Mulieres psallentes, & tres Acholytos, ut singuli gratis funus deducerent. Erant etiam Lecticæ communes, quæ gratis, & sine pretio concedebantur. Quod a piissimis Imperatoribus factitatum est, ut sine ulla pecuniarum exactione Defunctorum Exequiæ peragerentur, non sine maximo Christiani Populi emolumento ipsi quoque Ecclesiarum Pastores præstiterunt: unde

XIX. Dicimus V. quod pro mortuorum Sepultura Parochus aliquid non debet exigere. Sepulturæ nomen Ecclesiastici Auctores dupliciter accipiunt; vel ad significandum Officium illud, quod Corporibus humandis impenditur: vel ut locum illum significent, in quo quis sepelitur, scilicet terram in qua Defunctus humatur. Sive autem primum dixeris, sive alterum, sive utrumque, Pretium pro utroque accipere Sacri Canones vetant in cap. *audivimus*, cap. *Apostolicam*, cap. *suam* de Simonia, & in cap. *abolendæ* de Sepulturis. Et quoad Exequias, quis ignorat easdem ad Ecclesiastica, & spiritualia ministeria pertinere, quod in his omnibus ordinis exercitium reperiatur pro quo pretium exigere simonia est? Parum prodest cum Apostolo reponere neminem debere propriis stipendiis militare, & oportere illum de Altari vivere, qui servit Altari; aut reponere, quod Cassiodorus lib. 2. variar. Epistola 33. scribit *Æquum est, ut unicuique proficiat labor suus, & fiant liberando*

agno-

agnovit incommoda, ita perfectis rebus consequatur augmenta, juxta illud, quod laudatus Apostolus in 1. ad Cor. scripserat cap. 3. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*, cum agatur de Parochis, qui beneficium Ecclesiasticum obtinent in Ecclesia defuncti, qui propterea ratione proprii Officii tenentur suorum Parochianorum Exequiis interesse. Probant laudati textus extraneos, qui ad munus hoc non tenentur, aliquid pro sua substentatione posse recipere; & de eorum labore verificatur, quod illum sine mercede esse, nec jus, nec natura patitur. Hoc unum semper in Ecclesia constans, servatumque fuit voluntarias pro Defunctis oblationes factas, admittere, ita S. Gregorius lib. 7. indic. 2. Epist. 56. postquam Exactiones pro Sepultura reprobavit, addit ad Januarium Episcopum Caralitanum scribens: *sed si quando aliquem in Ecclesia sepeliri concedistis, si quidem Parentes ipsius, proximi, vel haredes pro luminaribus sponte offerre quid voluerint, accipere non vetamus = Si quid Altari, vel Ecclesiæ*, inquit Hincmarus Rhemensis in 1. ex suis Capitularibus, *aut sibi* (Presbytero) *gratis oblatum fuerit a Devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus = Peti, vel exigi aliquid omninò probibemus*, inquit Concilium Meldense, Triburiense, & Nannatense. Quid vero nomine *Oblationum* intellexerint Patres, explicat S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi primo Titulo de Funeribus, & Exequiis: *Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum Crucem, & Cadaver ad Ecclesiam adferuntur, & alia, quæ circa feretrum, & in Altaribus, ac reliquis in locis, dum Divina Officia in funere celebrantur, baredum impensa accenduntur ita Deo oblata esse intelligantur, ut ejus Ecclesiæ, Sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuo addicta sint*. Quia vero nonnulli hac in re abusus irrepserant in IV. Mediolanensi Concilio idem S. Carolus iterum decrevit ne *pactiones de funere, aut de Exequiis pro mortuo celebrandis cum Defuncti barede, aut alio ad quem pertineat, a Parocho, aliove ea conditione fiant, ut certa ceræ pars, quæ Exequiarum Officiis superfuerit, ipsi baredi, aut alteri restituatur*.

XX. Turpis quoque perpetuo visus est quæstus ille qui ex re sepulchrali colligitur, & Sepulchrorum commercium infame existimatum est, cautumque pluribus legibus, ne ab ullo, vel venderentur, vel emerentur, & si quis contra hanc prohibitionem Sepulchrum vendidisset, tam ipse, quam emptor crimine læsæ religionis insimulabantur in L. 1. C. de Sepulchro violato, in L. *Sacrilegii* XI. D. ad Leg. Jul. pecul. & in L. 3. D. de Sepulc. violat. Non solum Sepulchra, sed res ipsas, quæ ipsis inerant, aut conjungebantur vendi prohibuit Julianus, quamquam impiissimus Imperator: *Pergit audacia* (Verba sunt Imperatorii Rescripti L. 5. C. de Sepul. viol.) *ad busta Defunctorum & aggeres consecratos; cum & lapidem binc movere, & terram solicitare, & cespitem vellere, proximum Sacrilegio majores semper babuerint; sed & ornamenta quadam Tricliniis, aut porticibus, auferunt de sepulcbris. quibus consulentes, ne in piaculum incidant, contaminata religione bustorum, hoc fieri probibemus, pœna manium vindice cobibentes*. Quid mirum itaque, si ipsi etiam Ecclesiarum Patres canonicis sanctionibus, terræ qua corpus operitur venditionem, & sepulturæ mercimonium interdixerint? *Grave nimis*, ajebat S. Gregorius in l. s. c. *Et procul est a Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini, quærere, & alieno velle facere luctu compendium*. Gregorianam hanc sententiam Hincmarus Rhemensis exscripsit in Epistola ad Episcopos

Tornacenses, nec alii sunt aliis, quam ejusdem Gregorii verbis Meldensis Concilii Patres, dum can. 72. pessimum morem hunc Sepulchra vendendi proscripserunt. Idem Sepulturarum mercimonium execrarunt Sæculo IX. Leo IV. tum Concilium Triburiense, c. 16. Nannatense item, ut citatur a Burchardo, & Ivone c. 6. Turonense, & Lateranense sub Alexandro III. ubi dicitur *horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut & pro sepulturis, & exequiis mortuorum aliquid recipiatur*, & quia putabant nonnulli Parochorum hoc illis licere propter obtentam consuetudinem, pergit idem Concilium, *quod qui hoc dicunt, non attendunt, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam*. Celebre est Theodorici responsum Danieli cuidam marmorario cui jussit marmora excipiendis cadaveribus destinata, leviori pretio distrahi: *Hinc*, inquit, *quibusdam veniunt ad pretium dolores, & miserabili sorte votorum crescit de humana morte compendium, ita tamen quod non sit iniquitas sub hac occasione taxari, ne cogantur miseri inter acerba luctuum, grata plorare dispendia facultatum, & nefanda devotione constricti, aut urgeantur patrimonia pro mortuis prodere, aut dilecta corpora vilissimis foveis potius dolentes abjicere. Sit modus in voluntate poscentium, quando ipsa miseratio pro ementibus facit*: Leguntur hæc verba apud Cassiodorum lib. 3. Epist. 19. ut legitur apud Ciceronem illa de Verre querela, quod parentes pretium pro Sepultura liberorum in Sicilia poscerent. Merito igitur sacri Canones Fidelium querelas commiserantes, quod non prius illis permitteretur effodi Sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi essent Defuncti, certum pretium Ecclesiis non fuisset persolutum, Clericis inhibuerunt ne quidquam omnino præsumerent exigere hac de caussa, cum Sepultura religiosa sit, & Divini juris, & quæ talia sunt non possint vendi, nec pretio æstimari, quia sunt extra commercium.

Advertendum tamen est hæc quæ diximus vera esse in facta suppositione quod locus Sepulturæ sit consecratus, & non tantum cogitatione, verum & cæremoniis Ecclesiasticis sit Sepulturæ destinatus; nam extra hanc suppositionem terra communis, & profana potest pretio comparari ad Sepulchrum faciendum, ut constat ex facto Abrahæ, quod refertur Genes. c. 17. hic enim Ephren coegit ut Sepulturam sibi venderet, cum illi gratis, & liberaliter Sepulturam, aut locum inter Sepulchra propria concederet. Advertendum insuper est, quod si quid sponte a Defuncti hæredibus, & consanguineis fuerit oblatum pro terra ipsius Sepulturæ, Clerici non prohibeantur accipere, quod colligitur ex sequentibus verbis Concilii Meldensis can. 63. *nullus de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, vel si quilibet pro loco Sepulturæ aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, neque de decimis, & collationibus Fidelium, quemquam Presbyterum aliquem censum persolvere cogat*: & expressum habetur in can. 12. Concilii Bituricensis: *Nullus pretium pro Sepultura accipiet; nisi quod Fideles sponte dare, vel offerre voluerint*.

XXI. Quod Parochis modo permittitur est subsidii gratia, & eleemosinæ titulo illos posse aliquid accipere pro honoratiori, & digniori loco Sepulturæ, sic etiam cum Justinianus jussisset commune feretrum gratis, & sine pretio concedi, in Novella 59. c. 6. præcepit quod feretrum appellatum *Studii*, & *Stephani*, & *Majoris Ecclesiæ*, quod auro intertextum erat, pecunia conducerentur. Studii quidem, & Stephani summa solidorum 12. Majoris Ecclesiæ so-

solidorum quatuor. Hujus vero ratio est, quia in hoc honore attenditur dumtaxat aliquod humanum, & non sacrum, & etiamsi remote honor ille ex aliqua conjunctione cum re sacra nascatur, non tamen ex venditione talis loci dicetur vendi ejus Sanctitas. Sic Ecclesia, non tamen ullus alius potest vendere jus, ut aliquis, ejusque familia tantum in certo Sepulchro sepeliatur, & privatus potest vendere Sepulchrum, quod propria pecunia, expensisque construxit. Verum tamen est, quod quæcumque hæc eleemosina fuerit, illa Parochi, aliique Sacerdotes contenti sint, caveantque omnino Sepulturam diferre prætextu, quod non sufficienter de juribus solvendis cautum fuerit. Felicitati horum temporum Majores nostri si viverent inviderent, cum apud nos non videantur Defunctorum corpora detineri, vexari, aut prohiberi per Oppidorum Territoria transferri, si quis peregre moriens sepeliri velit in Patria, licet hujus consuetudinis justitiam Severus Imperator non cerneret, & cuperet hanc removeri. Sed neque viderent Parochos, Rectores, Sacristas, Custodes, aliosque Exequiarum curatores, vel ceteros, qui in funere operam ponunt, pignora capientes quibus sibi provideant de Funerali eleemosina, aut de non soluta mercede pro eorum opera in funere præstita, ut illos sua ætate S. Carolus vidit, & vehementer doluit. Viderent etiam non solere hodie ob defectum solutionis jurium, Sepulturam & Exequias negari, quas pietas, & institutio Christiana Defunctorum Christianorum corporibus impendi postulant. Scandala alia plura non viderent, quæ diligens Patrum solertia cohibuit, qui statim ac agnoverunt suis emolumentis Parochiales Ecclesias destitui propter defectum Decimarum personalium, realium, & mixtarum, quæ ad alios abierunt, in earum locum Consuetudines Oblationum suffecerunt; & ut Parochorum, & Ecclesiarum necessitatibus consulerent, proprio Pastori, tam pro Officio Exequiarum, quam reliquis charitatis Officiis Defuncto, vita ejus durante impensis, debitum honorarium post mortem a Laicis præstandum esse decreverunt pro temporum conditione, nec non funerum diversitate, & ita factum est quod illa, quæ antea fuerant libera pro Defunctorum anima elargita Suffragia, immutarentur in necessaria Parocorum subsidia. Tunc etiam immutata sunt solemnia illa Convivia Clero, Pauperibusque exhibita ipsa die qua Funebria sacra celebrabantur, quorum meminerunt Tertullianus lib. de Anima c. 4. & in Apolog. c. 39. Cyprianus lib. 6. contra Quirinum c. 3. Minutius in Octav. Origen. lib. 3. in Job, Chrisost. homil. 32. in Matth. August. Epist. 64. Hieronymus Epist. 22. & quæ defraudare maximum habebatur piaculum, ut patet ex Synodo Tullensi Par. 2. cap. 4. & in eorum loco suffecta fuit pecunia, quæ Presbyteris, & Clericis dari consuevit ob funeris celebrationem. Quanta igitur jurium funeralium Taxa sit, nec non determinatio eorum, quæ circa Sepulturas oporteat observari, legitur vel in Provincialibus Synodis, vel in Diœcesanis quibuscunque, ad quas Parochos ipsos remittimus, ad quos spectat suarum Ecclesiarum jura ex eisdem accurate cognoscere. Ad eosdem quoque spectat inquirere conventiones, & pacta ab ipsis, aut suis Prædecessoribus inita cum Personis, & Ecclesiis exemptis, plurimumque proderit, si curabunt, eadem inviolabiliter observari. Et illud etiam maximopere proderit, si ipse Parochus suo agendi modo aliquando ostenderit se velle etiam sine juribus, aut cum notabili eorum remissione, Exequias, & Sepulturam facere; hæc enim agens notam aviditatis evadet, & Parochianorum suorum benevolentiam sibi conciliabit, si præsertim ostende-

de-

derit se esse paratum iis, qui vere pauperes sunt, juxta conditionem ipsorum justa persolvere.

XXII. Peractis his, quibus Defunctorum extremum diem claudit officiosa viventium pietas, Exequiarum scilicet Celebratione, & Sepultura, de novo pietatis officio annua celebritate mortuis impendendo, solicita est. Hujus Officii antiquitatem prodidit S. Athanasius in Homil. de Defunctis, & illius institutionem ab Apostolis repetit. *Universa hac*, inquit, *Apostoli, discipulique Deum super Sacrificia placantes, uti Deo gratum est, & Sacrificia, & Preces, & Psalmorum cantum, Anniversariasque Defunctorum memorias observandas praeceperunt*. Officii ejusdem meminit S. Clemens l. 8. Constit. cap. 48. meminit Tertullianus in libro de Corona Militis cap. 3. & de Exhortatione ad Castitatem c. 11. & libro de Monogamia: de eodem agit Nazianzenus Orat. in Funere Cæsaris fratris, ut prætermeam Cyprianum, qui de eisdem Anniversariis agit in Epist. l. 1. Epist. 9. & Origenem, qui in l. 3. in Job. hujusmodi Officii ritum describens; *Convocantur*, ait, *in Anniversariis diebus memoriæ, vel parentum Defunctorum, vel amicorum, seu quorumcunque, qui in fide discessissent Sacerdotes simul, & Laici, atque in eo cœtu, primum quod in fide discessissent gratulantur, & sibi pium, & tranquillum exitum quisque precatur*.

Minime vero mirum esse debet quod utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis in his Anniversariis Officiis conspirent, quæ Ethnicos ipsos adeo excitarunt, ut illa Jurisconsulti *Mortis Solemnia* nuncupaverint in L. *Mavia* 44. D. de Manumiss. testam. in L. *Libertas* 18. §. ultimo D. de Aliment. legat. Quæcunque fuerit illa ratio, quæ Gentiles ad annuam hanc memoriam instituendam impulerit, scire pretium non est, aut inquirere; multum vero prodest nos scire hoc Officii genus a Christianis fuisse in usu vocatum *Quoniam* (ut Albinus Flaccus, & Amalarius scripserunt in libro de Divinis, & Ecclesiasticis Officiis, ille in c. 43. hic in cap. ultimo libri 3.) *nescimus qualiter eorum caussa habeatur in alia vita*, & ut Amalarius addit, *quod sicut Sanctorum Anniversaria dies in eorum honorem ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra, ita Defunctorum ad utilitatem illorum, & nostram Devotionem implendam*. Utrum vero Officia hæc apud Christianos semel recurrerent, vel perpetuo Mabilonius in Præfatione in primam partem Sæculi III. Benedictini n. 101. affirmare non audet, quemadmodum incertus est Ritus, & Celebritas, qua ubique peragebantur. Vita S. Eigilis a Candido Monacho scripta, suppeditat Sturmii Abbatis Fuldensis Anniversarium in celebratione Missarum, Psalmodiis, & Oratione fuisse peractum, aliquando vero ab eisdem Monachis minus solemniter idem Anniversarium fuisse celebratum, supplex eorum libellus Carolo Magno oblatus evincit, in hoc enim dicunt: *Pro Sturmio Abbate in Anniversaria obitus die unam Vigiliam, & unum Psalterium per singulos annos legimus*. Apud Osbertum Abbatem Uticensem referente Orderico Vitali l. 3. Historiæ: *Omnia signa sero, & mane ante Officium diu pulsabantur, volumen Mortuorum super Altare dissolutum palam expandebatur: deprecatio prius pro Defunctis, postea pro vivis Parentibus, & Benefactoribus cunctis Fidelibus Deo offerebatur: Missa matutinalis ab Abbate celebriter canebatur: ab Eleemosinario autem tot pauperes quot Monachi erant ipsa die in Cœnobio colligebantur*. Quin, & in Regno Hispaniæ Sæculo XI. in usu fuisse Defunctorum Convivia, ad quæ tum Laici, tum Clerici conveniebant, Synodi Coyacensis Decre-

cretum evincit, sic enim legitur in Can. 5. *Clerici, & Laici, qui ad Convivia Defunctorum venerint, sic panem Defuncti comedant, ut aliquid boni pro ejus anima faciant, ad quæ tamen Convivia vocantur pauperes, & debiles pro anima Defuncti*. Posterior vero ætas refectiones has in denariis convertit, in Collegiis Canonicorum inter Canonicos Celebrationi Anniversariorum assistentes distribuendos. Videatur Caput unicum de Clericis non residentibus in 6.

XXIII. Pro solis Fundatoribus, & Benefactoribus antiquitus Anniversaria celebrabantur, neque aliquid certum, quod Celebranti, & Ministris in honorarium cederet, decernebatur. Constitutis vero pro Missarum celebratione eleemosinis, etiam honoraria pro celebrandis Anniversariis Ministris Ecclesiæ assignari cœperunt, & liberum cuilibet fuit, pro ut ipsi libebat, vel poterat speciale Anniversarium fundare, quod insecutis deinde Sæculis factum fuisse frequenter observamus, & adhuc fieri magis vel minus solemniter pro ratione stipendiorum, & Fundatorum voluntate. Generalem Anniversariam Defunctorum omnium Commemorationem S. Odilo Cluniacensis Abbas suis Monasteriis primus indixit quarto nonas Novembris solemniter celebrandam. Hanc Summorum Pontificum Auctoritas ad universalem Ecclesiam extendit, ut ubique locorum observaretur, nam si quid Odilonis, ejusque Monachorum Suffragiis solaminis se accepisse Defunctorum spiritus maculas Purgatoriis flammis eluentes perhibuerunt, majus illis, Fidelium omnium universitate ad Deum pro eisdem exorante levamen accederet, & præsertim ex celebratione Missarum, quæ illa die Sacerdotibs singulis indicitur pro animabus omnium in Christo quiescientium Defunctorum, quod Sacrificium ad expiationem illis valere diximus, ut per illud facile possint a Purgatorio liberari.

DOCTRI-



